


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [1] - -


PUBLIC DOMAIN

[T-A 4.68] Leibn. Marg. 210:
4

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [2] - -

PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

Cath. Ecclesiae Romanae p. 15
Launoii critica p. 121
Chamierus Tarraconensium more judicio destitutus p. 148
Incl. Gonin. sedula interpretatio non sufficit ad articulum fidei p. 199
Ita a vinculatus Bellovacensi Sancta Secunda Secundo p. 213
de Valentia ex Mp. p. 246 p. 305
B. Virgo a peccato originali libera, debito obnoxia, Bellarmino p. 319
Jesuita culpant Augustinum p. 366.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [4] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [5] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [6] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [7] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [8] - -
PUBLIC DOMAIN

LIBRI QVINQVE
APOLOGETICI
PRO RELIGIONE,
VTRAQVE THEOLOGIA,
MORIBVS, AC IVRIBVS ORDINIS
PRÆDICATORVM.

ADVERSVS

THEOPHILI RAYNAVDI TRES,
totidem Petri de Alua libros, aliquot Epiſtolas
Ioa. Launoij, Expoſtulationes Carterij, alioſque:

QVARTA PARS

MANVDVCTIONIS
AD ANALYTICAM THEOLOGIAM,
CÆTERIS COPIOSIOR.

Ad Reuerendiſſimum P. DOMINICVM OTTOMANVM
Ordinis Prædicatorum, cuius natalia vindicantur.


AVTHORE

R. P. VINCENTIO BARONIO *Ordinis Prædicatorum,*
Conuentus Toloſani S. Thoma Aquinatis.

PARISIIS,
Sumptibus SIMEONIS PIGET, viâ Iacobæâ,
ſub ſigno Prudentiæ.

M. DC. LXVI.
Cum Priuilegio Regis & Approbatione Doctorum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [9] - -
PUBLIC DOMAIN



Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com
VierFarbSelector Standard* - Euroskala Offset
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [10] - -
PUBLIC DOMAIN

REVERENDISSIMO AC RELIGIOSISS. PATRI

DOMINICO OTTOMANO

IBRAHINI

TVRCARVM IMPERATORIS

PRIMOGENITO,

ORDINIS PRÆDICATORVM.

QVAMVIS multa, magnaque ſuppetant nomina, quibus Te compellem, DOMINICE OTTOMANE; nullum tamen illuſtrius, aut quod Te verius Tui officij, & nos, quâ ſis proſequendus, obſeruantiæ moneat; horum duorum quibus Te conueni, vno aſcititio, innato altero, mihi occurrit, aut tibi continget vnquam: atque horum primum lauacro aquæ, & verbo vitæ in Chriſto regeneratus Tutemet elegiſti; poſtremum vero primorum natalium ſplendore ſortitus es. Sed cùm adeo diuerſa ſit huiuſmodi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [11] - -
PUBLIC DOMAIN

nominum, hinc à natura, inde à gratia origo repetita; illis vt salua sit sua dignitas, & maior in dies accedat; alio plane ad vtrumque, Te, & nos animo comparatos esse oportet. Equidem ad Tuum, nedum officium, sed etiam decus maximum pertinet, vt à Familia regnatrice & victrice Orientis, excepti cognominis prorsus obliuiscare; alterius, quod secunda generatio indidit, memineris semper, & totus in illo implendo incumbas: nos vero remissâ tibi prioris nominis excolendi curâ, posterioris rationem habeamus. Nec dubito quin sapientes, & ab omni æmulatione ac partium studio alieni homines, hanc nostri iudicij æquitatem sint probaturi; & quas illis partes assignamus reuerentiæ, Te ex Tuis natalibus suspiciendi, & rerum humanarum ex Tuo casu admirandi vices, libenti excipiant animo, & accurate exequantur: nec contenti id genus obsequiorum Tibi exhibuisse, causæ Tuæ vindicias suscipiant, cum aliqua in æmulos indignatione, quod futilibus suspicionibus, certa Tuæ originis argumenta eleuent, & per summam cæcitatem, aut nequitiam, duobus Ecclesiæ nobilibus Ordinibus Melitensium Equitum, & Dominicanorum, quæ à Te in illos defluxit, gloriam, totis viribus ereptum eant. Nec propria tantum & priuata est hæc duarum Familiarum, sed publica & communis Christiani nominis causa, quæ ex Tuo casu graue & longum à viginti, & vltra annis bellum accendit, adhuc multo diuturnius futurum: & post tot fragores armorum, tot vrbium obsidiones, post tot pugnas terra mari-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [12] - -
PUBLIC DOMAIN

que cruentissimas, vnius libertatis Tibi ereptæ vindicandæ, & inde nominis OTTOMANICI iniuriæ vlciscendæ consilio, reperti sunt, qui contendant hos rerum motus nihil ad Te pertinere, & alias belli causas, præter omnem veri speciem, comminiscantur.

Sed has male moratorum hominum voces rationes, Tibi surda aure prætereundas consulerem, nisi id iamdiu in animum induxisses, & propositi tenacem, nihil Te huiusmodi diuinationes malignas, & apertas calumnias morari agnouissem. Sed quo ipse Tui nominis vindicandi negligentior es, magisque æquo & forti animo fers hoc secundum infortunium, quo nihil Tibi fieri volunt inuidi reliquum ex gentilitia majestate, eo conuenit nos ardentiori studio, quod vnum supereſt ex ingentibus bonis decus & ornamentum, contra malignas coniecturas, & insanos clamores propugnare: & dum Te indefensum esse non patimur, validius ipse æmulorum depelles impetus, & audaciam contundes, si fortunæ ludibrio quod in Te miratur Orbis, ad quod etiam Posteritas obstupescet, mutatam sortem, non solum forti animo feras, quòd ipsa immedicabilis & ineluctabilis mali necessitas, etiam inertibus indicit: sed etiam ardentiori sapientiæ & pietatis studio sic redimas & resarcias; vt qui te propius nouerint, non iam fortunæ vices, sed progressum virtutis in Te mirentur: nec dubitent quin illa Tibi ex animo verba vindices, *Sapientiam regnis & sedibus præposui*, & in quem Te casus impulit, locum, videaris ipsemet elegisse; & ita adama-

re ; vt primum infortunium & captiuitas Tibi vera fœlicitas , & vna ſit libertas potior & antiquior orbis Imperio , quod Te primogenitum Orientis Imperatorum manebat. Itaque certaminis pro tua aut verius Melitenſis & Dominicani Ordinis gloria laborem , ſic partiendum cenſeo ; vt ipſe natalium contemptu ex pietate Chriſtiana , vno ſapientiæ ſtudio probes Te loco dignum vnde prodieris , quem nos inuictis argumentis Tibi ſumus aſſerturi. Neque enim in gloriam , laudemque Tibi , nobiſque cedet quamlibet indubitata origo regia , niſi ipſa Tibi præ ſorte Chriſtiani & Religioſi vileſcat ; eamque commendes & augeas eximia pietate cum eruditione coniuncta ; atque ita inſtitutus veriſſime , certaque perſuaſione dicas, Perieram , niſi periiſſem : auitum thronum , etſi tutum pateret iter & decliuis eſſet aſcenſus , nunquam adirem , niſi cui nomen dedi,& quam profeſſus ſum religionis promouendæ cauſa. Vbi id à Te obtinueris , & animo altè defixum hoc votum perſuaſeris omnibus, indeflexo vitæ Chriſtianæ & religioſæ tenore , qui nobis de Tuis natalibus litem mouent , nec noſtris hunc errorem ſibi ereptum patiuntur argumentis ; omnino eiurabunt , teque agnoſcent , nedum Imperatoria proſapia natum , ſed diuina digniorem.

Verum de his fuſius ad calcem Apologiæ : & cum in Te deſinat , quaſi in præcipuum noſtrarum controuerſiarum caput , & maximum Dominicanæ Familiæ decus ; vt finis reſpondeat exordio, id à Te ſumendum , & totam lucubra-

tionem tuo nomini dicandam censui. Cum enim ad Tui defensionem, commendationemque me imparem sentiam, ipse in id certaminis vocandus fuisti, cum plus momenti ad victoriam, & ad cumulatam gloriam Tua virtus & sapientia, quam cuiuslibet Scriptoris eloquentia & eruditio sit habitura, & à peruicacibus aduersariis magis pronum tibi sit ardenti Christianæ ac religiosæ sapientiæ studio, quam nobis certis argumentis consensum extorquere. Ad hoc susceptæ causæ commodum, & disputationis ineundæ felicem exitum, ex coniunctione nostrarum virium, accedunt momenta duo, quæ me grauius vrgent, & impellunt maxime, singularis ad Te colendum, & ad omnem pietatis & sapientiæ progressum & exercitationem pro virili adiuuandum affectus. Quamuis ita studio & natura comparatus sim, vt viros summo loco natos, quos Deus supra communem hominum sortem prouexit, reuereri, & omni obsequiorum genere prosequi, non minus gratum sentiam, quam æquum ac necessarium existimem: fateor tamen, me nescio quadam sortis humanæ commiseratione, in eorum obseruantiam cultumque longe propensiorem esse, quos sors loco deiecit: nam præterquod ipse lapsus qui forte aliis contemptum ingerit, apud me venerationem auget; eamque aduersa fortuna vexatis, quam secunda florentibus libentius impendo, quod solari malim afflictos, quam fœlicibus adulari, illisque ad leuamen, & ad conferenda magis, quàm istis ad recipienda beneficia manum porrigere, atque hoc inde ma-

ximi apud me compendij bonum capto; vt quæ à me prodit veneratio & obseruantia gratuita sit, & se contenta, vnius æquitatis & humanitatis respectu, seposita omni spe vtilitatis exhibeatur.

Ex quo Te primum nosse datum est, opportunus huiusmodi obsequiis sincerioribus visus es; & inde me Tibi longe arctius deuinctum sensi, quam soleant aut possint mortalium plures magnatibus & principibus spe, & pollicitationibus ingentium præmiorum obnoxii esse & implicari. Et quamuis vna sortis mutatio, comperta indoles, inuicta tot malis animi constantia, hanc meam Tibi reuerentiam conciliasset, ab inuito etiam extorqueres, quod videram à plerisque, nedum inique recusari, sed etiam per summam crudelitatem in Te sæuiri. Sic enim interpretor illorum consilia, factaque, qui adeo à stupore aut commiseratione ereptæ nedum Tibi libertatis, sed etiam summæ potentiæ aberant; vt in illam ius omne & nomen etiam ipsum abrogent: quod mihi immanius visum est illorum crudelitate, qui in mortuorum manes & sepulchra desęuiunt, & grassantur. Quare cum plures populi Orientem quam Occidentem solem coluerint, cum Principes secunda fortuna florentes, mancipiorum & adulatorum turbæ obsideant, circa deiectos horrida sit solitudo, & eadem prorsus quæ mortuos sequitur & sepulchro illatos; singulari Dei beneficio summęque gloriæ imputo, quod Tibi nedum infœlicium Principum sortem experto, sed inde etiam à multis vexato, sicuti solent quassatâ naue naufragi, qui post maris sæuitiam grauio-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [16] - -
PUBLIC DOMAIN

rem terræ patiuntur, qualecunque humanitatis officium prętare, aut ſaltem teſtari conceſſum ſit meum in te animum propenſiſſimum. Ex iis ad quæ priuata vel communi hominum conditione natus videbare, vna ſupereſt, quæ Te ſuperſtite perire & deleri nequit origo. Prętera duo Tibi aduenere bona, quibus amiſſa reparentur, & quod ſaluum eſt, cumuletur, Chriſtiani ex baptiſmo, & Dominicani ex voto religionis profeſſio: itaque cum eo ipſe loco ſim, vt bonis quæ ſeruaſti, aut quibus nouo Dei munere donatus es, nihil poſſim addere; id vnum quod in me eſt, diligenter prętabo: Primum bonorum ex origine aduerſus æmulos pro virili defendam & vindicabo; reliqua duo Tibi gratulabor impensè, & quam grato in Deum animo ea æſtimare, quam diligenti cura excolere & augere debeas, quamdiu vixero etiam atque etiam monere non deſinam. Si quid aliud Tua conditio, & mea facultas officii pateretur à me exhiberi, in id totum me impenderem: nam velim perſuaſum habeas, non aliunde in Te colendo quàm ex vna impotentia modum me facere aut finem. Verum dilata ad huius Apologiæ calcem primi boni vindicatione', alterius nempè Chriſtianiſmi, eiurata ſuperſtitione auita, ſuſcepti, nihil opus eſt longius ſanctitatem fœlicitatemque proſequi, & vnius qua ſalui eſſe poſſimus, religionis dotes illi operoſe prolixa diſputatione aſſerere; cum ſpontaneo fidei, maturoque ſupra ætatem delectu, immotoque propoſito teſtatum feceris, Te nihil eorum quæ in hanc rem ſcripta ſunt, aut dici

possunt latuisse : & iniuriæ locus esse videretur, si Te horum quasi ignarum commonefacerem, aut quasi incertum & dubium viderer velle confirmare. Sed quod ad Dominicani professionem pertinet, quod postremum in Te diuinæ liberalitatis beneficium recensui; ne eodem quo Christianismum loco reponam, nec Tibi illius quasi comperti & indubitati boni gratulationem tantum debeam; magnis vocibus, ingentibus scriptis intercedunt Petrus à Clausa-valle, & Petrus de Alua, qui illam tot tantisque accusationibus, tum antiquis, tum nuper cusis grauant; vt si vera aut verisimilia sint, quæ in nos pluribus voluminibus semel & iterum editis scripserunt; merito Te pœnitere possit vestem induisse, tot spurcitiis sordidam & maculatam: tot enim vitiis & sceleribus infames traducunt nos; vt si aliqua sit ipsis fides, sancti & insontes sint præ Dominicanis à quibus ad nos confugisti Turcæ & Mahometani. Sane quamuis cęteræ deessent causæ vindicandi à tot horrendis flagitiis nostri Ordinis homines, pręter offendiculum quod Tibi ingerit huiusmodi calumniarum immanitas, quæ in nostram Familiam ingressum longè captiuitate, & casu à summo Imperio intolerabiliorem deformant Tibique subiiciunt, possem-ne tacere, aut dissimulare tam grande scandalum, nec verbum contrà hiscere, quod silentio verum agnoscere viderer? Quâ ratione Dominicanum nomen, quo nihil mihi post Christianismum antiquius est, non proderem, si impunè æmulorum libidini lacerandum permitterem? Sed quod in Te colendo,

&ad bonam mentem promouendo, præ me fero propensissimum & ardentissimum studium, prorsus abiicerem, nisi quam isti ingerere Tibi possent cogitationem, Dominicanæ Religionis delectu, nouissima peiora prioribus facta esse, diligenter & validè semouerem, vt si quid scandali Religionem Christianam amplexus patiaris, non à Familiæ, cui nomen dedisti, sed ab illius æmulorum vitio ipse sentias contigisse. Non abnuo, si vera essent, quæ improperantur Dominicanis, quin meritò Te pœnitere posset, & pudere tuæ professionis. At si ea sit illius sanctitas & gloria, vt ab acerrimis Aduersariis nugis solum, & apertis calumniis potuerit lacessiri, quamuis dissimulare nequeam hinc grauissimum scandalum nasci, & exclamare etiam cogar, *væ illis, per quos scandalum venit*: Tuum tamen, & æqui Christiani Lectoris iudicium esto, vnde id genus offendiculorum sit, cuive imputandum; an iis qui gratis & atrociſſimè lacessiunt, an iis, qui se necessariò tutantur. Illi quidem monstrosis nos accusationibus appetunt, & perdendos putant; libris editis hæc portenta euulgant, nec vnâ editione contenti, quamuis non sit multitudo, sed summa sterilitas in commutationibus illorum, nullis tamen laboribus, nullis expensis parcunt, homines etiam altissimæ paupertatis, nouis editionibus moliendis, & suis longè lateque spargendis calumniis. Et quamuis Romæ, in Hispaniâ, & vbique terrarum damnentur eorum libri, nedum Ecclesiasticis, sed etiam senatoriis decretis, nihil ista moranter, & quibus deterreri oportebat pœnis,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [19] - -
PUBLIC DOMAIN

fiunt audaciores. Quid non paſtorali ſollicitudine, aut paternâ charitate tentauit Summus Pont. Alexander VII. vt diſcordias compeſceret & extingueret? Petri Aluæ nodos, alioſque libellos, id eſt calumniarum in D. Thomam, eiuſque Scholam colluuiem grauiſſimo iudicio Romano damnari voluit. Quid ad hæc Petrus? Reſipuit-ne? Retractauit-ne dicta? Aut à nouis ſcriptis & editionibus abſtinuit? Imò ipsâ cenſurâ Pontificiâ, quaſi torrens aggeribus cohibitus intumuit, quaſi anguſtiis locorum coercitus, aut pice oleoque accenſus ignis efferbuit magis, & exarſit. Nec ſua contentus euulgaſſe, Hyppoliti Marracij ex Italiâ ad ſe Bruxellas miſſum eiuſdem argumenti & furfuris librum, id eſt calumniarum in Dominicanos ſuis expenſis edi curauit. Quid inde tandem contigit? Fraudem Marracij non ſuſpicatus Summus Pontifex, ſed penè manibus contrectans, & cum Alua conſenſum; hominem carceris pœnâ mulctauit, eadem ſine dubio, imò maiore Aluam caſtigaturus, ob D. Thomam laceratum, & Dominicanos traductos, ſi Romæ degeret, non Bruxellis, vbi ſuus illum in tuto ſtatuit amarus & præpoſterus zelus, qui Romæ non imponit, ſed in eius caput commeritas pœnas aduocaret, à quibus par zelus non exemit Marracium, ſed carceris reum fecit apud humaniſſimum & clementiſſimum Principem. Si huius ttium-viratus, Petri à clauſa valle, ab Alua, & Marracij libido lacerandi Dominicanos, iudicij Pontificij æquitate ſedari, aut pœnis cohiberi potuiſſet, defenſionem noſtram eodem, quo illo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [20] - -
PUBLIC DOMAIN

rum accusationes reponerem ; id est pari seueritate iudicij Pontificij coercendam, & castigandam censerem. Si aduersus illos Pontificiæ authoritatis reuerentiâ, post plures accusationes, tandem tacitos & mutos, ipse quidquam mutire auderem, dignus planè essem nedum vtriusque Petri censuris, sed etiam carcere Marracij. Verum nullum faciunt modum, aut finem Dominicanos vexandi: & quas in D. Thomam Guillelmus Author corruptorij, quod Ægidius Romanus correctorio castigauit, primus inuexit, sequentibus sæculis prioribus alij adiunxerunt, auctas exaggerataſque Potza, scriptor Caucæ Turturis, interpolarunt : sed in hac conuitiandi & calumniandi palæstrâ, eos omnes facilè vicit Teophylus Raynaudus : hunc sin superauit, certè æquauit Petrus Alua : & eum inexhausta sit detrahendi libido, & similes futuris temporibus proditurí sint Scriptores, qui eadem, & forte iniquiora in nos congerant, & euomant; non dubito, quin æqui Lectores, boni consulant hoc meum in defendẽdâ Religione studium. Iamdiu Christus certo vaticinio indixit *necesse esse vt veniant scandala*; & cũ ad antiquas in nos calumnias perpetuò instaurandas, nouasque cudendas accensi, nullâ Pontificiorum decretorum reuerentiâ, qui ista scribunt, tangi aut pœnis cohiberi posse videantur ; quis nostram sollicitudinem improbet, aut non laudet, si illatis malis remedia, & futuris antidota efficacia paremus. Et ne quis credat me in scandala scandalis agere, id inprimis denuntio, me ita ab Aduersariorum calumniandi, & detrahendi licentiâ abhorrere,

nedum falsa & enormia obiicientibus, similia non sim mihi permissurus, imò nec etiam vera, etiam leuia ingerere. Deinde moneo me cum vtroque Petro quasi cum priuatis hominibus, & à suo Ordine penè segregibus disputare, nec susceptas ab illis contentiones, aut simultates ad vllam communem eorum Instituti conspirationem aduocare; vti facit Carterius, qui libros Mariales omnium Dominicanorum manibus scriptos, consilio editos, & curâ sparsos temerè criminatur. Contrà apud me reputo, adeo atroces calumnias, nedum à charitate Christiana & Religiosâ, sed etiam ab omni humanitatis sensu sic alienas, vt eas eiusdem cum vtroque Petro Ordinis Religiosi, præ cæteris hominibus execrentur magis; quod nisi ita oderint, aliqua inde in illos infamia apud homines, & apud Deum damnatio sit deriuatura, & in beneficium sibi imputabunt à me refelli; cum hac responsione modestâ omnium Religiosorum honori, & Christiano nomini consulatur. Ne quis verò vtrumque, aut alterutrum à me læsum iri credat his libris, qui aliquid contentionis resipiant, quinam nostrum videantur esse maiores eruditione, pietate in Ecclesiam, meritis, &c. quod à Christo in Apostolis damnatum nemo pius probare, aut citra certam salutis noxam imitari possit: sed longissimè absum ab huiusmodi disceptationibus. Vtrique Petro, eorumque hominibus tum meo, tum omnium nostrûm nomine sponte cedo, nosque à se, suisque vinci nedum patior, sed etiam gaudeo; atque ità illorum bonis, perinde ac nostris, vt toti Ecclesiæ communibus fruor.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [22] - -
PUBLIC DOMAIN

Quid igitur post has concordiæ conditiones superesse poterit discordiæ, & contentionis? Nihil profecto affectis ea charitate, quæ communia propriis, non propria communibus anteponit; nec sua vnquam quærit, maximè cum aliorum vituperio, & damno coniuncta sunt. Hanc si legem sibi præscripsisset vterque Petrus in suis scribendis libris, longè abesset iniecta nobis huius æquitatis grauiter violatæ, reparandæ necessitas. Aduersarios credere velim, & eorum instituti homines nihil dubito incorruptæ fidei esse, summæ in Deum & in Sanctos pietatis, exactæ in sedem Apostolicam obseruantiæ, sanæ doctrinæ, morum integerrimorum, id est veraces, ab omni inuidiâ, vel aliis detrahendi cupiditate remotissimos, denique quidquid boni Dominicanis vterque Petrus abrogat, illis voueo, & dono, à malis absoluo, quæ in nos vterque congerunt. Quis post ista ad disceptationem supererit locus? Vnus, vel alter, aut ad summum tertius. Primum contendo, aliquam, nec contemnendam bonorum, quæ sibi arrogant, nobisque in totum detrahunt, portionem apud Dominicanos seruari, & obtinere; nec iis, quibus grauant vitiis, quasi hereditariis malis laborare: deinde non ita deiectos, aut à Deo derelictos esse, vt aliis inuidendi vni supplicio addicantur; neque ita antiquis, aut recentibus bonis destitui, quin ab inuidiæ peccato, sicut à causis remoti, alios, (nolim dicere ad inuidiam,) sed honestiori vocabulo, ad æmulationem prouocare possint. Denique licet multis partibus

longè cæteris Ordinibus decedamus ; ſuppetere tamen nonnulla, quibus fortè paria facere poſſimus ; qualis eſt imprimis fidei integritas , nedum ab omni contagio , ſed etiam à periculo errorum immunis , ſinceriſſimus , & ardentiſſimus in Deiparam , ac diuos omnes cultus , reuerentia aduerſus Sedem Apoſtolicam, & in eâ colendâ tutandáque turbulentiſſimis temporibus probata animi fortitudo inuicta , incredibile de omnibus bene merendi , nullis detrahendi ſtudium , ſolida fidei , ac ſcientiarum principiis validè aſtructa placita ; & alia id genus bona , quæ latè ſumus totâ Apologiâ proſecuturi. Si vlla vtrique Petro fides , longè deteriori loco , magiſque miſerandi ſumus Iobo in ſterquilinium Dei manu,& dæmonum ſæuitiâ perculſo. Verum ſi vir Sanctus ne animum tot calamitatibus deſponderet , potuit ſe tutari cum aliquâ etiam ſuarum virtutum commendatione , amicorum aſperioribus verbis grauiùs, quàm dæmonum ſæuitiâ , ſuoque caſu vexatus , quid ſimile à nobis extorquet vterque Petrus. Sed quò ſpectabit huiuſmodi laudatio vno verbo dicam , eoque Epiſtolam claudo; vt Dominicanæ Familiæ , quem illi totis viribus ingerunt, Tibi DOMINICE OTTOMANE pudorem redimam , ne noſtræ ſuſceptæ veſtis Te , vllum-ve noſtrûm pœniteat. Tot enim tantoſque illa tulit viros , vt noſtram inſcitiam , & ignauiam ſuis laudibus inumbrare , ſuis virtutibus ſuſtentare poſſint. Si obijciant , longe aliud , iſtud ſcribendi genus videri reſipere , aut me reſpexiſſe ; cum leui brachio quod

obtendo

obtendo bonum defensæ nostræ Familiæ, & minùs acri atque accuratâ differendi ratione consequi potuerim: vt sum totus naturâ ingenuus, non diffitebor, me id tentasse, vt defensio nobis necessaria, Tibique vtilis, vtrique Petro, & illis, si qui ex eorum instituto sint, quod vix credo, similibus prodesset; eosque doceret non adeo demisse & indigna de nobis, de se suisque moderatiùs & modestiùs sentire. Absit, vt ex Alua & Theophilo de illorum Familiæ hominibus statuam: singulariſſimos & ab aliorum sensu & moribus longissimè abire certus sum, paucosque, ac ferè nullos habere, qui ipsis suffragentur. Verum cum duo nobis, & totidem suis diuersa his scriptis, quæ refello, propinent venena; si vera narrent, nos quidem ad desperationem præ nostris vitiis & malis, & ad suorum bonorum inuidiam compellant, sibi verò, suisque Philaphtiam nimiam, nullam aliorum æstimationem ingerant; occurrendum his malis censui, quibus nocere possent, tribus singulorum scriptis confutandis. Id me assecuturum spero, si euicero, & persuasero bona malis vbique permixta; nec vlli suorum, aut nostrûm despondendum animum, nimisque efferendum, nec de aliis abiectiùs, de nobis altiùs sentiendum; paris esse periculi aliorum contemptum & odium, ac nimiam sui fiduciam & complacentiam. Quamuis his malis communibus omnes laboremus, & his, quæ paro remediis, velim etiam omnibus consultum; Tibi tamen, DOMINICE OTTOMANE, potissimùm ista scribo, & sub tuo nomine edo,

vt præteritæ conditionis oblitus, gaudeas præsenti: & si eam, quo conuenit loco habeas, certissimè noueris, Tibi saluti, & gloriæ fore immortali. Isto opusculo proludo nostris in totam D. Thomæ Theologiam commentationibus tuo nomini inscribendis, tuique causâ edendis, ne quid obmittam eorum, quæ adiumento esse possunt, vt altiorem, quàm vnde excidisti, sapientiæ & pietatis gradibus conscendas locum. Neque enim dubium est, si iis augeri, & locupletari cures Familiæ nostræ bonis, quin maximo sis illi ornamento futurus, & omnibus exemplo, atque toti Orbi Christiano & Turcico admirationi.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [26] - -
PUBLIC DOMAIN

PARENÆTICA

AD R. P. THEOPHILVM RAYNAVDVM.

CVM nuper, Theophile Raynaude, legerem tuorum operum Catalogum, scriptum nouæ editionis causâ, quam Lugduni moliris, & iam fortè absoluisti; mirari subiit inexhaustam ingenij tui fœcunditatem; & nostro sæculo gratulor de tot librorum, quos fruendos dedisti, vsurâ, & gloriâ, quibus superiorum temporum Polistores prouocet, & facilè vincat. Gloriabatur Tiraquellus se triginta liberorum parentem, libros totidem scripsisse: effœtum plane, & sterilem, præ te Tiraquellum dixero scriptorem, etsi liberis mutatis in libros, horum numerum duplo auxisset. Propertius Poeta ortus Meuaniâ oppido Vmbriæ olim amplissimo, nunc mediocri, scriptis quatuor libris elegiarum, quæ vix operum tuorum tomos superant numero, hunc versum cecinit, ipso vento tumidiorem & inaniorem.

Et nostris, tumefacta superbiat Vmbria libris.

At tu, Theophile, longe vberiorem Sabaudiæ, quæ te genuit, superbiendi, aut potius, in Domino gloriandi materiam præbes; adeo Poeta illo maior mole voluminum, *vt minimus digitus tuus grossior sit dorso illius*; & non solum ipsius

versiculi, sed vtrumque Poetarum Latinorum & Græcorum corpus, vix sextam decimam partem tuorum operum conficiant. Sed cùm Dei singulari beneficio Augustinum annis, & forte lucubrationibus æques; diligentissime tuorum librorum Catalogum relegi, singulorum operum titulos excussi, explorandi causâ, num aliquis retractationum liber extaret, quem scripsisses, exemplo Patrum omnium doctissimi, & iuxta modestissimi, cuius magis conueniebat humilitatem imitari, quam voluminum mole, & numero, eius doctrinæ similitudinem affectare.

A fide dignis accepi, in comitiis generalibus Dominicanorum, tribus verbis Doctrinam D. Thomæ contentam, *Nihil falsi habet*, & ab vno Patre Hispano defensam, è tuis doctissimum virum impugnasse, argumento à dispensatione Pontificiâ voti solemnis repetito, quod ineluctabile telum existimabat, (id tamen duplici solutione fractum, & duplici clypeo repulsum habes ad tuam secundam Diatribam:) his verbis disputationi proluisse. *D. Thomas Angelicus est non Angelus, & si ad Augustini annos vixisset, scripsisset libros Retractationum.* Hoc interpretabantur multi dictum animo fugillandi & carpendi sancti Doctoris: at ego contrà censebam, saluâ in illum reuerentiâ, quali hominem mortalem quamlibet doctum & sanctum prosequi conuenit, hâc prolusione Sancti Doctoris modestiam, & humilitatem summè commendatam fuisse. Nec credo Thomam, totum ad Augustini exemplum compositum, nec minus illius sanctitatis, quã doctrinæ tenacem,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [28] - -
PUBLIC DOMAIN

si longior vita contigisset, passurum vnquam, sibi deesse præcipuam imitationis magistri partem, & virtutum maximam, quâ prætermissâ æmulatio reliquarum vitio non caruisset. Quem ergo certis argumentis à communi hominum lege, à singulari D. Thomæ modestiâ, librum Retractationum, si per longiorem vitam licuisset, ab illo scribendum vaticinabatur doctissimus ille Iesuita; hunc ego Theophile, & omnes probi mecum, à te sperabamus, postremæ tuarum lucubrationem editioni inferendum: nec suspicari poteram, ad hoc tibi defuturum animum, quandoquidem facultas aliunde suppeteret, & causæ ad id vrgerent, quæ retractationem à te, citra officij noxam, aut salutis grauissimum periculum, aut potius certam damnationem, non paterentur prætermitti. Neque enim credo, mi Theophile, te adeo nunc tui oblitum esse, vel vnquam fuisse ita tuarum rerum nescium, quin fateare, eò plures, & vrgentiores, ad id officij, quod à te expectamus implendum, quam Augustinum causas cogere, quò longius ab illius ingenio, prudentiâ, & sanctitate abes, & propius ab errore, odio, pertinaciâ, aliisque vitiis, quibus intactus, & major fuit vir Sanctus, quorum vtinam nunquam te permisisses tyrannidi, qua vix superiora sæcula viderunt, nec forte futura visura sint, impotentiorem & nequiorem. Nescio quem duorum læsurus sim grauius, an te, an Augustinum, si vtriusque longius comparationem prosequar. Dederam nuper cuidam viro do-

ctiſſimo, opus emendandum; ſed parum abfuit quin in totum ſcriptum ſpongiam induceret; nempe indignatus, quòd ſcriptorem huius ſæculi, contuliſſem Auguſtino, licet infinitis gradibus infra poſuiſſem; ratus ipſammet comparationem, adeo diſparibus meritis & partibus initam, quoddam eſſe genus contumeliæ, in virum ſupra omnem comparationem poſitum. Quid cenſes, Theophile, homines huius ſæculi, aut futuri (ſi vlla tui nominis ad illos aura perlabatur;) de te conſtituturos, cum viderint tuorum operum Tomos, ex editione Lugdunenſi, libros Auguſtini numero ſuperare, nec vllum eius exemplo ſcripſiſſe Retractationum librum, nec fortè verbum? An ignoras illud ſapientiæ monitum, *in multiloquio non deerit peccatum:* vel putas te tot locutum eſſe & ſcripſiſſe, neque vnquam linguâ, & calamo lapſum? Crediſne tibi fore dedecori, imitationem modeſtiſſimi Auguſtini, ſua errata retractantis? Neſcis quam diſpar ſit tua, illiuſque eruditio? Quam diuerſa ſit vtriuſque ſcribendi & viuendi ratio? Sed timeo ne ſis vitæ exitu diſſimilior. Heu te miſerum, ſi perinde à fine, atque ab inſtituto, & decurſu eius vitæ receſſeris. Auguſtinus nihil vnquam ſcripſit, aut meditatus eſt, niſi ſanctum, & omnibus ſæculis profuturum. Auguſtinus ita à detractatione abhorruit, vt nullum pateretur menſæ ſuæ aſſidere, aut coràm ſe conſiſtere detractatorum, quos verſiculis *Quiſquis amat dictis, &c.* longè abigebat. Quid de te, tuiſque libris cen-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [30] - -
PUBLIC DOMAIN

fuisset, Theophile, qui linguam, & calamum ab infantiâ ad calumnias exacuisti, & toto vitæ decursu exercuisti bonorum conuitiis; nec Diuis, nec Summis Pontificibus, nec tuis parcens, vt videaris hoc vitium deterrimum in mores induxisse? Et cum aliquam resipiscentiæ & malorum emendationis spem de te plerique, & omnes desiderium haberent, cum ad id necessitas iam seni, & morti proximo incumbat; heu! omni salutis cura, omni damnationis metu abiectis, videris bonorum de te expectationem, & vota fefellisse, insertis vltimæ editioni libris, *De communione pro mortuis, &c. De Martyrio per pestem*, quos Roma damnauit, & aliis id genus nihilo melioribus, vnde tot scandala extiterunt, & plura sunt nascitura.

Quid ad hæc responsurus sis, & quibus argumentis aduersus Dei, hominumque iudicia, sis tuam causam defensurus, plane ignoro. Neque enim puto, cum rationem villicationis tuæ, & tot malorum, quæ ex tuis libris nata sunt Deus pœnas exiget, te allaturum id quod Authore vno Patre Societatis,

Vt Radamantheũ stetit, ante tribunal Erasmus,
Anne joco scribens, seriò damnor ait?

Si enim ita exciperes, & iocos amarulentos excusares, reponeret Iudex.

Libri dant seria damna, jocosi.
Si tibi culpa jocus, sit mihi pœna, jocus.

An ludum & iocos reputas, Religiosos & sacerdotes viros, & Ordines de totâ Ecclesiâ optime meritos, & Summos Pontifices iis

conuitiis proſcindere, à quibus profeſſi Eccleſiæ Romanæ hoſtes, aliquo pudoris, & Religionis ſenſu abſtinuiſſent?

Verum ſepoſita omni verborum, & affectuum, acerbitate, precor te, mi Theophile, pro ea quâ nos mutuo oportet proſequi charitate, pro illo cuiuſque noſtrum ſalutis amore, & damnationis metu anxie ſollicito, diſquiramus quid facto opus ſit, Scriptori tot ſatyrarum, morte impendente. Etiamſi velis hanc diſputationem, ad regulas probabilitatis laxiſſimæ exigere, id aſſero, atque inuictis argumentis probandum ſuſcipio, te citra damnationis certum periculum, aut potius iudicium, non poſſe ex hac vita migrare, prætermiſſa retractatione eorum, quæ in Dominicanos, in Thomam Hurtado, in Clementem VIII. & Paulum V. occaſione cenſuræ libri, *De communione pro mortuis*, & in gratiam Suaris, *De Epiſtolari confeſſione*, ſcripſiſti. Non his metis, meam tecum, dum viuis, aut poſthumam cum Deo diſceptationem aſtringo; quaſi aliis rebus à te tractatis, nihil opus habeas retractationis remedio, & præſidio aduerſus humana & diuina iudicia. Scio namque (& hoc etiam variis Apologiæ locis inſinuatur;) te ad minus tres libellos ſcripſiſſe in tuam matrem vt multi exiſtimarunt, quibus videris, vti Ioab Abſalonem, quaſi tribus lanceis confodiſſe. Non ignoro horum librorum titulis oblique Prælatos obſeruantia religioſæ diſciplinæ præſtantes, & hoc nomine tibi infenſos, fuiſſe quaſi indigitatos.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [32] - -
PUBLIC DOMAIN

Certus ſum etiam, te in extraneos, in Camerarium, in Launoium, quam in domeſticos fuiſſe iniquiorem.

Sed quidquid ſit, de huiuſmodi controuerſiis, mihi omnino non compertis, quarum Deo rationem redditurus es; quod ad noſtras diſceptationes pertinet, *De Communione pro mortuis*, contra Patres Sancti Andreæ à Valle, & Hurtado, *De Martyrio per peſtem*, contra eumdem Hurtado, & de vtroque libello, contra cenſuram Romanam, *de Epiſtolari confeſſione* aſſerta à Suare contra ſenſum duorum Summorum Pontificum, & duobus libellis ſtylo ferreo exaratis, *de immunitate Cyriacorum*, & *Religio Beſtiarum*: repeto quod iam conficiendum propoſui; niſi retractaueris, vel ſaltem boni conſulas à me, & ab aliis profligari, quæ per ſummam iniquitatem, aut ignorantiam ſcripſiſti, nullam tibi ſupereſſe ſpem ſalutis, etiamſi laxiſſimarum probabilitatum patronos conſulas.

Atque vt ab vltimo argumento paucis me expediam, reliqua liberius proſecuturus; non ignoras Sanchem, validum præ cæteris columen probabilitatis, nutare, & titubare, cum ventum eſt ad mortis articulum (in quo verſaris ſenecta quolibet lethali morbo grauiore;) tutiſſima quæque eſſe ſectanda, qualibet probabilitate reiecta, vt re periculis pleniſſima. Putaſne poſt tot ſatyras in viuos, in Religioſos Ordines ſcriptas, & ſumma cura à te euulgatas, tibi certius remittendam quamcumque tot

conuitiorum, tot mendaciorum retractationem, quam diuiti epuloni, alienis bonis, & ſpoliis opulento reſtitutionem, cui aliqua probabilis ratio, ius in illa bona aſſerit, ſed validiores tollunt, & arguunt latrocinij? Crediſne, tuto tibi minus curandam tot calumniarum palinodiam, quam pœnitenti moribundo cum attritione peccatorum confeſſo, & abſoluto, contritionem aſciſcendam? At Sanchez probabilitatum fere primus author, deploratæ ſalutis iſtum pronuntiat, niſi relictâ opinione minus tutâ, erumpat in contritionem; quia impendente morte, tutiora quæque eligenda ſunt. Quid ad iſta, Theophile, dices? Nihil tibi cum Sanchez, vel quod tu eo ſis doctior, vel quod ipſe timidior ſit, quam conueniat Theologum, adeo rerum moralium peritum; & immeritò ſummum periculum intentat moribundo, qui attritionis conſcius, contritionem neglexerit, cum ſit in opinione, intra probabilitatis terminos ſummâ.

At mihi, inquies, certior inſedit ſententia, me ad nullam palinodiam teneri, quia conſcius mihi ſum, diſtrinxiſſe me calamum, in Eccleſiæ, vel Societatis apertos, vel occultos hoſtes. At ſi ita ſit, non erat iteranda editio librorum in Societatem ſub titulo, *Hyparchi, & de ſobria conuerſatione, &c. De Regimine Tyrannico*: Sed potius, erat horum & ſimilium euulganda retractatio. Imò, inquies, ſepoſito omni metu, & reſpectu, eſt illis in faciem reſiſtendum, qui ab æquitate regiminis Religioſi

receſſerunt, & neglecta cuſtodia caſtimoniæ, nimiâ fiduciâ, obiectant periculis, & manibus latronum, quem habent in vaſis fictilibus theſaurum: Pontifices vero illi redarguendi ſunt, qui nimia in Dominicanos indulgentia, malè æquitati in alios conſuluerunt. Itaque cenſes veritati vni litandum, etiam cum vitæ diſpendio.

Quid ſi demonſtrem, te nullius recti, & boni communis reſpectum, ſed priuati odij, inimicitiarum, & ſolius vindictæ rationem habuiſſe? Qui moralem Philoſophiam ingentibus tomis alios doces, non ignoras boni rationem vnâ partium integritate, id eſt, fine conſtare, mediis, & circumſtantiis; quarum minima deſiderari nequeat, ſaluâ rei bonitate. Quî ergo fieri poteſt tot ſatyris nihil peccaſſe, cum cauſam fine peſſimam, deterrimis mediis, id eſt, omni genere mendaciorum ſis proſecutus? Negabis, te vnquam à vero, & recto, vel minimùm receſſiſſe. Eo tandem deuenimus, quo noſtras controuerſias deductas volebam, & demonſtro, te à vero abreptum, & à bono fine, ex ipſo controuerſiarum legitimo ſtatu, quem tu per ſummam fraudem inuertis. Damnata eſt, inquis, diſſertatio, *De communione pro mortuis*, quod dixerim ex opere operato, nihil eâ mortuis prodeſſe viuos, cum illorum causâ ad ſanctam Synaxim accedunt. Id falſiſſimum eſt. Nec verius obtendis Martyrium per peſtem, à te conſtitutum damnari, quod Martyrij ſanguinis aliquas illi dotes dederis. Nec ſincerius agis,

cum ais, malè Suarem audiisse, apud duos Summos Pontifices, quod dixerit, nihil eorum decretis obesse, absolutionem moribundo impertitam à præsente Confessario, si certior fiat ab astantibus, eum suorum peccatorum pœnituisse. Pro his tribus controuersi s, sic à te falso constitutis, putas tibi vsque ad mortem digladiandum, & honesta esse, quæcumque media, quibus te, & Suarem tutaris.

Scis (Theophile) à Philosopho dictum, cuiusque principii modicum errorem, vt sic loquar initialem, progressu fieri maximum, & immedicabilem. Id nunquam verius, quam in te conuenit: nam harum trium disputationum initio, toto cœlo aberrasti, & vnius voculæ abusu *ex opere operato*, controuersiæ statum immutasti, dum priori disputatione, *de communione pro mortuis τὸ opus operatum*, intempestiuè vrges, eo subdolè tacito, & suppresso ad controuersiam de Martyrio per pestem. Vox illa tibi cothurnus est, qua fraudem & fucum facis, qua tenebras offundis. Tolle tuum *opus operatum* à communione pro mortuis, transfer illud ad Martyrium per pestem, & tùm disputatione vtrâque optime constitutâ, vel tumet ipse errorem tuum agnosces, iustissime damnatum, vel tuam vtrobique fraudem, & pertinaciam omnibus aperies.

Audi Theophile. Si id solum asseruisses, communionem viuorum pro mortuis, nihil istis prodesse *ex opere operato* ad augmentum gratiæ, & culpæ veniam; vel Marryrium per pestem,

non esse paris cum Martyrio sanguinis efficaciæ; ac proinde non conferre gratiam *ex opere operato*, nec omnem culpam, aut pœnam eluere, nec loco esse baptismi pueris, quorum matres illis grauidæ immoriuntur obsequio pestè laborantium: si ita exertè, & distincte vtramque sententiam tuis libris explicuisses, nunquam eos damnasset Roma, nec in te Hurtado, vel tu in ipsum, & subinde in Dominicanos scripsisses. Quid ergo in te damnatum est? Abusus huius vocis *ex opere operato*; & venenum, quod sub hoc verbo latebat, vel fortè dolo occultabas. Hanc enim vocem quasi gladium ancipitem instar ambidextri Aiot in vtramque partem versas. Hinc vrges, inde submoues, & subtices. Atque vt paucis tuas omnes artes, & fraudes aperiam, & Censuræ Romanæ summam æquitatem demonstrem; in te maxime displicuit primâ controuersiâ Opus operatum in præmissam assumptum, vnde falsas, ac penè impias consecutiones deduxisti: nec minus altera controuersiâ illud Opus operatum suppressum displicuit, vnde conclusio ex falso, aut dubio principio, male illata est.. Sic enim superiore controuersia differebas. Communio sacramentalis ex opere operato solum confert augmentum gratiæ communicanti, cuius nequeat mortuos participes facere; Ergo communio frequentata mortuorum causâ, est illis prorsus inutilis, vel si quis in illos fructus inde deriuari potest, minor est, quam qui ex aliis operibus, & sacramentis, (& vt ipse loqueris,) quam qui ex

consensu, aut complexu maritali, in gratiam mortuorum inito, perciperetur. Hinc concludis: Ergo communio, in gratiam mortuorum frequentata Romæ ad Sancti Andreæ Ecclesiam, locupletata Indulgentiis Pontificiis, omnium piorum celebrata concursu, erroribus popularibus debet annumerari. Has consecutiones tuas, saluo Antecedente, damnauit, ac penè execrata est Sacra Congregatio.

Controuersiâ vero *de Martyrio per pestem*, fraudem videris immutasse. Sic enim differis. Mors obita in obsequium peste laborantium, accedit ad Martyrium sanguinis, quod vim habet baptismi: Ergo mors illa est eiusdem efficaciæ, cum baptismo fluminis, & sanguinis, ac subinde omnem pœnam, & culpam tollit, nedum à defunctis hoc mortis genere, sed etiam à fœtu, quem matres vtero gerunt, idque *ex opere operato*. Huius argumenti saluo principio, & antecedenti, ferit tuas consecutiones censura Romana. Tertiæ controuersiæ status paulo obscurior est: eâ tamen certum est tibi antiquiorem esse causam vnius priuati Doctoris, quam totius Ecclesiæ; ac penè infallibilitatem duobus Summis Pontificibus negatam, vni Suari asserere; & vt hic Doctor sit omni exceptione major, & immunis vel à minimâ specie erroris, traducis Clementem VIII. & illi Caïphæ personam imponis.

Quid ad ista, Theophile vociferaberis, hæc omnia à me conficta, & tibi falsò imposita? Sed preter quod tribus dissertationibus, hanc tuam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [38] - -
PUBLIC DOMAIN

esse mentem demonstro; hoc ipsum tui libri singulis paginis, ac penè syllabis, vt cum Lucretio loquar, latrant. Ex quibus omnibus concludo, te nullam harum disputationum, pro veritate suscepisse, sed errorem erroribus cumulasse, ac proinde summam retractandi necessitatem vrgere, quam nequeas prætermittere citra damnationem. Quamuis concederem, tuam de his tribus controuersiis opinionem, non abesse ab omni similitudine veri; licuit-ne tibi tot malis artibus, tot mendaciis, & calumniis, in Iudices æquissimos, tanto, summæ, & legitimæ potestatis, contemptu & ludibrio, causam per se pessimam, aut si velis, ad summum probabilem, tutari nullo prætermisso conuitiorum genere, nullo saluo vitæ Christianæ officio?

Statueram tibi tuorum errorum tabellam subijcere, vt vno conspectu quorum reus es, mala intuereris. Verum sensi me frustra laborare, neque iniri posse calumniarum tuarum numerum, nisi libri tui exscriberentur. Institutionem Caluini obseruarunt quidam hoc verbo *omnis* incipere, & in istud *impietas* desinere, idque præter mentem Authoris, ita diuino consilio contigisse censent, vt Argumento sit librum totius impietatis esse quasi Encyclopędiam, eaque solâ constare. Non est impietatum feracior illa institutio Caluini, quam tua Satyra calumniarum, conuitiorum & mendaciorum. Venerat mihi in mentem Erasmi librum de lingua tibi consulere in spe-

culum confessionis : nam vbi decurreris peccata linguæ, quæ fusissime enumerat ille Author, potes iurare te his omnibus grauari, & plura admisisse, prætermissa ab Erasmo, aut illi incognita. Quodnam enim genus mendaciorum, aut contumeliarum in Dominicanos prætermisisti ? Si quid ab Alphonso à Castro, à Budæo, à Politiano, & aliis, inuidiosum de Monachis, tacito nomine, & Ordine referatur, ius tibi assumis, illud de Dominicanis interpretandi, quasi Monachorum nomine soli censerentur. Si quæ illis contentio intercedat, cum Reuclino, cum Petrarcha, cum Luthero, aut si velis cum Dæmone, semper te iudice, rei sunt Dominicani, insontes aduersarij, semper causâ vincunt. Nullum vnquam ius in subditos, aut captiuos vsurparunt sæuissimi, & iniustissimi Tyranni, quod tibi non assumas in Dominicanos. Si vel minima coniectura, aut suspicio sit, te aut quemquam iniuria etiam leui offensum, omnes ad ad mortem deposcis, & vis nomen eorum funditus deleri. Cum de rebus ac moribus hominum nostrorum scribis, (quod passim opportunè importune obtrudis ;) parum est si dixero, te grauissimè læsâ charitate, occulta quæque mala in publicum efferre, & in maius augere ; facta etiam atque infecta, omni non solum veracitatis, sed etiam similitudinis veri cura abiecta, & quæcumque absurda, impia, immania legisti olim in historiis, vel audisti, aut ipse excogitasti, per summam audaciam

daciam Dominicanis affingis.

Quo ſtyli genere videris delectatus ad imitationem Machiauelli, qui eâ licentiâ ſcripſit Hiſtoriam Caſtrecani, vt quæ illi viderentur accommodata ex antiquis, ſuo Heroï aptaret, magis ex Poëtæ, quam Hiſtorici fide. Sed Machiauelli in te fidem, & moderationem deſideramus, Theophile. Ille acerrimo Florentinæ Reipublicæ, cui erat Machiauellus à ſecretis, & ſuæ patriæ hoſti, non ſibi permiſit quicquam adſcribere, quod Heroëm non deceret. At tu hominibus Deo ſacris, nefanda quæque, & falſiſſima licentiam vſurpas affingendi, atque eâ fide narras propemodum infinita. Prouincialem in Hiſpaniâ, qui Iudaïſmum totâ vita occultatum, mortis articulo profeſſus eſt, (quem compertiſſimum eſt alterius fuiſſe Ordinis;) nomine, & veſte Dominicani donas. Eâdem licentia, inducis Patrem Turcum Generalem timentem ſibi à cicutâ filiorum amantiſſimorum, qui millies pro Patre mortem oppetijſſent. Sed vix ad defenſionem illatis à te malis noſtris commoueremur, niſi ex tuis libris grauiſſima, in totam Eccleſiam, & in tuammet Societatem, damna redundarent. Non ignoras tuis libris hæreticos triumphare, eoſque ad infamiam nominis Catholici Geneuæ, Lugduni Batauorum, Hildebergæ, aliiſque locis, heterodoxorum manibus teri. Addam aliud, eos quæcumque de Societatis moribus falſiſſima euulgant Hæretici, aut inter Catholicos æmuli, confirmare validiſſi-

me. Væ ſocietati, ſi de illa ex te eſſet iudicandum, nec plures, ideſt, fere omnes, tui diſſimiles haberet, qui à mendaciis, & à calumniis non minus abhorreant, quam iis ſoleas vti, & videaris delectari. Actum eſſet, non ſolum de Societate, ſed de omnibus Religioſorum Ordinibus, & vincerent Hæretici, cum ab illis ex te iudicaremur, quaſi Phariſaïcæ ſuperſtitionis, & ſuperbiæ rei.

Et ne videar nimium coniecturis indulgere; rem confirmo, iis quæ hodie dum hæc ſcribimus, geruntur. Patres Societatis, dum laceſſitam Sedis Apoſtolicæ authoritatem, quâ poſſunt prudentia, ac fortitudine fulciunt, quidam aduerſæ ſententiæ Theologus, teſtimonio à te repetito, veluti ariete validiſſimo impetit. Ex Theophilo, inquit, *libro de immunitate Cyriacorum*, diſcere licet, à quibus prodeant Decreta, quæ ad nos deferuntur Congregationum Romanarum, quas ſi fides ſit illi Authori, regit vnus *Secretarius Dominicanus, omnium litterarum rudis, vere opilio Arcadicus*, qui illas ad libidinem circumagit. Hi ſunt Theophile tuorum librorum fructus: Hæc ſunt teſtimonia de tuis aliiſque, quorum neſcio qua ratione reatum, & pœnas poſſis effugere, niſi vel ipſe retractes, quæ in Eccleſiæ, & Societatis dedecus ſcripſiſti, vel ſummi beneficij loco reponas, ab aliis refelli.

Dubitaui an è re tua eſſet, tibi iſta conſulere, vnde plus mali timebam, quam ſperarem profectus. Sic enim apud me reputabam:

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [42] - -
PUBLIC DOMAIN

vel quæ ſuggero vera agnoſcet, & ſe illis grauari; aut vt falſa reijciet, & ridebit. Res in alteram partem recidat oportet: ſed neutra caret periculo. Si ſentiat vti res eſt, ſe tot malorum reum, deſperatio impendet; ſi nulla credat ſe harum culparum teneri, in cæcitatem, & pertinaciam delabetur. Sed conuenit nos de illo ſperare *meliora, & viciniora ſaluti.* Forte exemplum Auguſtini, & de D. Thoma vaticinium à me relatum, & tot malorum conſcientia aliquem retractationis librum eliciet: vel ſi id nequeat præ pudore, & contumacia à ſe obtinere, ad minus tacebit, & ſe factis digna pati agnoſcet, & gaudebit, atque ita continget illi ſors fœliciſſima illius, de quo S. Auguſtinus ſerm. 120. de tempore, *ſi pœna cæperat in latrone, nouo genere conſummatur in Martyre.*

Nec credo, Theophile, te offenſum iri; collatione ſocij crucis Chriſti: nam ſi præterita recolas, te diutius, & longe grauius illo peccaſſe præ te feres. Neque dubitare potes (etiamſi ad tuum patrocinium aduoces quaſcumque laxioris probabilitatis opiniones;) quin multò atrocius ſit crimen, probis omnibus, qui tibi minus placent maledicere, (quod tibi præcipuum longiſſima, quam vixiſti vita ſtudium fuit;) quàm latrocinari per decennium, quod vix in eo ſcelere tranſegit ille, qui in crucem actus eſt. Exiſtimas-ne, vitam, & viaticum viginti, aut ſi velis centum hominum, quos ille viarum graſſator ſpoliauit, & obtrun-

cauit, posse æqua lance appendi famæ; (quæ vita, & opibus etiam regiis longè pretiosior est,) tot Summorum Pontificum, tot Cardinalium, tot virorum, & Ordinum Religiosorum, quos summa crudelitate, & iniquitate discerpsisti? Neque enim priuatum aliquem, sed Congregationes Sacras, & Ordinem Dominicanum, adeo atroci prosecutus es odio, vt ob leuissimam, aut potius nullam iniuriam, id est, ob tuorum librorum iustam, & necessariam censuram, funditùs perire velles. Quid per centum annos latrocinia multarum Regionum, præ istis sceleribus? Non est ergo dubium, te ista collatione magis honestatum, quam læsum. Quid si latronis sorte & gratia Deus te dignaretur, vt saltem aliquo momento ante Dominicanos odisse desineres, quam viuere? Tum vere exclaremamus: *Hæc mutatio dextera Excelsi!*

E duobus Apologistis, qui aduersus tuam Satyram scripserunt, ille qui in te laruatum agit, nec tuum nomen atque institutum videtur velle agnoscere, nimis anxiè odij, quo in Dominicanos flagras, causam non ab illatis censuris, sed ab ipsa tui, & Ordinis Dominicani origine repetit, hoc argumento, quod apud me plus conuitij quam virium habet: D. Dominicum eiusque filios ad Albigensium, & Valdensium, sicut Societatem ad Lutheranorum hæresim profligandem, singulari Dei beneficio Ecclesiæ datos, omnes vno sensu, & vno ore prædicant: Sed minus operosa & an-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [44] - -
PUBLIC DOMAIN

ceps, ac longe breuior, & fœlicior fuit cum antiqua hæresi, quam cum recenti dimicatio. Eam namque Simon à Monte-forti, & D. Dominicus diuerso armorum genere expulerunt è Gallia, ac pene extinxerunt, saluis aliquot reliquiis, quæ in Sabaudiæ montes se receperunt: eoque confugiunt Caluinistæ, dum Ecclesiæ inuisibilis præsidio pelluntur inuictis Catholicorum armis: aliquam enim obtendunt Ecclesiæ aspectabilis formam, & seriem à Valdensibus & Albigensibus, intra Sabaudiæ montes. Ex quo vero fonte suam Synagogam Caluinistæ deriuant, inde tuam, tuique in Dominicanos odij originem repetit, non mihi probata coniectura, subtilissimus ille Apologista. Nihil mirum, inquit, te in Dominicanos ita sæuire. Habes à natalibus ingenitum in illos odium, è Vallibus Sabaudiæ, id est, è Valdensium, & Albigensium fæce natus. Inimicitias in nos hausisti à tuis maioribus, quorum non minus iniurias, quam tuas videris vlcisci. Minus improbabili alter Apologista notat augurio, Te Petri à Valle-clausa nomen sumpsisse, quasi pertinaci in nos odio viam gratiæ occludas, & euoces Dauidis imprecationes in Montes Gelboë, conscios Saülis & Ionathæ interfectionis, vt nec ros, nec pluuia inde diffluat, nisi prius odij pestem euomueris.

Addit idem, tibi longe diuersas voces excidere, ab iis quas Ioannes Euangelista senio confectus identidem repetebat. Vltima vitæ

pars, est veluti Echo prętęritarum, & cum Ioanni tota vita vna vox, vnum studium fuerit, fraterna charitas, hanc morti proximus continuo prędicabat. Quid de te Petre dicam? Timeo sane, ne vltima vitæ pars similior sit superioribus, quàm vellem, aut quàm tuæ famæ, & saluti conueniat; & odii, quod continuis conuitiis non potuisti saturare, nequeas nunc ad minimam vsque scintillam, totum extinguere. Quare ad bonam hanc mentem, omnis in nos odii vacuam, censeo non minus gratiæ vi opus esse, quàm ad pij Latronis conuersionem. Faxit Deus, vt hoc miraculum nostris diebus instauret, & ne per te stet, quin adeo sperato bono fruaris, & nos tecum. Superiori exemplo adiungam aliud, quod propius ad te pertineat: in simili, ac pene eadem causa ingenii fœcundissimi, & qui tecum possit numero librorum contendere, versatus est Episcopus Bellæus. Ille post longissimas cum aliquot Religiosorum Ordinibus contentiones, multis annis antequam viuere desiisset, redierat in gratiam cum Religiosis. Ad tuam salutem pertinet Episcopum religiosissimum imitari, nec per nos stabit, quin æternam tecum amicitiam instauremus.

Neque ad detrectandam concordiam, aut illius repulsam excusandam, causeris te acerbius habitum, Apologia Cracouiæ edita. Nam prętęr quod possem tibi reponere, si quid insit mali, quod damnes in alieno vitio, te posse tuum inspicere longe grauius, quod

nihil læsus insontes, & tacitos prouocaueris; atque ab inuitis extorseris verba tuis multo minus atrocia. Sed ne Dei opus morer, illius Apologiæ errata agnosco, & emendationem polliceor. Quid præterea à nobis exigere possis? Sed nescio an plura libro irrepserint errata ex Typographi negligentiâ, aut culpâ: sed ne hinc vlla possit obtendi causa recusandæ concordiæ, quam vrgeo, atque ambio; deliniemus asperiora loca, submouebimus conuitia, solâ vi argumentorum tua refellemus, quod non dubito te boni consulturum.

MONITVM
AD LECTOREM.

HÆc commonitoria, & emendatio totius Apologiæ ad quartum vsque librum, vt ibi in Præfatione adnotauimus, deducta & scripta erat superstite Theophilo. Sed non est visa, eo mortuo, inutilis ad rem, neque indigna quæ huic Apologiæ adiungeretur: Nam præter quod omnium contentionum originem, & seriem ita apertè narrat, vt sola causæ nedum cognoscendæ, sed etiam dirimendæ sufficiat; inde agnoscet prudens Lector, nostrum pro concordiâ votum, quibusque nominibus à Theophilo exigeremus calumniarum in nos, & Censores Romanos, retractationem, quam par est credere, de homine Christiano, si per mortem licuit, non fuisse obmissam cum aperto damnationis periculo. Vtinam extaret aliquo Tomorum eius loco, leuasset nos graui hanc Apologiam cudendi labore.

Quid si dixero, non tam eluendis quas nobis inussit calumniarum notis, quam luendis, quas forte adhuc dat pœnis, efficaciorem fore & magis necessariam? Relatum mihi est Theophilum pridie mortis, quæ repentina infirmo seni, non ægro contigit, testatum se multos calamo læsisse, & Palinodiam meditari. Credibile est hoc proposito, culpæ veniam promeruisse, sed plu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [48] - -
PUBLIC DOMAIN

rimum supereſſe pœnarum, quæ vix vllo leuari poſſint opportuniori remedio, quam læſi noſtri honoris reſtitutione. Eam ipſi cum per ſubitam mortem implere non licuerit, ego vicem eius & votum vbi impleuero, arbitror ſane (nec vana eſt fides) hoc qualecumque ſcriptum pœnarum ipſius maximum leuamen futurum, atque hâc cogitatione ſenſi me non mediocriter animatum, vt Apologiam, ſemotis conuitiis infinitis (quæ præter Authoris mentem inſerta erant, & quæ vna fuerat cenſuræ cauſa;) purgatam ederem, quò ipſe Purgatoriis pœnis exoluatur. Infinitis enim exemplis (quorum aliquot litterarum monumentis extant;) comprobatum eſt, animas defunctorum corpore ſolutas, Dei beneficio ſe viuis conſpicuas præbuiſſe, & ad opem ſibi ferendam ſollicitaſſe, & monuiſſe grauiſſimas ſe pœnas pati iuſto Dei iudicio conſtitutas, nec finiendas donec vltimus quadrans ſolueretur, cuiuſcumque generis bonorum, quæ fraude, furto, detractione rapuerant. Quare videor mihi audire Theophilum enixè rogantem, quam primum nullâ dilatione Librum hunc edi, qui reſarcire vnus poſſit honorem nobis eius famoſis libellis detractum. Nec dubito quin reprehenſiones quæ interdum adhibentur, quo acriores, & calumniis refellendis fuerint validiores, eo futuras illi maiori ſolatio & adiumento. Atque eo potiſſimum conſilio, vt ipſi mitius & melius ſit, Apologiam edimus, idque hoc potiſſimum nomine boni conſulent æqui Lectores.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [49] - -
PUBLIC DOMAIN

Extraict du Priuilege du Roy.

IL eſt permis au R. P. VINCENT BARON Profeſſeur en Theologie, de l'Ordre des Freres Preſcheurs, d'imprimer ou faire imprimer par qui bon luy ſemblera vn Liure qu'il a compoſé, intitulé *Manuductio ad nouum Theologiæ Scholaſticæ Controuerſiæ & Ethicæ ſtudium & vſum*, en vn ou pluſieurs volumes pendant le temps & eſpace de *dix ans*, durant lequel temps nous faiſons tres-expreſſes deffences à tous Libraires, Imprimeurs & autres, de vendre & debiter ledit Liure, ſans la permiſſion dudit Pere, ou de ceux qui auront ordre de luy, à la charge qu'il ſera executé ſuiuant ſa forme & teneur contenuë en l'original. Donné à Paris le Mars 1650. Par le Roy FALLENTIN.

Regiſtré ſur le Liure de la Communauté des Marchands Libraires, ſuiuant l'Arreſt du Parlement, en datte du 8. Auril 1658. Fait à Paris le 15. Sept. 1658.

Ledit R. P. BARON a cedé, quitté & tranſporté ledit Priuilege cy-deſſus à SIMEON PIGET, Marchand Libraire de Paris, pour en jouïr en ſon lieu & place, ſuiuant l'acte paſſé entr'eux le 19. Aouſt 1664.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois, le quatriéme volume de la Theologie le 30. Iuin 1666.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [50] - -
PUBLIC DOMAIN

Approbatio Doctorum.

EGo infrà ſcriptus Doctor Theologus, vindicationem Familiæ Dominicanæ & Scholæ Thomiſticæ ab vtriuſque alumno *Patre Vincentio Baronio* ſuſceptam & ſcriptam legi: viſa eſt nedum orthodoxa, inculpata, & iuſta; ſed etiam neceſſaria ad ſanctum inſtitutum, & Doctorem Angelicum à falſis criminationibus purgandum, & lectori vtilis & grata; quod priuatis contentionibus breui perſtrictis, multa admiſceat ex Theologicis quæſtionibus dogmatum, & morum, ac rebus facti, iuriſque ſingularia & ſelecta. Quare opus quod ſtromatum nomine merito appellauerim dignum cenſeo typis luce publica & frequenti lectione, futura non ſine eruditionis, & pietatis fructu.

F. IACOBVS LOVVET.

EGo infrà ſcriptus Doctor Theologus, Sacræ Facultatis Pariſienſis, legi vindicationem Familiæ Dominicanæ & Scholæ Thomiſticæ, ab vtriuſque alumno *Patre Vincentio Baronio*. Familiam Cyriacorum Doctrina pietate & religione claram ſemper ac florentem, eo quod decet virum probum, moderamine, tuetur ac deffendit, eoſque qui illam maculauerunt, mendaces & nugaces euidenter oſtendit. Datum Pariſiis, die 12. Iunij ann. Dom. 1666.

LVDOV. FREMONT.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [51] - -
PUBLIC DOMAIN

Grauiora ex pralo errata.

Pagina 14. lin. 40. *lege* opilionem. p. 90. l. 20 *leg.* illum. p. 92. l. 21. *leg.* contentione. p. 96. l. 19 *leg.* decerpsi. p. 111. l. 16. *leg.* intentantis falsè. ip. 126. l. 25. *leg* duodecim. p. 128. l. 14. *leg.* ipso vt. p. 171. l. 9. *leg.* ordiris. p. 214. l. 18. *leg.* quos. *ibid* l. 24. *leg.* re. p. 229. l. 13. *leg.* tenearis. p. 239. l. 14. *leg.* emendatum. p. 240. l. 17. *leg* abi liber. p. 293. l. 36. *leg.* & exæquet. p. 309. l. 6. *leg.* hunc. p. 309. l. 2. *dele* cum. p. 353. l. 20. *leg.* vir. p. 354. l. 24. *leg.* quatuor. p. 380. l. 9. *leg.* desit. p. 462. l. 16. *leg.* non tollat. p. 570. l. 29. *leg.* partibus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [52] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX

PRÆFATIO. 1
ARTICVLVS. I. *Causæ scriptionis.* *ibid.*
ART. II. *Theophilum dictis suis omnem fidem abrogare, perpetuâ calumniandi licentiâ, & vindictæ cupiditate.* 4
ART. III. *Refellitur Epistola libelli ad Lectorem.* 9
ART. IV. *Connitia Theophili in Magistros totius Ordinis Dominicani, & Sacri Palatij.* 13
ART. V. *Totius operis Partitio, & Noua forma.* 17

LIBER PRIMVS.

Vindiciæ Dominicanorum fidei in Deum rectæ, pietatis in Summos Pontifices, & in Diuos: Aduersùs tres Diatribas Theophili, & quindecim Nodos Indissolubiles Petri de Alua. 21

SECTIO PRIMA.

Fides in Deum recta Dominicanorum asseritur contra primæ Diatribæ calumnias. *ibid.*
ART. I. *Summa Diatribæ, eiusque breuis, ac valida confutatio.* 22
§. I. *Parerga Diatribæ, & nulla argumenta.* 25
§. II. *Responsio ad 3. obiectiones quæ aliquam habent speciem Argumenti.* 35
ART. II. *Doctrinæ Diui Thomæ dos singularis, vnde illi & eius Discipulis immunitas hactenus fuit ab errore, & censura.* 41
§. II. *Eadem immunitas probatur ab ipsiusmet*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [53] - -
PUBLIC DOMAIN

Theophili scripto. 43
§. III. *Tertium immunitatis argumentum à doctrinæ D. Thomæ partium contextu & vsu.* 51
§. IV. *Argumentum immunitatis doctrinæ D. Thomæ ab euentu.* 56
§. V. *Argumentum quintum immunitatis à diuersâ sorte discipulorum Diui Thomæ.* 60
§. VLT. *Sextum Argumentum à Petro Alua qui prætermissâ Scripturâ & Traditione, conuenientia sectatur.* 67

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur Nodi indissolubiles Petri de Alua. 71
ART. I. *De statu & progressu piæ opinionis.* 73
§. I. *Quæ sit notio peccati generatim, & quis reatus originalis culpæ.* ibid.
§. II. *Duplex quæstionis pars, & responsio ad primam, quid fieri potuerit?* 76
§. III. *Responsio ad alteram quæstionis partem, quid re ipsâ factum sit? Catharini opinio, Scoti sententia antefertur.* 79
ART. II. *Petrum de Alua nocere plurimùm piæ opinioni cuius causâ scripsit.* 84
§. I. *Præiudicia causæ ab Authoris stylo, & consilio.* 85.
§. II. *Solutio Nodorum Petri.* 88
ART. III. *Breue examen totius Operis Nodorum indissolubilium.* 97
§. I. *Vindicantur D. Thomæ sui libri.* 99
§. II. *Responsio ad singulas partes libri Petri Alua.* 191
ART. IV. *Aliquot exerrationes P. Alua annotantur.* 110
§. I. *Tria exerrationum genera P. Alua.* 110

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [54] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

§. II. *Incredibilia in Diuum Thomam conuitia Petri Aluæ, & paria de se encomia.* 114
§. III. *Vindicatur Diuus Thomas à calumniâ erroris contra Aluam, & falsi contra Ioannem Launoium.* 119
§. IV. *Refelluntur Aluæ & Launoij accusationes, ex ipso Opusculi contra Græcos instituto.* 122
§. V. *Confutatio primæ Epistolæ ad Antonium Faurum.* 125
§. VI. *Confutatio Epist. 2. & aliquot obiectionum, quæ ex priore supersunt.* 134
§. VII. *In tertiam Epistolam breues obseruationes.* 140
§. VIII. *Ex superiori obseruatione breuis Responsio ad septimam, & octauam Epistolam.* 143
§. IX. *Obseruationes in 6. Epistolam ad Raymundum Formentinum.* 149
§. X. *Ex obseruatione in superiorem Epistolam breuis responsio ad Nonam.* 154
§. XI. *Obseruationes in Epistolam quartam Paulo Ratuyno scriptam, & in duas postremas.* 162
ART. V. *Quæ supersunt ex Aluâ vitilitigationes in D. Thomam, eiusque discipulos depelluntur.* 173
§. I. *Defenduntur encomia Alexandri VII. de Sancto Doctore.* ibid.
§. II. *Defenditur elogium Pij quinti.* 177
§. III. *Defenduntur encomia Clementis VIII. Pauli quinti, & D. Francisci, & Concilij Tridentini.* 181
§. IV. *Alia sex Elogia D. Thomæ defenduntur generatim.* 190
§. V. *Refelluntur obiectiones præcipuæ cõtra antiquiora*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [55] - -
PUBLIC DOMAIN

elogia Diui Thomæ. 195
§. VLT. *Alij lapſus Aluæ, & in omnibus pertinacia.* 200
ART. VLT. *Plagij librorum D. Thomæ tria genera refelluntur.* 210
§. I. *Summa Theologica, & ſingulæ eius partes vindicantur D. Thomæ aduerſus Aluam.* 211
§. II. *Catena aurea, aliaque opera minutiora D. Thomæ vindicantur.* 222
§. III. *Vindicantur Thomiſtæ à ſecundo Plagij genere, ſeu à falſatione librorum Diui Thomæ.* 231
§. VLT. *Tertia criminatio Aluæ depulſa, & totius Sectionis concluſio.* 237

SECTIO III.

Fides, obſeruantia, & Pietas Dominicanorum in ſedem Apoſtolicam vindicantur à calumniis ſecundæ Diatribæ. 241
ART. I. *Summa Diatribæ, conſilium Authoris, & breuis refutatio ipſius.* 242
§. I. *Aperitur conſilium Petri & euertitur.* 243
§. II. *Summa calumniarum quibus generatim reſpondetur.* 246
ART. II. *Cultus Dominicanorum in Sedem Apoſtolicam ſincerus & perpetuus.* 249
§. I. *Exempla obſequij Dominicanorum.* 250
§. II. *Alia huius cultus exempla.* 254
§. VLT. *Concluditur argumentum.* 261
ART. III. *Reſpondetur ad tria accuſationum capita.* 263
§. I. *Diſtinctio quæſtionum facti & iuris.* 264
§. II. *Triplex genus quæſtionum & definitionum iuris, vnde reſpondetur ad primum caput ex Rituali, & ex Monte Pietatis.* 268

ART.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [56] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

ART. III. *Responsio ad reliquas quatuor accusationes.* 275
§. I. *Responsio ad quartam obiectionem de voto solemni, & simplici.* 279
§. II. *Responsio ad quintam, & sextam obiectionem, vbi vindiciæ Cani, Bzouij, & Combefisij.* 287
§. VLT. *Responsio ad septimam obiectionem & ad postremam Diatribæ partem.* 303

SECTIO IV.

Dominicanorum in sanctos Pietas vindicata à calumniis tertiæ Diatribæ. 314
ART. II. *Responsio ad singulas Diatribæ calumnias.* 316
§. I. *Saluâ Decretorum Pontificiorum Reuerentiâ, satisfit obiectioni primæ.* ibid.
§. II. *Vindiciæ Combefisij, & Nicolai Iansenij.* 328
§. III. *De Stephano, Hieronymo, Gregorio, Bedâ per Canum, de Chrysostomo, & Martino Papa per Combefisium reprehensis, & de D. Thoma impensius laudato.* 333
§. IV. *Satisfit obiectionibus reliquis diatribæ de Beati Xauerij Apostolatu, instituto Carthusianorum, de Reuelationibus Sanctæ Brigittæ, & nimiis laudibus D. Thomæ.* 347
ART. VLT. *Dictorum ad Diatribam, & toto hoc libro Epilogus, & Confirmatio.* 355
§. I. *Distinguuntur varia Sanctitatis genera quæ non deesse demonstratur Dominicanis.* 357
§. II. *Reuerentia in SS. Patres.* 364
§. VLT. *Cura, & felix successus Dominicanorum in promouendâ pietate populari.* 370

LIBER SECVNDVS.

Defensio Theologiæ Dogmaticæ Dominicanorum &

Thomistarum contra diatribam quartam alioſque libellos ejuſdem Auctoris, & expoſtulationes Carterij. 374

SECTIO I.

Doctrinæ D. Thomæ dotes & illius ac Diſcipulorum eius vindiciæ aduerſus quartæ diatribæ calumnias, 375

ART. I. *Expenduntur 44. propoſitiones D. Thomæ à Theophilo aſcriptæ.* 377

§. I. *Sexdecim propoſitiones falsò D. Thomæ aſcriptæ, aut alio ſenſu, quàm doceat.* ibid.

§. II. *Decem propoſitiones à D. Thoma & Sanctis Patribus exceptæ, à Theophilo reprobatæ.* 383

§. III. *Octodecim Propoſitiones Peripateticæ, vindicatæ in Fidei obſequium, à Petri obiectionibus.* 390

ART. II. *Dominicanorum, & Diſcipulorum D. Thomæ vindiciæ, aduerſus alteram quartæ Diatribæ partem.* 390

§. I. *Defenſio D. Catharinæ Senenſis, Capreoli, & Ioannis à Neapoli, vbi aliqua de Durando, Catharino, Campanella, & Cajetano.* 397

§. II. *Excuſatur opinio Ferrarienſis de Tranſubſtantiatione collata cum opinione de Lugo.* 403

§. III. *Defenſio Cani, Dominici, & Petri à Soto.* 407

§. IV. *Defenſio Bannezij, Pontij Legionenſis, & Carmelitarum diſcalceatorum.* 413

§. VLT. *Defenſio ſex Dominicanorum, quos Theophilus extrema parte Diatribæ diuerſorum errorum accuſat.* 421

ART. VLT. *Laudes, & Dotes doctrinæ D. Thomæ.* 432

§. I. *E ſuperioribus concluditur immunitas Dominicanorum ab omni cenſurâ.* 433

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [58] - -
PUBLIC DOMAIN

INDEX.

§. II. *Elogia D. Thomæ recentia è Cardinali Palauicino, & Alexandri VII. Decreto.* 435
§. III. *Variæ dotes doctrinæ D. Thomæ.* 440
§. IV. *Duæ reliquæ dotes doctrinæ D. Thomæ.* 446

SECTIO II.

Summa expostulationum Carterij. 450
ART. I. *Responsio ad Prolegomena.* 451
§. I. *Examen Epistolæ ad Lectorem.* ibid.
§. II. *Quibus artibus tentata sit Censura in totum Mariales.* 453
§. III. *Leuiores querimoniæ Carterij depelluntur.* 455
ART. II. *Solutio trium Argumentorum quæ Carterius indissolubilia putat.* 458
ART. III. *Aliæ accusationes depelluntur.* 462
§. I. *Censura Historiæ Pennæ à Dominicanis recepta.* 464
§. II. *Duplex querimonia depellitur.* 466
§. III. *Depulsa calumnia grauior de sigillo confessionis.* 468
ART. IV. *Vindicantur Cano, & Bannes à calumniâ læsæ Patrum reuerentiæ.* 469
§. I. *Vindicata sex loca ex Cano.* 470
§. II *Vindicatus Bannes, & detorta in Aduersarium accusatio.* 472
ART. V. *Responsio ad reliquas expostulationes Carterij.* 474
§. I. *Controuersiæ cum Recentioribus de scientiâ mediâ Synopsis.* ibid.
§. *Defensio Sybillæ.* 478

LIBER TERTIVS.

Defensio Theologiæ Moralis Dominicanorum. 481

SECTIO PRIMA.

Refellitur Liber Theophili, qui inscribitur error

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [59] - -
PUBLIC DOMAIN

popularis de communione pro mortuis, à Congregatione Indicis damnatus.

ART. I. *Occasio huius Libri, & nostræ Apologiæ.* 482

ART. II. *Tria subsidia, quæ adueniunt mortuis, ex communicatione viuorum.* 484

ART. III. *Defenduntur tria hæc præsidia contra Sophismata Theophili.* 488

SECTIO II.

Compendium & iudicium controuersiæ inter Theophilum Raynaudum, & Thomam Hurtado, quo demonstratur illa omnia peccasse Theophilum quæ nobis toto libro falso imponit. 495

ART. I. *Iudicium & Compendium controuersiæ de communione pro mortuis.* 496

ART. II. *Theophilus iniurius in Sanctos.* 503

ART. III. *Paradoxa Theophili.* 505

ART. IV. *Mendacia, Calumniæ, & Maledicentiæ in Hurtadum.* 507

SECTIO III.

Compendium & iudicium controuersiæ, de martyrio per pestem. 510

ART. I. *Status controuersiæ proponitur ex Hurtado ib.*

ART. II. *Duo errores damnati in libro Theophili: æqualitas martyrij per pestem cum martyrio Sanguinis refellitur à nouitate opinionis.* 513

ART. III *Secundus locus Argumentorum contra Martyrium per pestem.* 516

ART. IV. *Secundus error ex præstantiâ Martyrij per pestem supra Martyrium sanguinis.* 519

ART. V. *Frustra Doctorum & Academiarum dolo captata suffragia à Theophilo.* 520

ART. VLT. *Retractantur de Patre Nidard temere credita & dicta.* 524

PRÆFATIO

PRÆFATIO.

ARTICVLVS I.

Cauſæ ſcriptionis.

A Deo ingenita eſt pleriſque mortalium maledicendi libido, adeò inueterata mentiendi, & obloquendi licentia, vt omnî veracitatis, conſcientiæ, & ſalutis abiectâ curâ, ingenio ſuo indulgeant; & cum Chriſtiani nominis notâ, cum pernicie Eccleſiæ, Sycophantas agant; ac prius illos vita deficiat, quam a calumniis abſtinere velint aut poſſint. Licet is morbus deterrimus nullo ſæculo defuerit (nam vt ſcitè Tacitus, *Obtrectatio & liuor pronis auribus accipiuntur: quippè adulationi fœdum crimen ſeruitutis, Malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt:*) tamen hoc genus vitij, frequentius & atrocius graſſatum eſt ſuperiori, & hâc noſtrâ ætate, quâ non ſolum impunitatem, ſed etiam præmia, & gloriam obtinuit. Verum, exempla calumniarum præterita æquat, & fortè vincit, vltimum quod præbet libellus famoſus, in ſacram Congregationem Indicis oblique, & in Reuerendiſſimum Patrem Marinum olim Congregationis Symmiſtam, nunc Magiſtrum Generalem Ordinis Prædicatorum, & ſubinde in totum Ordinem euulgatus, tacito non incerto Auctore, à ſtylo & à ſcriptionis cauſâ, quam præ ſe fert & quæ in ipſum ſolum cadit omnibus noto. Ita enim magni nominis, quam boni cupidior, huiuſmodi libellis aſſueuit & innotuit, vt etiamſi occaſionem ſcribendi occultaſſet, ſicuti nomen, ipſi ſoli opus illud

aſcriberetur, & illius auctor omnium conſenſu haberetur; quia vix alius eſt ab illo, qui hæc ſcribere auderet aut poſſet. Hoc laudo quod nomen fictitium apposuerit, quia licet toto opere appareat, quod vltimum ſupereſt, etiam nequiſſimis, bonum pudorem exuiſſe, puduit tamen adeo deploratam cauſam nempe ſuorum librorum prohibitorum errores apertè tutari, & ita rabie agi, vt Iudices æquiſſimos, Eminentiſſimos Cardinales, omneſque Congregationis adminiſtros traducat conuiciis, & velit ipſam Congregationem indicis funditus tolli.

Vbi ad meas manus peruenit opus illud, & licuit legere, fateor, *Dolore contabui, & obrigui timore* (vt Auguſtini verbis vtar) eodem ſtupore percuſſus; quo ipſe dum Ruffini in Hieronymum, & Hieronymi in Ruffinum ſcripta legit. Nec mihi viſa cauſa diſſimilis, niſi quod noſtra ſit atrocior, & Eccleſiæ pernicioſor, quia ex priuatæ, ac fictæ iniuriæ ſenſu videtur Claſſicum canere, vt Ordines quietos, & concordes prouocet ad bellum apertum, cum bonorum gemitu, & ludibrio impiorum.

Diu multumque dubius hæſi, præſtaret ne tot mendacia, tot calumnias refellere, aut omnino contemnere, & ſilentio præterire. Vtrinque plurima rationum momenta vrgebant: Occurrebat primum illud ab vno ex ipſius Authoris ſodalibus dictum; *Sycophantæ* (quam ipſe perſonam ſtrenuè & gnauiter gerit) *Genus eſſe dæmoniorum quod cùm ſuperbiſſimum ſit, ſolo contemptu abigitur & domatur.* Adde, libellum nihil aliud eſſe, quam colluuiem mendaciorum, & ſordium, quas mouere nequeas, quin inficiare, & alios fœtore quem afflant, grauiſſimo eneces: nec poſſis cum aduerſario adeo lutulento congredi, quin vitiorum ſuorum aliquid tibi affricet, & illa dum reffellis, videaris in ſpeciem imitari. Nam ſepoſitis mendaciis, & calumniis quibus numquam licet aduerſus quamlibet mendaces & impoſtores vti; ipſa vis veritatis exertè prolatæ, reputarabitur habere aliquid audaciæ, & petulanciæ, quibus opponitur calumniarum, quæ adeò atroces ſunt, vt penè piaculum ſit retuliſſe.

Hæc aliaque plura ſilentium ſuadebant: ſed cum à

pluribus annis, Author libellum ipso titulo horribilem, qui ingenium parentis resipiat, *Religionem bestiarum* nuncupatum ediderit, & illi frustra animi constantiam & modestiam religiosam, quam ignauiæ & inscitiæ adscripsit, obiecerimus: si ijsdem armis pugnemus, triumphabit; & nos quasi victos, & deiectos conculcabit. Vt ergo agnoscat nec animum, nec vires Dominicanis defuisse, denunciamus, nos hactenus silentium seruasse, vt paci & modestiæ consuleremus; si nunc per illum non licet nec quiescere nec tacere, sibi imputet quæcumque in nos congesta gratuito, & falsò conuicia, in ipsum iustissimè, & verissime regerentur.

Filium Crœsi à natiuitate mutum studio defensionis paternæ, factum vocalem ferunt. Cùm enim vidisset sicarios in Regem patrem impetum fecisse, tanto conatu adiutum iuit, vt vocis impedimentum abruperit. Parricidij genus esset, si è vocali mutus fierem, si Patri, & meo Ordini deessem, cum videam nescio quem, iniuriæ nescio cuius, certè confictæ, aut nullius causâ, iniquius & crudelius in Patrem Generalem, quam soleant siluarum grassatores in viatores sæuire. Religionis Dominicanæ matris, quæ à tot annis me sinu suo fouit, quæ me doctrinę & pietatis lacte aluit, degenerem & ingratissimum filium me proderem, si vllum ipsius causâ periculum, detrectarem: Si tela in ipsam mendaciorum, & calumniarum amento contorta obiectu proprij corporis, exipere, vel inuictæ veritatis Clypeo repellere, recusarem. Verum hæ tres, à me enumeratæ causæ, repetitæ vel ab aduersarij in lacessendis Dominicanis importunitate, & audaciâ, vel Patris & Matris, iustâ defensione, vix ad illam suscipiendam vrgerent, nisi me quarta, id est, totius Ecclesiæ bonum commune, silentium abrumpere cogeret. Sic enim iandiu Dominicani modestiam & patientiam in mores induxerunt, ut ab æmulorum calumniis, vno silentij & humilitatis clypeo, se se tutati sint: quod ignorantiæ imperitiæ, atque ignauiæ ascribit Theophilus, sed quâ veri specie, satis demonstrat hæc Apologia à Dominicanorum infimo, vix vno mense & dimidio festinata, potius quam maturata: neque seruati religiosissimi silentij nos pœniteret, nisi inde Theophilus animos

sumpsisset, & incredibili audaciâ in Eminentissimos Cardinales, in summos Pontifices inuectus, eos quasi cæcos, stolidos, & omnis æquitatis atque officij oblitos accusaret; quod Authores, de re literariâ, & de totâ Ecclesiâ bene meritos, quod libros reconditæ, & sinceræ doctrinæ, damnent *ad libidinem vnius*, vt loquitur, *Fraterculi*; Libros vero Dominicanorum licet erroribus scateant, non solum à censuris eximant, sed eos etiam patiantur sæuire in innoxios, illosque perpetuo insectari. Certè aut nullâ fuit vnquam atrocior iniquitas, non solum Dominicanorum, sed etiam totius Ecclesiæ, si vera narret Theophilus; aut nulla, execrabilior contumelia, si hæc comminiscatur. Ne igitur tantam infamiam creet Summis Pontificibus, & toti Ecclesiæ, necesse omnino fuit, vindicare Dominicanos, à calumnijs Theophili, quod ita apertè factum est, toto hoc libello, citra cuiusquam offensionem, & cum inculpatæ tutelæ moderamine, vt si Petrus ipsâ veritate, vel modestiâ nostra, non resipiscat, sed suo more noua mendacia, nouas calumnias cudat; constituerim Proto-martyris Stephani exemplum imitari, qui spe salutis Iudæorum animatus, primum in illos acriùs inuectus est; at vbi vidit remedij impatientes, immedicabiles esse, zelo in commiserationem mutato, ex censore factus est aduocatus, & quæ apud reos exagerabat crimina, & vrgebat his verbis: *Incircumcisi corde, vos Spiritui Sancto semper restitistis*; Apud Deum alijs verbis excusabat, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Sic ego cum Petro agam in posterum Stephanum imitaturus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Theophilum dictis suis omnem fidem abrogare, perpetuâ calumniandi licentiâ, & vindictæ cupiditate.

SENECA prouidentiam defensurus aduersùs Impiorum calumnias ita paucis præfatur. *Rem faciam non difficilem, causam Deorum agam:* & cum eodem loci, inter viros bonos, & Deum, statuat conciliante virtute, adeo

arctam amicitiam, vt necessitudinem ac similitudinem vocet, & bonum velit æmulum Dei esse, veramque progeniem; Nihil mirum fuerit, si fide edoctus, quæ hic Philosophus ratione naturali assecutus est, aut subodoratus, iustos Dei filios nominari, & reipsâ esse, Iudices vero sacros, propter bonitatis characterem, potestatis consortio, Deos à Prophetâ pleno ore appellari; vtrosque defensurus, rem facillimam me facturum putem, cum bonorum & iudicum causâ, Diuinæ similima sit, aut potius omnium vna.

Nihil opus conatu, vel apparatu magno, ad propugnandam quam suscipimus causam, aduersus accusationem Theophili; Cùm ipsemet, quæ vnâ manu astruit, alterâ euertat, & continuâ obloquendi licentiâ, calumnias suas refellat.

Sicut plerisque in bello, plus ad victoriam confert ignauia, aut socordia hostium, quam propria virtus; ita in hâc quam inituri sumus pugnâ, nihil periculi imminet ab Aduersario; Imo ab ipsius imprudentiâ plus adiumenti speramus, quam à nostrâ industriâ. Ita enim aperte, mentitur, sic omnem eiurat veritatem, ita se iniuriæ propriæ sensu transuersum agi demonstrat, vt dum aliis calumniam frustra instruit, sibi paret damnationem: ac proinde quæcumque in nos congerit calumniarum plaustra, in ipsius caput, & dedecus resiliant. Nec vllus sapiens est, aut probus, quin lecto eius libello, iudicet nil nocuisse ijs, quos tanto furore impetit, sed sibi tantum calumniatoris nomen, probis omnibus dolores & gemitus, infirmis scandala, infidelibus summum gaudium peperisse. Hoc vnum me vrit, & vrget ad defensionem communis matris Ecclesiæ, quam sine dubio crudelius, filiorum quam hostium manus cruentæ, dilacerant: Illius portionem non contemnendam (vt modeste loquar) Dominicanam Religionem, quæ illi semper præsidij, & clypei, nec non etiam ornamenti loco fuit, vnius hominis furor, vindictæ, non boni communis studio, omni telorum genere euertere nititur: Quo successu antequam partibus ostendatur, in vniuersum, Expendo his tribus præiudicijs, quæ omnem illi fidem abrogant; & quæ paucis repeto à scriptionis Authore, causâ, & stylo.

In hominis natalia non inquiro, quia renatis in Christo nec de claritate generis minium gloriari licet, nec alijs stirpis ignobilitatem improperare. Multominus mihi permitto eius mores ad examen vocare, & si scirem minus probos, vellem ab aliorum oculis subducere, quia paro calumniam repellere, non reponere: satis est ad rem nostram demonstrare hominem istum, ita indole, natalibus, studio, ad rixas, ad conuicia, comparatum, vt nec ipsis pepercerit, quos maxime reuereri, & quorum si quæ essent vitia, occultare debuerat. Inter Phocensium & Allogobrum saxa montesque nato, contigit ingenium solo natali simile, indomitum, contumax, & vindictæ appetentius, inquies, cuitixæ, contentiones, ludus & deliciæ: cui conuicia eloquentiæ flores, quibus gloriatur se *Theologia sentes amantasse*. Id certe mirandum; quod sanctissimæ Religioni, cui nomen adolescens dedit, disciplinâ, tot exercitationibus pijs, tot Sacramentorum frequentiâ, tot exemplis effici non potuerit, quin totam vitam in disceptationibus transegerit, quæ non aliud operæ pretium, aut fructum, quam iurgia & scandala, proborum dedecus, & hostium Ecclesiæ risus, & cachinnos pepererunt. Cæteris, quæ huius rei fidem faciunt, prætermissis Argumentis, duo attingam satis nota, quibus constabit, nil sacrum, eius ingenio & calamo: quorum intemperantia illum reum peregit læsæ-Majestatis Principis sub quo natus est, & violatæ reuerentiæ, in societatem, quæ illum ab infantiâ ad omnem pietatem, & scientiam finxerat, & Instruxerat armis, quæ in Ecclesię hostes distringeret, non in Domesticos fidei, nec in caput Principis, vel in viscera materna intorqueret. Vtriusque criminis leuissimam, præ culpæ magnitudine pœnam luit, iniectus bis in carcerem. Genus offensæ in principem omitto: Multo certius & atrocius est piaculum in matrem, quod iure parricidium appellaueris, non dissimile facinori, quod in nos admisit, longe tamen gradu dispar, licet genere conueniant; & ideò a me referendum, vt vnum comparatione alterius eluceſcat, aut potius Authorem obscuret.

Societatis Authori Sanctissimo nil carius, nil pretiosius fuit Euangelicâ paupertate, quâ socij supra ipsos

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [66] - 6
PUBLIC DOMAIN

Religiosos Minores videntur eminere, quia illis D. Ignatius nullum ius ad stipendia, ad reditus annuos, saltem in domo professâ permittit, vnâ facultate recipiendi, quæ sponte errogarentur contentus, ius omne abdicauit repetendi etiam quæ legato darentur; & si quod prædium habere illis licet, ad rusticandum concessum est, non ad serendas, aut metendas segetes, & si quæ ibi nascuntur, non vsui ad panem, sed tantum iumentis ad pabulum dari possint: atque ita est cordi, Religiosissimo ac sapientissimo Theologo Suaresio hæc arcta paupertas, vt illi Religioni sit, prædij gallinas adeo soboleſcere, vt carnes, vel oua, vel obsonium aliquot dierum, Patribus sufficiant; quamuis hunc scrupulum ab eisdem suis socijs, longe amoueat Cardinalis de Lugo IV. Consiliorum dub. 10.

Thesaurum istum paupertatis pretiosissimum, à partibus accusationes grauabant, filios dilapidasse, Patre testamento relictum, multæ è varijs orbis & altissimam paupertatem, qua volebat abundarent, in diuitias simplicitatis Christi, labefactasse, ac penè euertisse. Indiarum mercatores conquerebantur, intepuisse ac penè extinctum esse, nostri temporis & noui orbis Apostoli Xauerij zelum, qui egerrimè ferebat, prius auri conquirendi, & auaritiæ, quam Euangelij, aut salutis animarum causâ apertum nouum orbem: Nunc autem ordine præpostero, Euangelicos magis vniones quærere, quam animas, lucro inhiare, & mercatoribus occasionem captandarum opum præripere. Has vociferationes Societatis æmuli arripiebant, imo & hæretici, ac suis artibus ita augebant, vt viderentur fidem facere, & conflare inuidiam, mutatæ in Mercaturam prædicationis Euangelicæ, aut saltem eius contagio ita corruptæ vt cum solam esse conueniret, vix postremas partes obtineret. Inter has litteratorum & Mercatorum confusas voces, tacere non potuit Author noster, & cum accusationes falsas, suscipere debuisset refellendas, & totis viribus insontem matrem propugnare, visus est potius accinere accusationibus, & ad illorum partes accedere. Maluit alienis inuidorum testimonijs, quam proprijs oculis id est Innocentiæ domesticæ experimentis fidem habere. Itaque furtiuo

prælo ſuum Hipparcum ſeu de Religioſo negotiatore diſceptationem edidit, quaſi vellet *negotium* aliquod *in tenebris perambulans* in lucem proferre. Certum eſt plus hoc libello, quam toties iteratis hominum vociferationibus, ſiniſtram & falſam vulgi de minus ſancte ſeruatâ paupertate opinionem eſſe confirmatam, & plus filium intemperantis linguæ & calami intuliſſe damni, quam omnes aduerſariorum & hæreticorumconatus.

Si in viridi, quid in ſicco? Si Theophilus ſuis ita fuit noxius & exitialis, quæ mala vel importabit vel molietur ijs, quibus apertum bellum indixit, quos totâ quâ valet eloquentiâ, quaſi Pontificum, Eccleſiæ; bonorum omnium, ac penè generis humani hoſtes traduxit? Tanti fuit libellos de Martyrio per peſtem, ac de Communione pro mortuis ſuffragio Congregationis Indicis eſſe damnatos, vt viginti aut pluribus exactis annis, tantam peſtem, aut perniciem neceſſe fuerit in totum Ordinem Dominicanuminferre, vt neſcias an odium, quo in Illum flagrat, & quod ſingulis verbis emicat, exſaturare poſſet, etiamſi terra detriſceret, vt illum abſorberet.

Quis credidiſſet ſub animo illius qui in ſortem vnum Deum abdicato ſæculo elegerat, quaſi ſub cinere doloſo, tot annis potuiſſe latere conſilium vindictæ adeo atrox, & non ſolum a Chriſtianiſmi, ſed etiam ab omni humanitatis ſenſu alienum, vt omnium hominum admirationem ſuperet, ſenem, ſacerdotem, religioſum, ſe ad mortem cui proximus eſt, & ad Dei Iudicium, quod imminet, paraſſe hoc libello famoſiſſimo, quo religionem, & ſubinde totam Eccleſiam ridendam Impijs propinat. Ille eſt tandem cantus cygni quo voluit extremam vitæ partem concludit. Quid ad iſtam amarulentiam & perpetuam iniuriarum memoriam, quarum ſenſum Euangelium prohibet vſque ad ſolis occaſum ſeruare, & quâ viginti, & amplius annis flagrauit, dicent non Angeli, non homines probi, ſed ipſimet Infideles, quorum ſine dubio moderatior eſt & minus diuturna minuſque flagrans ira, & vindictæ cupiditas.

His præiudicijs ab Authore, à causâ, à ſtylo ſcriptionis repetitis, videor rem confeciſſe: quia hoc habet ſaltem boni libellus iſte famoſus, quod ſcor-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [68] - 8
PUBLIC DOMAIN

pionis more vulneri a se inflicto remedium præbeat. Quæ namque fides habenda illi qui tam apertè præfert iniurię sensum, & vindictæ cupiditatem; qui mortis & iudicij Diuini omnino immemor, falsa quæque comminiscitur, vt damnationem iustam libellorum iniquè vlciscatur.

Quod a me, his alijsque locis insinuatum est, de tribus a Petro in suos exaratis libellis, sumptum est ex vulgari, quæ apud multos inualuerat opinione; sed eam eleuauit, aut in totum sustulit, vel certè in summam Societatis laudem vertit postrema operum Theophili Lugdunensis Editio, in quâ nullus horum librorum, qui credebantur in illam scripti desideratur; quod Argumento est, aut falsam esse eam opinionem, aut hujusmodi libros non nisi calumnias habere in Societatem, adeo suæ innocentiæ securam, vt exemplo illius cuius nomen præfert, & verbis *Quis ex vobis arguet me de peccato*, nihil dubitet exteros vel domesticos prouocare: nec minus forti animo illorum falsas ferat accusationes, aut conscientiæ testimonio etiam tacita aspernetur, quam validis possit cum libuerit argumentis confutare.

ARTICVLVS TERTIVS.

Refellitur Epistola libelli ad Lectorem.

LICET mali perinde ac boni nusquam à modicis principijs repentinus fit progressus ad summum; eo tamen euasit Theophilus, aut potius in profundum delapsus est ipso libri limine ac præludio vbi vindictæ cuius diximus cupiditate flagrare, abreptus, ita sæuit in homines Deo sacros, ita ludit de rebus sacris, & immunitatis Christianæ & Ecclesiasticæ nomen venerandum, in adeo profanas, ac turpes acceptiones vsurpat, ad dedecus Dominicanorum, vt videatur humanitatis, & Religionis sensum fere exuisse. Placet illi Hæreticos imitari, qui de ritibus ac nominibus Ecclesiasticis, per summam impietatem rident, ac iocantur. Certè cum Spiritus nequam, & Dei atque humani ge-

neris hostis, *Cui nomina mille, mille nocendi artes*, omni machinarum, & armorum genere Ecclesiam euersum & perditum eat; Nullum videtur in illam telum potentius & feralius intorsisse, ijs impiorum libris quibus rebus & viris sacris illuditur, & grauissima quæque Mysteria quasi ridicula traducuntur. Huius generis scriptorum Auctor & facilè princeps est Lucianus a fide Christianâ Apostata, & Religionis contemptor, quam eo periculosius aggressus est, quod ludibriis, quibus illam dehonestauit, ingenij acumen, & eloquentiam meliori argumenro dignam adiunxit. Huius impietatis multos imitatores; ingenij, eloquentiæ & styli paucos habuit.

Ab illo propius abfuit Erasmus cui nil sanctum fuit, a cuius contemptu & irrisione abstineret, vt demonstrat, præter colloquia, infamis libellus, cui *Moria* titulum dedit: atque toto illo opere in Christum, in Apostolos, & Diuos omnes, Iudæis, & Tyrannis eò crudelibus sæuit, quod non tormentis Martyrij gloriam illis paret, sed eorum contemptum ludibrijs inducat in animos, & omnibus ridendos subijciat. Hos superioris & nostri sæculi, quo ingeniorum cultus in lasciuiam, & impietatem degenerauit, Auctores, hos Dei, Diuorumque sacrilegos contemptores, & veros Atheos, non est dedignatus imitari, Religiosus professione, sacerdos gradu, qui se Theologum profitetur etiam senio confectus: ea scribit, quę in Iuuene lasciuiente, quæ in Ethnico, seueriſſimè castigares. His gloriatur & triumphat homo Christianus, qui quotidie ad Altare Deo sacrificium offert, & gloriam constituit, in ijs infamia notandis, quos reuereri debuerat. Duos Gallia habuit hoc sæculo Theophilos, Poetam & aulicum vnum, Theologum, & Religiosum alterum, re quam nomine similiores, nisi quod ille liberioris vitæ, hic linguæ petulantioris fuit, quod ille ingeniosior, iste calumniator apertior. Hoc etiam ab illis Auctoribus, quos supra nominaui distat, quod illi fabulas fingant, rideant, non sine impietate, sed ad minus sine amarulentiâ; at iste subsannationes habet, sarcasmos, sales nullos; & ludibrijs quibus proscindit optimos quosque amarulentiam adiungit, & vindictæ rabiem.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [70] - 10
PUBLIC DOMAIN

Suâ ad lectorem Epistolâ non solùm argumentum aperit, sed etiam animum & ingenium; de Immunitate ludit; dicit pluribus gaudere Dominicanos, quas pudet referre, adeo ipse inuerecundè agit. Erasmus præfatione in suas ad Senecam notas, de Authore Iudicat exactissime; & hoc maxime reprehendit, quod licet seueriſſimus sit vitiorum Censor in his tamen describendis, ita videtur suo ingenio indulgere, vt illa potius subijciat docenda, aut prosequenda, quam odio habenda, ea narret, quæ saluo honore aurium referri nequeant. Si Erasmus etiam ipse liberior nolit Philosophum contingere turpia, vt illorum horrorem Ingeneret, quid censuisset de Sacerdote, de Theologo, de Religioso, de Sene, qui lapsus aliorum fingit, & eâ verborum licentiâ euulgat vt videatur non solum de casu proximi voluptatem capere (quod charitatem extinguit) sed ipsâmet narratione delectari? quod quâ ratione Religioso & seni conueniat, ipse viderit. Ludit etiam verbo Immutatis, & quasdam Infames nobis affingit. Quam dissimilis est Becano societatis Theologo, qui de priuilegijs & immunitatibus Caluinistarum agit! sed quod Becano sunt Caluinistæ, hoc sunt Theophilo Dominicani, nisi quod modestius & minus hostiliter agat ille in Hæreticos, quam iste in Religiosos.

Placuit alias mihi maximè Becanus suâ de tredecim Immunitatibus Caluinistarum dissertatione, quas ego postmodùm meo quodam opere ad numerum Senarium reuocatas, per ludibrium, *Mare magnum Caluinistarum* vocabam: hoc ordine, quod illi solâ a parentibus Christianis origine, primo Conceptionis momento, ita sancti & puri, & a Deo edocti sint, vt nunquam in posterum vel à gratiâ excidere, vel aliquo Errore à fide deficere possint, & maternus vterus etiam incestus, etiam adulter, modo Christianismum mater aut pater profiteatur, est illis primùm Baptisterium, quo iure communi se habere aiunt Caluinistæ omnes, vt à peccato originali sint immunes. Secundo idem vterus est illis cænaculum Hierosolymitanum, quò delabitur Spiritus Sanctus, & eos sicut die Pentecostes Apostolos, ita in gratiâ firmat, vt ab eâ numquam imposterum excidere queant. Tertio est illis sacrarium vbi omnes vnguntur

in Sacerdotes, vt ſpirituales hoſtias Deo offerant. Quarto eſt illis tribunal Confeſſionis, vbi in anteceſſum ita ab omnibus peccatis futuris abſoluuntur, vt nullus illis imputetur unquam ad damnationem. Quinto eſt illis Academia, vbi à Deo ita imbuuntur de rebus fidei neceſſarijs ad ſalutem, vt nullam poſſint ignorare vel etiamſi vellent errare. Vltimo maternus vterus eſt illis veluti Cancellaria, vnde literas habent, quibus immunes fiunt ab omni voto, a legibus omnium principum, & etiam à lege Diuinâ, hoc ſaltem ſenſu, vt licet in illam peccent, nullum ex eo peccato ſalutis periculum aut damnum creetur, quia Caluiniſtis peccata non imputantur. Hæc cum tuo Beccano contra Hæreticos de immunitatibus ageremus, Theophile tanquam in Eccleſiæ hoſtes, niſi tu Catholicis bellum moueres argumento, aut ſaltem titulo immunitatis non diſſimili. Quid putas, dicturos probos, quid ipſos Hæreticos, cùm viderint quæ Beccanus & nos in ſe expedimus arma, verti à te in Catholicos? An dum hæc ſcriberes, non timuiſti, præter illud quod modo ſuggeſſi, horribile ſcandalum, ne tibi ſicuti poſſem, & quidem verè ac iuſtè reponerem pares immunitates etiam a lege Diuinâ, à quâ ipſimet Hæretici immunitatem obtendunt, non culpæ, ſed pœnæ, at vero tu videris vtramque inducere & alijs polliceris.

Nos, mi Petre, ita inſtitutione Sanctiſſimi Patris noſtri Dominici, & Diui Thomæ documentis ſumus è primis Religionis elementis inſtituti, vt leges diuinas non ad probabilitatum Lesbiam regulam, ſed ad tenorem inflexibilem SS. Patrum interpretemur; atque eodem quo intelligimus, ſenſu totis viribus implere nitamur, & alios doceamus implenda. Si quid humani nobis aut noſtris accidat, ingemiſcimus, dolore, & zelo tabeſcimus; nec de immunitate nobis applaudimus, vel alijs blandimur, ſed legem noſtris & aliorum obtutibus obijcimus tamquam Iudicem nos prædamnantem; hic eſt omnium noſtrùm ſenſus de legis Diuinæ vi. Quis vero tuus ſit ſatis demonſtraſti libello adeo licenter ſcripto, vt dete dicam nullo iudicij temerarij periculo, quod de nonnullis dictum circumfertur; puto te habere alium Decalogum ab illo quem a Dei manibus ſuſcepit Moyſes;

puto te magis sequi illum Anti-decalogum, quam non mihi ignotus vir doctissimus scripserat cum hoc titulo, *Tempus faciendi Domine dissipauerunt legem tuam*: & tandem credo, te ad minus assentiri pluribus ex centum triginta articulis quos ex variis vestris Authoribus collectos contra Decalogum militare censent plurimi. Hæc ne credas ad communem inuidiam vllius ordinis dicta, quia nullum commune bellum suscipio, sed ad deffensionem contra tuas immunitates, & calumnias. Sed antequam respondeam singulis partibus tuæ primæ Diatribæ, necesse est aliquid præfari de his quorum conuicijs totum tuum opus respersisti.

ARTICVLVS QVARTVS,

Conuicia Theophili in Magistros totius Ordinis Dominicani, & Sacri Palatij.

NEc dubito sane quin Theophilus illam sibi a lege Diuinâ immunitatem asserat: alias qui fieri posset, vt homo Christianus tot & tanta peccaret, confingeret atrocia in dedecus aliorum, nec quicquam pensi haberet, nisi certus esset se hæc omnia impunè & innoxiè facere? Sed quo argumento id sibi persuadet? Nempe probabili illa opinione, quam pater Di-castillus acerrimè defendit aduersus P. Valerij è Germaniâ ex Capucinorum Ordine Concionatoris celeberrimi accusationes, cui plures alij subscripserunt; scilicet calumniam quamlibet & falsam quâ virum integræ famæ & vitæ Atheismi, veneficij, principis & patriæ proditionis accuses, dummodo aliqua deffensionis tui causa non desit, ad summum venialia esse peccata, ratione mendacij quod admisces; sed nullum inde creari damnationis periculum, & aliunde maximum existere posse instituti emolumentum.

Iurarem Theophilum in eâdem cum Di-Castillo esse sententiâ: & inde profectam illam mentiendi & calumniandi licentiam, semoto omnis lethalis peccati vel damnationis metu. Quid enim illo præsidio tutus, his armis instructus, non moliatur in Dominicanos? sed

omnia possumus vno verbo infringere, & delere cùm prænominato Valerio, mentiris impudentissimè præsumptâ opinione, quaslibet enormes calumnias leuia tibi esse peccata, & loco esse mendaciorum quæ officiosa vocant. Verum paucos habebis qui tibi assentiantur, & licet conscientiam semoueas, & æternum Dei Iudicium; potuisti ne saluâ humanitate, tantâ conuiciorum illuuie probos omnes fœdare? Certe cum multis nominibus tuam scriptionem inuisam, ac pænè execrecabilem feceris bonis omnibus, tum illud maximum stuporem & horrorem incutit legentibus, quod passim toto libello irrideas, traducas, laceres, sarcasmis, conuicijs è triuio, Illustrissimos & religiosos viros, quorum (nisi omnem humanitatis sensum deposuisses) natalium splendor, maiorum gloria, propria virtus, locus quem in Ecclesia occupant, a te exigebant, vt sin reuereri nolles aut præ invidiâ non posses, esses animo in illos minus hostili, & infenso. Præcipuam tui operis partem imples improperijs in Reuerendissimos patres Ioannem Baptistam à Marinis, & Raymundum Capisucchium, quæ nescio an plus habeant amarulentiæ, an contemptus, an atrociora sint, an magis ridicula. Certasti cum Hæreticis impietate, cùm sycophantis calumnijs; nec laudem quam scio te maxime ambire, tibi præripiam; præterita malitiæ exempla facile superasti.

Sed antequam vltra progrediar, id velim scire, quis te docuerit Theophile, præstantissimos & clarissimos Patres Richardium, Rodulphium, alioque illiustribus in Ecclesiâ defunctos officijs, solo *Fratris* titulo compellare. An ignoras viros istos grauissimos, & Sacerdotij dignitate, & præfecturâ & sacris muneribus Patres esse? Mirum est, tibi quamuis plurimis annis in ea Religione instituto, in quâ vrbanitas regnat, nil tamen vrbanitatis potuisse ad hæresscere. Adeo insuperabilis est rusticitas, vt quem *dedit natiuitas, rigor non potueritlentescere.* Sed vt ad Reuerendissimum Patrem Generalem redeamus; scis quem lacessas & carpas, dum totius Ordinis Dominicani Generalem Magistrum laceras, & quod horret animus referre, præ alijs titulis *Opinionem Arcadiæ*, vocas? Is est Diui Dominici successor, caput Ordinis toto orbe latè diffusi, quem

ſummi Pontifices, quem Reges & Principes honore proſequuntur.

Nihil attinet Reuerendiſſimi Patris Marini præclarum genus referre, quod multi certis indicijs ab Imperatoribus repetunt; ſed vt viciniora attingam maiorum ex paternâ & maternâ ſtirpe decora; ab illa habet Leonardum Marinum ordinis noſtri Archi-Epiſcopum Lancianenſem, quem Concilium Tridentinum inter Patres eximium, & ſapientiſſimum, Aula Regis Catholici, trium Summorum Pontificum Nuncium habuit, & mirata eſt: & cauſam Societatis, dum in Hiſpaniâ degeret, validiſſimè defendit; & quod his omnibus maius reputo, Catechiſmum Romanum cum Foreiro, & Foſcarario Dominicanis compoſuit, opus plane diuinum, quod poſſit ſuos Authores immortalitate donare. Habuit ex maternâ ſtirpe Vincentium Iuſtinianum auvnculum, qui non diſſimilis virtute Marino, ſuperauit Magiſterio Generali Ordinis noſtri, & additâ dignitate Cardinalitiâ, à quâ iam debita & parata mors Leonardum ſubduxit.

Horum duorum nepos eſt Pater Marinus, quem Theophile tibi laceſſendum & lacerandum ſuſcepiſti. An quo cares, Natalium eius ſplendorem ſpernis, & totis viribus is maculatum? Et qui inter tuos maiores, non niſi baiulos & foſſores numeras, placuit tibi conuicijs proſequi eum qui citra jactantiam poſſet de Imperatorum proſapiâ gloriari: & quem virtus & merita, & vita innocenter acta, ad Magiſterium Ordinis per electorum vota ipſo Summo Pontifice Innocentio X. approbante euexerunt, malignè & falſò immeritum & intruſum calumniaris Generalem, qui his gradibus ad Ordinis Magiſterium conſcendit. Quâ fronte etiam obtrudis ignorantiam Grammatices, & Theologiæ, illi qui Salmanticæ per octo annos decurrit Philoſophiæ, & Theologiæ Spatia, & ſupra viginti defunctus cum ſummâ laude munere Congregationis Indicis Secretarij, Summos Pontifices Cardinales habuit ſuæ virtutis & ſcientiæ teſtes & præcones. Sed vt video Infauſti ominis tibi eſt Marini nomen, & ad illud toto corpore cohorreſcis, quod ſubſcriptum videas Decretis, quibus libri tui configuntur. Sed quid

propterea commeruit, qui nequidem ſuffragio tibi nocere potuit, & prolatæ ab alijs ſententiæ Secretarij nomine ſubſcripſerit.

Sed fruſtra tanti odij in illum cauſam inquiro, certè non alia horum malorum origo eſt, quam quod tu moribus Reuerendiſſimo Marino diſſimillimus ſis: nam ipſe totus ad humanitatem, ad bene de omnibus merendum natus; tu vero ad vindictam totus ſis compoſitus. Quod etſi alia exempla deeſſent, demonſtraret cauſa quam præ manibus habemus. Verè enim dicere potes cum Luthero in Lipſicâ Diſputatione ab Ecchio fortiſſimo Athleta victo, *hæc cauſa non eſt propter Deum cœpta.* Sed ſi huius diſceptationis principio Luthero accedis, Deum precor, ſis fine diſſimilis, nec ex animo aut verè cum hoc Apoſtata reprobo adiungas, *Nec propter Deum finietur.* Te vero gratuito malum innocentiſſimos viros laceſſiuiſſe, tota vrbs & Aula Romana imo totus Orbis Chriſtianus agnoſcit, & fert ægerrimè.

Quidquid ergò obtendas, & vocifereris in Dominicanos, odiorum cauſa eſt, quod Officia occupant, & exercent, quæ tibi tuiſque velles; hinc dolor, hinc lacrymæ. Hanc demonſtrationem de intimo animi tui ſenſu confirmat collatio ipſa ſcriptionis, & cauſæ quæte ad ſcribendum impulit. A duodecim annis aſſumptus ad Magiſterium Ordinis, a negotijs Congregationis Indicis omninò abſtinuit Pater Generalis: examen ac damnatio librorum tuorum pluribus annis eius electionem præceſſerat: Iniuriæ, quæ non fuit illata, ſenſus apud Religioſum & Chriſtianum nullus eſſe debebat, aut ſi omnino euitari non poterat præ infirmitate, ante ſolis occaſum ex præcepto Euangelico extingui oportebat. Antiqui Saturno olei vrnam ſacrificabant; quo ſignificarent, tempori, cui præeſt Saturnus, maximam ineſſe vim ad Leniendos quoſcumque affectus, & dolores. Hinc Cicero illud protulit; nullus eſt dolor, quem longinquitas temporis non minuat, atque molliat.

At tu inter montes & vrſos natus, adeo es rudis & indocilis, vt contra naturam viuaciores apud te emicent & flagrent iræ, & vindictæ affectus: & quem eâdem die, quâ non data, ſed a te accepta eſt occaſio, excuſare potuiſſes, ac debuiſſes iniuriæ ſenſum, poſt

duodecimum

duodecimum, aut vigesimum annum vehementiorem effundis. Si quid tibi à viro humanissimo acciderat, quod displiceret; multa repetere poteras, quæ in tuâ Ethicâ collegisti ex Philosophis, ad comprimendos iniuriæ sensus, & vindictæ motus. Sed illa videris scripsisse ad aliorum salutem, & ad tuam perniciem: vt quotquot aduocasti Philosophos; sint vltimo Iudicio contra te testes futuri, qui damnent illud odium implacabile, omnis rationis & gratiæ remedio immedicatum. Quod verò P. Marino simile quid in Societatem affingis, ipse depellit, eo quo post tot illatas iniurias Decreto, D. Ignatij Officium toti Ordini recitandum celebrandumque indicit, & vltimo Generali Capitulo præcipit omni officiorum genere prosequi Societatem.

ARTICVLVS QVINTVS.

Totius operis Partitio, & Noua forma.

HVIVS Præfationis exordio diù dubitatum esse dixi, an è re nostrâ, & totius Ecclesiæ esset, Theophili Satyras silentio prætermittere, & contemptu refellere, vel scripto; sed cùm vtrinque rationum momenta occurrerent, visum est diuersas Sententias sic posse conciliari, vt nec operosa defensio adhiberetur, nec omninò nulla: nec iusto prælio, sed velitatione, aut potius castigatione quâdam ageretur cum huiusmodi Authore: neque enim tanti est, neque eo honore dignus, vt viri sapientes longi temporis, & laboris impendio, illum suscipiant impugnandum. Sed placuit alicui in scribendo Tyroni, qui in illo genere sui nullum vmquam specimen dederit, aut fecerit operæpretium ut refutandum relinquere, atque huic scriptioni pauchilmos dies impendere, eosque qui caniculæ æstus intolerabilis causâ, ad nullam rem seriam opportuni sunt, & quibus vix interspirare liceat. Atque ita contrariæ Sententiæ quæ responderi volebant, aut negabant oportere, in vnam conuenire videbantur: quia hæc responsio extemporanea, cùm parum absit à silentio, multum habet iusti contemptus Authoris; quo vno genere pœnæ

nec iuſtius illius libelli Author, nec acerbius caſtigari potuit. Sicut enim Chriſtus, ad abigendos ab obſeſſis corporibus Dæmones, nec Apoſtolorum potentiâ & miraculis, nec Doctorum ſapientiâ, nec auctoritate Præſulum aut ſacro Sacerdotum charactere, & ore quod Chriſti Corpus conficit, vtitur, ſed Exorciſtas adhibet, ideſt, infimos Eccleſiæ Miniſtros, quibus Dæmones ſubiecit ad conculcandam Spirituum rebellium ſuperbiam: ità conueniebat Chriſti exemplum imitari, neque ad hunc Authorem refellendum opus fuit Godoi Salmanticenſis Academiæ lumen, aut Nicolai Pariſienſis par ornamentum, aut Combefiſium a ſuis ſtudijs auocarè; ſatius fuit eo opere deijcere hominem, quod plus haberet contemptus quam apparatus, aut virium, quod fieret ab inexercitato, & tempore anni incommodiſſimo, vno ferè menſe perficeretur.

Sed cum præter vitia quæ reſponſioni huic adhæſerunt, ex huiuſmodi cauſis à me relatis plura acceſſerint ex editione Cracouienſi, vnde prodijt libellus adeo deformatus, vt iurare poſſis editum, Cracouiâ à Suecis obſeſſa & occupata: adeo bellum & arma reſipit atque Barbariem Gothorum. Neque ſatis mirari poſſum humanitatem aliquot virorum eruditorum, quos audio libellum tot modis fœdatum, non fuiſſe dedignatos legere, neque omnino illis diſplicuiſſe. Sed ne quâ immeritum opus viri eruditi ſunt proſecuti gratiâ excidat; viſum eſt præter emendationem erratorum, quæ poſſent fatigare Lectores etiam benigniſſimos, nouâ formâ, elegantiori fortè cultu donare, vt gratior & vtilior ſit ijs qui etiam deformatum non abiecerunt.

Quamuis Theophilus magis cæco impetu quam iudicio illud ſcriptum effuderit; in eo tamen licet obſeruare aliquam vmbram & ſpeciem ordinis, qualem turbidiſſimi [illegible]ctus pati poſſunt. Quidquid Familiæ Dominicanæ, cuius excidium iurauit, boni ineſt; his omnino quatuor partibus continetur: primo rectâ in Deum fide, & illi adiunctâ pietate in Summos Pontifices, & in Diuos poteſtatis & ſanctitatis diuinæ participes: deinde doctrinâ dogmatum, & morum, quæ de Diuinis, quid ſentiendum, & de vitâ probè regendâ ſtatuit: tertio grauitate & probitate morum, quæ longe

abſit ab Invidiâ, à contentionibus, à ſcurrilitate alijſque id genus vitiis, Charitati Chriſtianæ & conuictui humano infenſis: Vltimò denique iuribus, & officijs, quæ in præmium rectæ fidei, pietatis, ſcientiæ, aliarumque virtutum, collata ſunt liberalitate ſummorum Pontificum.

His ni fallor, lineamentis poteſt vt cumque Ordinis Prædicatorum imago adumbrari. Neque enim negari poteſt, illi contigiſſe viros his omnibus dotibus præſtantiſſimos, quos ſanè non excludas ab illis encomijs, quæ Paulus plenis manibus, & eloquentiâ Tullianâ maiori, congerit in ſanctos illos præteritorum temporum Heroes, quos ait *per fidem viciſſe regna, adeptos repromiſſiones*. Et quamuis hæc imago quatuor ſæculorum poſſit forte accedere ad illam Societatis vnius ſæculi; viſa tamen eſt Theophilo, habere ſpeciem ſtatuæ Babylonicæ, & tot dotes & ornamenta debili fundamento, & argillâ niti: quam proinde ſuo libello veluti lapidis ſponte delapſi impetu eſſet contriturus.

Hoc verò diſtat eius conſilium ab inſomnio Regis Babylonici, quòd ſtatuæ infimâ ſui percuſſâ parte reliquæ omnes diſſilierunt, & funditùs euerſæ ſunt. At Theophilus nullam partium quibus coagmentata eſt imago Dominicanæ Familiæ, intactam reliquit: tribus Prioribus Diatribis fidem noſtram multarum hæreſum, pietatem ſacrilegij accuſat: Quartâ Diatribâ doctrinam noſtram impetit, Scholæ noſtræ dogmata falſa, abſurda, paradoxis accenſet. Quintâ, ſextâ, & duabus ſequentibus, in mores noſtrorum hominum inuehitur, & quaſi nugaces, ridiculos, mendaces traducit. Hac triplici impreſſione factâ putat ſtatuam euerſam, & quæ per quadringentos annos iura & officia ſeruauimus, à nobis ad alios ſtatuit eſſe transferenda. Nihil fingo erudite Lector, hoc eſt Theophili conſilium, hi ſunt eius conatus, hæc libellorum eius ſumma eſt. Cum itaque quadripartito in nos agmine feratur, eodem Ordine noſtram aciem inſtruemus.

Primo quidem libro fidem & pietatem Dominicanorum, à trium Priorum Diatribarum calumniis vindicabimus. Adiungemus etiam aliqua, quibus facilè ſoluemus quindecim nodos Petri de Alua, quos inſolu-

biles vocat; Secundo libro doctrinam noſtram, quæ ad dogmata; Tertio quę ad mores pertinent non ſolum aduerſus quartæ Diatribæ impoſturas, ſed etiam contra plures ipſiuſmet Authoris aliorumque libros propugnabimus, quales ſunt etiam, Expoſtulationes Carterij, &c. Quarto libro purgabimus Dominicanos à mentiendi, nugandi, calumniandi licentiâ, à liuore, alijſque vitiorum ſordibus, quibus nos maculat Author, quo neſcio an vllus vnquam mortalium ſorduerit magis, aut laborarit periculoſius. Vltimo tandem aſſeremus nobis Iura & Officia, quæ nihil dubitat iniuſtè à nobis poſſeſſa, ingentibus in Eccleſiam meritis ſibi deberi. Ex ipſius operis & noſtri conſilio ac partitione iudicent æqui Lectores, an iniquior fuerit, vlla vnquam accuſatio, eâ quam in nos ſuſcepit Theophilus, vel iuſtior noſtrâ, ac magis neceſſaria defenſio.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [80] - 20
PUBLIC DOMAIN

LIBER PRIMVS.

Vindiciæ Dominicanorum fidei in Deum rectæ, pietatis in ſummos Pontifices, & in Diuos: Aduerſus tres Diatribas Theophili, & quindecim Nodos Indiſſolubiles Petri de Alua.

HÆc tria vno libro iungimus cognatione Argumenti, & accuſationum Theophili. Nam licet recta in Deum fides omnium Diuini Ordinis virtutum prima ſit, & reliquarum rectrix ac parens; præ ceteris tamen' congenitam ſibi habet pietatem; quâ Deum vbique reueretur, & eos maximè colit, quos ſuæ Diuinitatis conſortio dignatur. Et cum in Summis Pontificibus ſuam voluerit poteſtatem, ſuam in Diuis ſanctitatem eminere; iubet nos illis reuerentiam exhibere. Hæc tria in nobis deſiderari contendit Theophilus, eadem fere obijcit Alua, vtrique hoc Libello reſpondebimus.

SECTIO PRIMA.

Fides in Deum recta Dominicanorum aſſeritur contra primæ Diatribæ calumnias.

FAs eſt hominum, qui ratione ducuntur inſtitutio, ſeu laudent, ſeu vituperent quemquam; vt rerum ab illo de quo agunt, præclarè, aut ſecùs geſtarum exordia à

modicis principiis repetant, & subinde ad maiora progrediantur, vix aliàs dictis suis fidem facturi, si primum maxima, id est, incredibilia aperiant. Verum placuit Theophilo agere ordine omnino præpostero: & Dominicanos omni malorum ac conuitiorum genere grauaturus, incipit ab omnium atrocissimo, nempe ab hæresis crimine: quasi vellet eâ accusandi ratione omnem sibi fidem abrogare, vel præ impotentia calumniandi non posset sibi temperare, quin maximum omnium conuiciorum primum effunderet.

Adeo atrox est hæreseos accusatio, vt cum ad cæteras quamlibet immanes silentium & patientia summæ laudi & infinito prope merito ducatur, ad istam piaculum sit obmutescere: nec intercedere, summæ impietati vertatur. Ita nos docuit ex historiâ ascetică vnus Eremita celeberrimus, cui cogitationem sanctam cum immisisset Deus, durandi aduersus calumnias animi, & aliquem ex Eremi incolis rogasset, vt sui periculum faceret exercitatione conuitiorum; nec ab vllo quamlibet aspero in se abstineret. Obtemperauit votis sanctis Anachoreta, & quæ in mentem venire potuerunt vitiorum & scelerum genera, in illum impegit, nedum illæsâ patientiâ, sed etiam læto ista ferentem animo: verum ad hæresis crimination em sese cohibere non potuit, quin excandesceret in suæ patientiæ exploratorem; ratus quoddam sacrilegij genus esse, æquis auribus audire sibi obiectum crimen hęreseos: quod cum vitæ Christianæ fundamenta conuellat, & extinguat semina, hoc pessimum præ cæteris habet, vt excludat à venia omnium, & à curatione, futurâ in promptu, si fides superst: eâ vero per hæresim sublatâ, de salute actum est, nec spes veniæ, aut boni reliqua est.

ARTICVLVS PRIMVS.

Summa Diatribæ, eiusque breuis, ac valida confutatio.

QVID hâc primâ tuâ Diatribâ assumpseris probandum, esset Theophile difficillimum conijcere, adeo

extra chorum saltas, & à proposito aberras, nisi tu semel & iterum indicasses, quia totâ eâ dissertatione, nihil minus, quam quod proposuisti, vrges & conficis. Cachinnis agis non probationibus, conuitiis non argumentis, mendacia mendaciis congeminas. Non potes negare, quin ea prima dissertatione proposueris tibi probandum, libros Dominicanorum damnandos, quod scateant erroribus & hæresibus. Hoc est primum tuæ Præfationis caput; vbi ex variis immunitatum speciebus, quas minutatim partiris, deterrimâ Dominicanos, magna liberalitate, donas; nempe immunitate librorum à censuris, quas multis nominibus commeruerunt, maxime hæresibus; quibus asseris, & totâ primâ Diatribâ probas, sordescere. Atque vt finis respondeat principio, Diatribam his verbis absoluis; *Concluditur apodictice ex antedictis, libros Cyriacorum non posse statui immunes à censurâ, propter immunitatem doctrinæ reprobæ.*

Itaque vt paucis totam tuam dissertationem perstringam, quidquid virium habet hoc Argumento continetur. Libri hæresibus infecti omnino damnandi sunt: atqui Dominicanorum libri hæresibus scatent: ergo omnino damnandi, & qui illis parcunt, & ab eorum censurâ abstinent iudices, damnatis aliis minus malis, grauissime peccant. Nihil vtraque consecutione verius, si præmissis sua veritas constet. Primam propositionem, nempe damnandos libros qui hæreses doceant, Theologiæ Christianæ dogmatibus accensemus: secunda tibi tantum probanda incumbit propositio, nempe *libros Dominicanorum, etiam Diui Thomæ sequacium, hæresibus scatere.* Quæstio facti est potius, quam iuris: sensu, oculis, experimentis confirmanda, non argumentis, neque historiis à remotis regionibus repetitis: afferendi sunt in medium libri Dominicanorum: magnam tibi illorum copiam suppeditabunt Bibliothecæ, & officinæ Bibliopolarum. Cedo libros illos discipulorum Diui Thomæ, qui adhæreant communi magistro, & hæresim conuince. Ad tuam famam pertinet rem propositam euidentibus demonstrationibus conficere. Da illam errorum quam promittis copiosissimam messem, & vindemiam exundantem.

Sed vbi ampliſſimâ promiſſione anxios & ſuſpenſos

legentium animos habuisti, prætermissis nugis, quisquiliis (quas mox expendemus) hoc spicilegium, hanc racemationem profers. *Inquisitor*, inquis *Parmensis assertionem de contritione perfectâ ante susceptum reipsa Sacramentum sanctificante reiecit, & vt vulgari pateretur, adduci non potuit.* Addit: *Fratrem Vincentium Candidum Magistrum Sacri Palatij primum fuisse inter eos, qui scriptione sua firmauerunt hæresim, quâ nuper quidam bardus asserebat species Sacramentales non esse accidentia realia, sed præstigias, & inanes species, quales sunt colores Iridis.* Huius hæresis primum Authorem facis Holcot Ordinis nostri Theologum. Bannem præterea hæresis accusas, quod existentiâ substantiæ panis, & vini, post consecrationem Eucharistiæ seruatâ, velit accidentia subsistere. His tribus erroribus quartum adiungis proprium Combefisio, quod cum Arnaldo biceps Caput Ecclesiæ Romanæ Petrum & Paulum constituat, & ab vtroque Apostolo, sedis Romanæ repetat successionem. Præter hos quatuor errores singulares suis auctoribus, quintum numeras communem multis, qui negent hanc propositionem modalem, à summis Pontificibus definitam, piam & probabilem esse de Conceptione Immaculatâ Deiparæ opinionem.

Ecce quo tandem reciderit tua illa grauissima accusatio hæreseos, tanto apparatu suscepta in Dominicanos: & cum conscientia debilium, ac penè ridicularum huiusmodi quinque probationum (quibus omnes tuæ demonstrationes continentur;) timeres, ne risum & indignationem Lectoris moueres, & incurreres; conatus es causam profligatam, & flagitiosam vtcumque sustinere, promissâ efficaciori & ampliori probatione quamprimum danda in indice vniuersali, quem paras ad singulos Authores Dominicanos. Sed hoc artificio non effugies cachinnos, & odium bonorum. Vnum te volo, Petre: vel subieciſti quæcumque habebas argumenta; vel meliora tibi suppetunt? si tibi præsto erant, quare reticuisti? an ignoras *nihil magis esse aduersum scribentibus, expectatione?* Excitasti de te maximam, dum indixisti bellum apertum Cyriacis, & suscepisti conuincendos hæresum. Hanc vero rem tanti momẽti aggressus, non videris serio

agere sed nugari: causæ præuaricatorem, & iuxta innocentum calumniatorem te probas, multo acerbius castigandus, quam Orator ille, in quem inuectus est Cicero, quod veneficij reum accusaret ita frigidè, vt iurares illum fingere, & auditores ad eius accusationem indormirent. Ita ne causam grauissimam vrges ineptissimis argumentis, vt omnem tibi abstuleris, non solum probitatis & prudentiæ, sed etiam sensus communis opinionem? si Morionem statuisses agere, potuisses ne magis gnauiter has partes implere, quam huiusmodi futilissimis & falsissimis accusationibus, inquisitori Parmensi, Vincentio Candido, Bannesio, Combesisio obiectis? In quibus tamen positum est totum robur tuæ dissertationis: nam cætera, quibus paginas ferè octodecim imples, sunt nugæ, quisquiliæ, & mera conuicia, nulla argumenta.

Paragraphvs Primvs.

Parerga Diatribæ, & nulla argumenta.

REfers initio Diatribæ ex Alphonso à Castro, eum audiuisse Dominicanum de sacro suggestu gloriantem, eorum qui vestem Dominicanam induerint, posse in hæresim labi neminem. Huic testimonio aliud adiungis simile ex Cosma Philiarcho, referente se audiuisse concionatorem Dominicanum, intrepide de sacro pulpito contestantem, se mortem non detrectaturum pro minimo sancti Thomæ dicto: atque vt *in ore trium testium stet omne verbum*, confirmas authoritate Dermitij Thadei, qui Dominicanos inducit ità magnificè & superbè de Diuo Thomâ sentientes, vt glorientur, *nihil hactenus contra eius doctrinam decisum esse, aut decidi posse: omnesque libros esse ad eam normam exigendos, & castigandos.* Atque vt probes has Dominicanorum à tribus Authoribus relatas iactationes vanas esse, *& hominum in quibus sobrietatem desideres*; longo ordine recenses apostatas è Dominicanâ Familiâ, Martinum Bucerum, Paleologum, Romæ, quem sub Greg. 13. falso dicis combustum: his accenses Prouincialem Hispanum, qui Iudaismum tota vita occultatum, ad finem professus est, Mathæum Grabona à Martino V. damna-

tum, eiusque librum combustum nullo narras Authore, ne forte malæ fidei conuincaris.

Sed charitatis videris actus spiritu triumphare, *Euge Euge*, inquis, *ad id quod subijcio.* Et quid es tandem nobis relaturus cum tanti gaudij significatione? Apostasiam inquis Dominicanorum, qui Smolencho capta à Moscho, omnes ad vnum abdicatâ fide Romanâ, in Anabaptismum consenserunt, vt fidem faciunt literæ eo tempore Varsouiâ ....'datæ. Bene est, quod te probes illius spiritu agi, qui piorum ruinam omne gaudium reputat. Falsissimæ rei nuntium, tui corruptissimi affectus euidens est Argumentum; quandoquidem Fratrum tuorum lapsu, (vt tuis verbis vtar) omnibus lætitiis diffluis.

Sed antequàm ad singula partibus respondeam, id vniuersim assero: quæcumque ex te paucis retuli, & verbosissimè prosequeris, falsa esse omnia, vel certè à te falsata: & si vera admittamus, non minus tuis, quam Dominicanis obijci posse. Deinde esto concedamus quæcumque hactenus nullo iudicio, nullo delectu, tibi exciderunt; nihil ad tuam Thesim & ad rem nostram faciunt. Nulla nobis tecum est controuersia de Apostatis Dominicanis, sed de Theologis, & Scriptoribus: nec de quibuscumque illorum rebus gestis, aut etiam verbo prolatis; sed de his tantum quæ reliquerunt scriptorum monumentis. His tertium adiungo, quæ ex illorum libris retulisti; nempe ex Bannesio de existentiâ accidentium Eucharistiæ, ex Combefisio de Festo Conceptionis, & de Summorum Pontificum serie ex Petro & Paulo repetitâ, nihilo magis ad rem, quam superiora tua parerga pertinere; quia à fidei controuersiis, ac subinde ab omni hæresum periculo & metu longissimè absunt.

Vbi hanc tuam dissertationem decurri, visus es mihi Causidicum imitatus, de quo extat elegans Martialis Epigramma. Illi cum de tribus capellis perorandum esset; vt humillimæ & ridiculæ causæ aliquid splendoris suâ eloquentiâ afferret, totius Monarchiæ & Reipublicæ Romanæ Annales vna oratione cõplexus est: sed illum ad suam causam reuocat Poëta: *dic nobis tandem de tribus capellis.* Nolim causam causæ, sed Causidicum accusatori nostro

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [86] - 26
PUBLIC DOMAIN

conferre. Scio, Theophile, te grauissimam causam suscepisse, cui succumbas necesse est. Litem mouisti toti Ordini Prædicatorum, & subinde Congregationibus Romanis, quod cum libri nostri infecti sint hæresibus, has dissimulent Iudices, & censuræ parcant. Tibi igitur de libris agendum, & ex illis probandæ sunt hæreses. Tu multa quidem refers ex Castro, ex Dermitio, id est, ex apertis Dominicanorum aduersariis, & ex literis Varsouiæ datis, multa addis nullo teste, vel Auctore: de libris vero nostrorum hominum, vnde tibi omnia erant depromenda argumenta, ne verbum quidem ad paginam vsque decimam; reliqua vero parte Diatribæ, tu qui ad ostentationem eruditionis innumeras habes authorum citationes, hic parcissimus es, & vix vnum locum ex Banne, duo ex Combefisio notas: cum ne mille quidem nedum loca, sed nec etiam libri sufficerent, ad ea quibus Diatribam absoluis: *Concluditur apodictice*, &c. Videris velle Diuum Thomam ad mensam Diui Ludouici abreptum imitari; cum illo inclamare *conclusum est contra Dominicanos.*

Quis credat dum hæc scriberes, te vigilasse, aut sanum, vel sobrium fuisse (quod in Dominicanis dixisti te desiderare) cum quæ hactenus scripsisti falso, conficta à te sint? & licet vera admittamus, nihil ad rem faciant, & quæ ex libris nostris affers, nihil ad fidem pertineant, nec inde impendeat aliquod fidei periculum. Neque satis fuit toto genere, & cœlo aberrare; placuit tibi Theophile, ordiri tuum opus à mendacio luculento, vt moneres Lectorem, quid ex his initiis toto libri decursu expectare à te oporteret, & quo animo esses legendus. Alphonsus à Castro refert quidem à se auditum cœnobitam, qui ex suggestu assereret immunitatem ab hæresi veste sui Ordinis indutis. Sed addit Author *se consulto nomen & Familiam illius concionatoris subticere.* Verum Theophilus ius sibi assumit, loco illi vacuo Dominicanum sufficiendi; vt probet aliquid se habere vltra nomenclatores sæculi Senecæ, *quibus audacia erat pro memoria*, id est, vt ego interpretor verba Philosophi, si cuiusquam nominis obliti fuissent, reponebant arbitrarium. Illud genus audaciæ vsurpat Theophilus, etiam in aliorum mentem, & libros.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [87] - 27
PUBLIC DOMAIN

Fortè eâdem licentiâ refert Philiarchum, vt quod ille dixit de aliquo religioso indiscriminatim, dictum velit & asserat de Dominicanis: sed quidquid sit de his testimoniis, quæ nihil ad causam conferunt, in te æquitatem desidero, quod in tertium testem ad voces Dermitium Thadeum: perinde enim te habes, ac si virum quem grauium criminum peracturus reum ex propriâ syngraphâ, sufficeres illi, alienâ manu inimicorum confectam. Sed quid de Dermitio dicam? ita se naturâ & studio comparatum probauit, duplici opere in Diuum Thomam, & Bzouium, vt videatur excusare atrox, & iniquum conuicium in Hibernos, (vndè ille natus) illius Poëtæ, qui de totâ natione inique scripsit, *gens ratione furens, & mentem pasta chymeris.* Nolim dictum in gentem religioni addictissimam, nec forte fuisset, nisi Dermitius, & aliquot pauci illi similes, (in quos hic versus cadit,) prodiissent ex Hiberniâ. Id mirare, Lector, quod cum Dermitius Patriam sciuerit à centum quinquaginta ferè annis conflagrasse hæresum incendio; quod nondum extinctum est, nihil vnquam in hæreticos quod sciam, scripserit, sed in Diuum Thomam eâ acerbitate quam vix excusares, etiam aduersus Lutherum, & Caluinum, eius patriæ, & totius Ecclesiæ pestes. Hunc Theophilus habet in deliciis, eius sensa ac dicta tantum non adorat. *Suas inuenerunt labra lactucas.*

An non aduertis, Theophile, dum ex Aduersariorum testimoniis Dominicanos in suo instituto laudando nimios carpis, te tuæ Societatis Authores, qui illam impensiùs prædicant, castigare. Imprimis nimias illas in institutum à Dominicanis effusas laudes probas vno æmulorum testimonio: neque vllum ex nostris libris locum refers, quo demonstres nos illo philaphtiæ genere peccare; at nobis sexcenta ex Imagine primi sæculi Societatis, ex Baeza suppetunt encomia in commendationem tuorum, quæ neque pudor, neque modestia ferre possunt.

An ignoras quod maximi criminis, ac penè sacrilegij loco tibi est, dum de nobis statuis, vsurpatum à tuis scriptoribus, qui nihil dubitarunt asserere, omnes primi sæculi è Societate Religiosos, Beatis accensendos, nec vllum illorum *de manu Dei rapiendum*, & huius priuile-

gij exacto primo sæculo, sequenti vsuram esse conferendam? nonne legisti apud Ludouicum Ianninum ex eâdem Societate, in vitâ Alphonsi Rodriguez, Deum ei reuelasse nullum è Societate sibi coætaneum morte æternâ periturum? si hæc vllus Dominicanorum de suis scripsisset, blasphemum, & impium, vel insanum pronunciares.

Quandoquidem bonæ fidei, ac fere pudoris videbantur effracta repagula, nostris hinc Iudaismi impietate, inde apostasiâ in Anabaptismum, ab alienis exemplis aut commentitiis Varsouiæ litteris affictâ: miror in materiâ copiosissimâ, & inexhaustâ, Petrum adeò parcum fuisse, vt vnius tantum Prouincialis, aut aliquot vnius gentis apostatarum impietatem nobis impegerit. Quid enim prohibebat, post donatum nomine & veste Dominicani Iudaisantem Prouincialem iisdem insignibus vestiret Doctorem nescio quem, à gente hæbræâ ortum, cui inopinato fato è viuis sublato, & quos legebat libris immortuo, hæc inscripta sunt verba, *mortuus est sine cruce, sine luce, sine credo in Deum, sicuti Pater qui genuit eum*? non minus verè poterat Petrus hoc Epitaphium alicui Dominicano, quam Prouincialis inter moriendum Iudaisantis personam & voces affingere.

Sed quas in nos tragœdias excitasset, si litteras non Varsouiæ in Poloniâ, sed in Iaponum imperio à tribus vel quatuor annis datas legisset? iis narrabatur crudelissimam in Christianos persecutionem, duorum Apostatarum nequissimis consiliis accensam, eorum morte resedisse: addebantque hos impios suggessisse Iaponum Imperatori nefandas artes, tum inquirendis, tum aduersus tormenta debilitandis Christianis, nempe vt effigiem hominis in crucem acti omnibus subditis conculcandam subijceret, nec dubitaret qui hoc imperium detrectarent, Christianos esse, Dei ad crucem damnati adoratores. Monuerunt etiam, ne pateretur frumentum in suas ditiones importari, quod inde conficerent Christiani quoddam Sacramenti, aut incantamenti genus, quo muniti tormenta facile vincerent, aut vix sentirent. Si hæc quæ Apostatæ teterrimi suggessere Tyranno Iaponum sciuisset Petrus, habuisset nouum Dominicanis insectandis commentum, nihilo minus verisimile relatis.

Sed vide quam diuerſo ſimus à te animo: tu de nobis falſa euulgas & fingis, nos de tuis ſi ſciremus vera taceremus: tu præ te fers velle maximè nos odio & execrationi eſſe toti generi humano; nos, ſi liceret, optaremus ex hominum memoriâ & corde deleri, quidquid ſiniſtri de vobis audiuere, aut conceperunt odij.

Neque vobis ſolum, ſed nobis etiam, & toti Eccleſiæ conſulimus, dum iis quæ ſcribuntur è remotis regionibus infauſta, fidem negamus, eaque obruimus ſilentio. Si ipſiſmet rebus, quæ apud nos geruntur nobis conſciis, tot falſa experimur admiſceri, ſtultus planè & inſanus fuerit, qui comperta habeat, aut quaſi vera audeat euulgare, quæ ab extremis orbis partibus deferuntur. Ea igitur tacenda cenſeo (etiam à te prouocatus falſis) non ſolum ex charitate, quæ aliorum bono conſulit cum proprio incommodo, ſed etiam ex prudentiæ lege, & famæ curâ: neque enim dubito, quin æquus Lector ſit perinde probaturus hoc meum ſilentium, ſicut eſt execraturus tuas calumnias, quibus paucis Reſpondeo.

Imprimis quod de Prouinciali trans Pyrrenæos ſub horam mortis aſtantibus Fratribus Iudaiſmum quem tota vita occultauerat aperiente, narras, mera eſt fabula, & calumnia. Dum in Hiſpaniâ verſarer, comperi hiſtoriam conuenire viro alterius Ordinis cuius nomini parco. Sed tu in nos ſic ageris, vt mirer te non dixiſſe Neronem, Iudam, Caïnum fuiſſe Dominicanos.

Quod ſubdis de Dominicanis Smolenchi vrbe Lituaniæ, turpiſſimum figmentum eſt, & in illa narratione plus mendaciorum, quam verborum congeſſiſti. Totius hiſtoriæ ſunt Romæ teſtes multi & incorrupti, qui iurant falſiſſima eſſe, quæcumque ex literis datis Varſouiæ 14. Decembris anno 1654. in laudem tuorum, & vituperium noſtrorum narras. Falſum eſt in primis, vrbe captâ Moſchum ablegaſſe veſtros, quaſi præcipuos, aut ſolos Fidei Romanæ defenſores, nam aliæ fuerunt cauſæ, quas nil intereſt referre. Magis ab omni vero alienum quod ſubiungis, noſtros omnes nullo excepto in Conuentu Smolenchenſi fidem Catholicam eiuraſſe, & in Anabaptiſmum conſenſiſſe, & veſtrum Collegium in Apoſtaſiæ mercedem recepiſſe. Meras calumnias fingis: Cœnobium illud Dominicanorum decem tantum Religioſos

alebat, ex quibus in illâ Moscorum inuasione, tres in odium fidei trucidati sunt, septem vero reliqui tempestiuè fugerunt, nec vestrum Collegium nobis in præmium Anabaptismi datum, vt fingis. Erat autem ibi Societatis domus exigua, *non magnificentia visenda*, vt tu asseris. Horum autem omnium testes oculati qui viuunt, interrogari possunt.

Quod carpis de Diuo Thoma dictum (de quo fusius articulo sequenti) & grauis hæresis accusas, errore non caret. Nam id à te scire velim, cur adeo anxius & sollicitus in vitiis nostris inquirendis; modo patiaris te negligentiæ damnari; quod dicta nostra quæ grauissimorum errorum accusas, ex aliorum potius libris, quam ex nostris, aut nullo citato teste aut Authore referas? Quid hoc rei est? an putas te apud omnes eodem loco esse, quo Pytagoram apud suos auditores, vt credas de tuis dictis vel minimum dubitare neminem, vt instar omnium argumentorum sit ad fidem faciendam, te dixisse? an fortè nullum habuisti ex Dominicanis Scriptorem, qui haberet quæ illis improperas? quidquid sit de reliquis accusationum capitibus, certè de hoc quod præ manibus habemus, nec potes concoquere, (nempe Diuum Thomam esse regulam fidei:) venit mihi in mentem, te quem nihil latet, qui omnes excusseris Bibliothecas, & deoraueris libros, verè librorum helluo, non potuisse ignorare Bullam à Pio V. in gratiam Diui Thomæ editam conceptis verbis habere, *Diui Thomæ opera certissimam esse Christianæ Regulam Doctrinæ, qua Sanctus Doctor Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis hæresibus illustrauit.* Si illud dictum tibi sit hæreticum, idque totis viribus Paralogismo infra soluendo probes; non dubito quin sit tibi hæreticus illâ Bullâ Pius quintus: sed non ausus illum nominare, hæresis damnasti, sciens aut imprudens nescio, & nomen subticuisti. Quò non progreditur tua audacia? sed de hoc pluribus Articulo proximo, vbi me expediuero à duabus quæ supersunt obiectionibus de Inquisitore Parmensi, & Vincentio Candido, quas Parergis tuis annumero: quia nullius Authoris, vel libri testimonio munis.

Quod ad primam attinet, vel mera est fabula quod narras; vel forte inquisitor voluit contritionem perfe-

ctam dispositionem esse vltimam, necessario connexam iustificationi, nullo vero modo formam iustificantem, & sanctificantem: quo nihil verius vt Thomistæ omnes quibus assentit Suares, docent & validè probant contra Vasquem, cuius vix opinionem defendas contra expressa Concilij Tridentini verba. Hanc fortè sententiam Vasquez non est passus inquisitor typis dari, & prudentissimè egit. Sed quidquid sit, huic fabulæ.

Alteram assuis longe crassiorem, & mendacij magis compertam, de literis à Patre Generali scriptis in gratiam Ianseniſtarum ad nostros Theologos Parisienses. Quis enim nesciat causam Ianseniſtarum victam operâ Patris Nicolai, Theologi Parisiensis Dominicani, qui magnâ quâ valuit nominis authoritate, reliquos ex Ordine Doctores, & plures alios diuersarum Familiarum adiunxit parti, quæ illius aucta copiis & suffragiis, Iansenianis viribus & numero superior euasit: & huius rei totam habeo Galliam ac ferè Europam consciam & testem. Quid ergo comminisceris Patris Marini Epistolas in gratiam Ianseniſtarum, quos facto agmine omnes eius filij impugnarunt? sed id à te quæro; cur sine teste loquaris? scis enim huius controuersiæ facti, de censurâ nostrorum librorum, eam esse legem, vt nulla alia argumenta admittat, quam quæ repetuntur ex ipsâmet lectione nostrorum librorum. Quid ergo confugis ad literas commentitias à nullo vnquam visas? aut cur vrges damnationem nostrorum librorum, & iniustissimè illis condonatam, & in tuos latam conquereris hoc versu?

Dans veniam coruis, vexans censura columbas.

Nos coruis accenses, te vero non solum columbis annumeras, sed etiam putas te compellandum verbis Cantici, *veni columba mea* vnicè amanda & colenda, & ideo de te dixerim, quod de vexillis Assyriorum ex Reginâ Semiramide, *in desolationem à facie iræ columbæ* depellendam quam importas toti Ordini Dominicano.

Sed ignauiores essemus columbis, si timeremus tua argumenta, vel impares essemus illis refellendis. Neque enim solum futilia sunt & nullius roboris, sed etiam apertissimè mendacij conuincuntur: quale est illud de P. Candido, quem primum ais eorum esse, qui librum aut Thesim (neque enim explicas) probarunt de speciebus Eucharistiæ

Euchariſtiæ euanidis, quales ſunt colores iridis. Obſtupeſces, Chriſtiane Lector, de incredibili licentia Theophili, qua Vincentium Candidum, virum ſanctitatis & eruditionis opinione atque illuſtri dignitate notiſſimum traducit, de re geſtâ cum celebritate maximâ: paucis hiſtoriam retexo.

Illius opinionis de ſpeciebus Euchariſtiæ, cuius inuidiam in Candidum totam deriuat, verus & primus Author (quem ipſe vocat Bardum per conuitium) fuit reuera vnus è Societate, Siculus *Franciſcus Bardus* nomine, qui hanc opinionem docuit opuſculo ſcripto; ſed cùm illius edendi licentiam non poſſet à Prælatis obtinere; illud publici iuris fecit nomine cuiuſdam idiotæ Ioannis Baptiſtæ Chiauetæ, & ex Authore, ſui libri factus cenſor, illum probauit, & tredecim aliorum diuerſi Ordinis Theologorum curauit ſuffragiis muniri: horum præter Bardum, erant è Societate tres, duo magiſtri ordinis Prædicatorum, quorum primus erat Ioſephus Caruſo, alter Ioannes Vincentius Candia.

Mirare Lector Theophili in hiſtoriâ inuertendâ audaciam, vt viro ſancto calumniam inſtruat. Parum eſt quod inter libri cenſores qui approbarunt, primum apponat Vincentium Candidum, cùm eo loco fuerit Ioſephus Caruſo: Non vrgeo quod omiſerit quatuor è Societate, qui librum probarunt. Illud tantum obſeruo, ſupremum Dei ius ſibi arrogaſſe, quiduis in quodlibet mutandi, & rerum ſtatus & nomina, ad arbitrium inuertendi: atque ita Ioannem Vincentium Candia ex Prouinciâ Siciliæ Theologum, mutauit in Vincentium Candidum Sacri Palatij Magiſtrum; vt iſtum erroris accuſaret, cuius Author erat vnus è Societate Theologus, & tres ex eâdem Societate probauerant. O commutationem! ita more ſuo agit Theophilus: vellet omnium hominum crimina in Dominicanos, quaſi in antiquæ legis hœdum transferri, eoſque omnium diris & execrationi deuoueri. Vides hanc tuam accuſationem Petre, ſimilem his accidentibus quæ in fumum & auras faceſcunt. Certè non poteras apertiùs tuum animum & argumentorum inopiam fateri, quam cum ad has nugas & artes confugis, non vt probes nos hæreticos, ſed ne omnino taceas. Vt enim Seneca de quibuſdam impatientis

animi, qui instar saxi è monte præcipites feruntur, dicebat, *Nolle eos ire, sed non posse stare*: Ita tu nec vis, nec scis loqui, sed non potes tacere.

Sed antequam ad hæc tua parerga responsionem claudam, moneo te re; quam fortè non ignoras, eam de accidentibus Eucharistiæ & de toto accidentium genere, nihil esse, nisi specie tenus, opinionem, cuius causâ vis Candidum & libros nostros damnari, quamuis ab illâ abhorreamus, ex Epicuro, aliisque Philosophis, contra Aristotelem interpolatam esse à Gassendo, Cartheſio, & à Patre Magnano defendi. Si adeo periculosam censes, vt de vnius Patris Candidi suffragio quo illam dicis esse passum edi, concludas demonstratiuè libros Dominicanorum esse prohibendos; Cur dissimulas adeò graue malum? Cur non distringis calamum in Gassendum, & Cartheſium, qui innouato illo errore alijsque pluribus longè peioribus, Religionem euertunt, & viam parant ad Atheismum? quare hactenus mutus fuisti in illos nouatores, & Classicum in Dominicanos canis, quasi maius periculum fidei immineat à Candido (qui hunc errorem expugnauit Tractatu de Eucharistiâ) quam ab istis nuperis Philosophis, qui apertè docent quæ calumniaris nos tradidisse, aut probasse?

Huius rei per se stupendæ causas aperiam. Tu enim ita comparatus es, vt priuatis iniuriis commoueare magis, quam publico Ecclesiæ periculo: & vt cætera prætermittam, id semper obseruasti; quod sapientissimè Bellarminus de sectis hæreticorum annotauit: Earum nullam (quamuis infinitas infernus tulerit) Christi nomen & Euangelium Ethnicis prædicasse, vel vllam gentem Ecclesiæ Christianæ aggregasse, in id vnum incubuisse, omnes, vt mores & fidem Christianorum corruperent. *Nec mirum* inquit Bellarminus *quia hæretici, verbi Diuini vaginam non gladium, scripturæ corticem habent non sensum*, quo vno vis Diuini verbi conuertens animas continetur. Ità tu Theophile: infinita in Catholicos scripsisti, in Atheos, in hæreticos pauca: ego certè ex te nulla legi.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [94] - 34
PUBLIC DOMAIN

Paragraphvs Secvndvs.

Responsio ad 3. obiectiones quæ aliquam habent speciem Argumenti.

Tria argumenta seposui à reliquis, contra Bannesium, Combefisium, & Spinam. Quamuis enim omnino futilia sint, nec ad controuersiam nostram, id est, ad res fidei pertineant; habent tamen aliquam speciem argumenti, quia ex libris nostris petuntur quasi ad hominem.

Primum Argumentum instruis contra Bannesium à suorum operum editione, correctâ posteriori, quâ docebat accidentia Eucharistiæ seruatâ panis & vini existentiâ, post consecrationem subsistere: quod vis damnatum esse ab Innocentio VIII. Futilis planè est hæc tua argutatio, vt conuincas erroris Bannesium. Non dicam, si quid inesset periculi, submotum secunda editione, quâ locum correxit, ac proinde nullam superesse censuræ, vel reprehensionis causam. Præterea: Respondeo sensum Bannesij esse omnino hypothetieum, suppositâ opinione probabili ex Auicenna, ex Diuo Thoma, aliisque Theologis, Patribus & Philosophis, solius Dei naturam sibi necessario existentiam vindicare, quæ subinde cuilibet substantiæ creatæ accidentario competat, ab eâque distinguatur, quâ iuxta aliquorum sensum, non modo ipsa, sed eius accidentia subsistant. Ex hoc vltimo principio, quod Bannes nec probat, nec improbat, consequitur existentiam substantiæ panis & vini his destructis superesse. Quid horum ergo ad fidem pertinet? An non mera Philosophica quæstio est? Nec Patres, aut Concilia his Philosophiæ tricis mysteria admiscent, nec curant quâ ratione accidentia existant, propriâ vel alienâ existentiâ, dummodo seruentur, destructâ panis & vini totâ substantiâ: & ad hunc sensum Concilia & Patres interpretatur Bannesius. Quid ergo hæreseos potest huic sententiæ subesse, aut subodorari Petrus, cum Bannes Conciliis & Patribus reuerentiâ adhibitâ, eam sensu omnino Catholico explicet?

Secundâ tuâ argumentatione Patrem Combefisium quasi reluctantem conaris trahere in sententiam Arnaldi de Bicipiti capite Romanæ Ecclesiæ ab Innocentio X. damnatam. Miræ charitatis es Theophile! cum deberes benignè interpretari, quæ speciem mali habent, tu contra apertissimis verbis sensu Catholicis errores affingis: vt in re à proposito non alienâ, dicebat nuper vir grauissimus, malles, nescio quo morbo, tuos aduersarios, (quales hos duos reputas) errare vt hæreticos, quam vel sapere, vt Catholicos, vel resipiscere vt conuersos. Si susciperem à te tantum dicta refellere, oleum & operam perderem, ita fortiter vbique ineptis, vt tuo vitio tecum agentem inficias, nisi longius se à te abducat.

Tuis ergo nugis semotis, quæstio hæc de duplici capite difficillima est; & qui de eâ scripserunt, bono fortè animo aggressi sunt, sed periculoso euentu, cui summus Pontifex voluit consultum esse. Hæc rei summa est: Theologi omnes conueniunt, concessam Apostolis duodecim in totum orbem facultatem, & vbique gentium prædicandi Euangelij, & Ecclesiarum instituendarum: sed duplici discrimine communis hæc Apostolorum potestas à propriâ & eximiâ Petro distinguitur: quod huic, ipsimet Apostoli subiicerentur, & quod data esset Petro tamquam Pastori, quam esset ad successores transmissurus. His ergo duobus distat Petrus à reliquis Apostolorum: neque enim vnus infra alterum erat, omnes inter se æquo iure viuebant: sed vt acutè Bernardus, omnes Petro subdebantur, quia erant ex Ouibus Christi, quas nullâ exceptione Christus Petro commisit pascendas, & ipsum constituit Pastorem, vt hoc capite constituto, schismatis tollererur occasio.

Præter hoc primum discrimen, accedit alterum, quod ferè priori continetur; nempe Apostolos reliquos hanc in totum orbem diffusam potestatem sortitos quasi extraordinariam, & cum ipsis desituram; & ideo data est potestas ligandi, atque soluendi, quasi, vt sic loquar desitura, & morte extinguenda: sed Petrus claues recepit, vt Monarcha successoribus traditurus.

Cum ergo hoc duplex Petri & Pauli, sicut cæterorum Apostolorum discrimen constet, apud Theologos & Dominicanos maximè, inter quos nobilissimus est

Combefisius; atque hoc statuant fundamẽtum totius successionis, & authoritatis Romanorum Pontificũ; non debuit in Pontificatu Petro adiungi Paulus, qui successorem non erat suæ potestatis œcumenicæ habiturus; quamuis bono animo adiungi potuerit, non vt fundamentum, sed vt ornamentum; solo enim Petro successio nititur. At quid affers ex Combefisio, quo probes conscium erroris exprobrati: sicut nemo Catholicus potest successionem authoritatis è Paulo repetere; ita nemo sanus negabit, Pauli martyrium Romæ plurimum addidisse gloriæ, & splẽdoris. Hoc secundum vult Combefisius, negât primũ.

His duabus obiectiunculis expeditis, ad tertiam accedo, de opinione & Festo Conceptionis, quam vbique verbosissimè obtrudis, & versas. hoc ni fallor consilio, quod scias nobis ad singula non esse datum respondere; vnde nobis insidias parare vis, non apertè pugnare, diffisus causæ & virium. Sic enim apud te reputas: vel singulis, quæ proponam satisfacient, vel plura, aut omnia omittent: si vero accuratè & sigillatim respondeant ad partes, in censuram incurrisse vociferabimur; si omnia taceant, conuictos prædicabimus: itaque cum videas hâc in dissertatione disparem vtriusque nostrum conditionem, perinde agis, ac ignauissimus miles, qui viribus & animo inferior aduersario, non audet æquo Marte pugnare, sed dolo, & arte: atque ita tuã ignauiam, prodis, furari vis victorias, non virtute reportare.

Verum saluâ decretis Pontificiis reuerentiâ, dico te ita ineptè causam Conceptionis vbique hic, & toto libello agere, vt cum illustrissima sit, tu magis præuaricator illius videri debeas, quam defensor. Alexander Magnus à solo Apelle pingi, & fingi à Lysippo volebat, reliquis pictoribus, & statuariis sui sæculi prohibuit, ne quis effigiem suam moliretur, quod crederet præter illos duos, à nemine pro dignitate confici posse. Consultissimum esset Summum Pontificem tibi prohibere, ne suam auctoritatem susciperes propugnandam, ita enim defendis, & probas, vt videaris prodere: si tuis solis argumentis, & viribus niteretur, breui certè corrueret. Nam præter illud nouum loquendi ex Cathedrâ & definiendi credenda iudicium, quod fingis; vis etiam summos Pontifices definire his ipsis decretis, quibus declarant se non defini-

re: vis determinare dubia, cum ſtatuunt nil determinandum, & conceptis verbis ita explicant. Affer mihi ſi potes aliquod ex Conciliis & ex ſummis Pontificibus decretum, conceptum cum illa verborum formulâ quam tu aduerſus nos vrges.

Dico igitur nunquam vſurpatum, & omnibus ſæculis inauditum illud definitionum genus de modalibus, quod veluti machinam contra nos admoues, vt hæreticos eſſe conuincas. Sed opus fuit te fingere in Pontificibus nouum modum definiendi, ad proſequendam quam ſuſcepiſti accuſationem: Non potes negare conſtitutionem Sixti IV. à ſucceſſoribus Pontificibus, & à Concilio Tridentino confirmatam, nec hactenus ab vllo reuocatam, pari iure iiſdem verbis, ac pœnis vtriuſque opinionis cenſuram prohibuiſſe: ſi ergo contra nos vrges Conſtitutionis partem, quæ probabilem & piam immaculatam Conceptionem dicit haberi velle; in te tuóſque parem cenſuram, & damnationem vrgere poſſumus. Nam eædem Pontificiæ conſtitutiones vtrique opinioni ſuam probabilitatem relinquunt; & ſi ex hoc capite, quod nolint detrahi opinioni Beatam Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, vis colligi eiſdem conſtitutionibus ex Cathedrâ definiri eiuſdem opinionis probabilitatem; cogeris ex eodem capite fateri, eiſdem Pontificiis conſtitutionibus ex Cathedrâ definiri probabilitatem ſine errore etiam ſententiæ aſſerentis, Beatam Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali; nam pari paſſu ſub eiſdem pœnis, & verbis, eædem conſtitutiones prohibent, ne opinioni affirmatiuæ detrahatur: & ſic de fide eſſet vtramque opinionem eſſe probabilem, quod cauſæ noſtræ fauet, & nos in tuto ponit.

At quot ex tecum ſentientibus, poſt Bullas Sixti IV. & ſucceſſorum Pontificum, inficiati ſunt eam propoſitionem modalem, probabile eſt Beatam Virginem fuiſſe conceptã in peccato originali? Igitur omnes iſti ex regulâ à te traditâ ſunt hæretici; nam omnes contradicunt Bullis Summorum Pontificum in hâc re, vt tu dicis, ex Cathedrâ præcipientium cuique fidelium ita ſentire, & abſtinere ab omni cenſurâ vtriuſque opinionis. An non incidis infoueam, quam aliis paraſti? Sed vt diſtinctius agamus; Omiſſis, quæiam prædmonui de modalibus decre-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [98] - 38
PUBLIC DOMAIN

tis à te confictis ; Respondeo puram calumniam esse, quod obiicis, Dominicanos videlicet, asserere opinionem Conceptionis immaculatæ esse falsam, aut improbabilem. Numquid cordium nostrorum inspector es? An potes de nostris intimis sensibus testari, qui de tuis, & quibuscumque rebus apertissimis falleris aut mentiris semper? Vnde nouisti nos illius opinionis probabilitatem negare, vt inde conuincas nos hæreticos? Quia inquis, Bartholomæus Spina Dominicanus fuit huius sententiæ. At quid vnus ad reliquos? An omnes in illius verba iurauimus? An non præceptis Pontificum paremus? Sed, vt iam attigi, ex principio inter nos constituto, tuum te magis quam nos Argumentum vrget. Si decretum Pontificis vtriusque partis probabilitatem iisdem verbis constituit, eandem incurrit hæresis notam, qui alterius partis probabilitatem negauerit. Vide quam cæco impetu in nos feraris, vt vnum Spinam hæresis damnes, & nos suspectos facias? Vide, mi Petre! vel hanc damnationem remittas nobis oportet, quam intulisti, vel ipse proprio iudicio damnaberis.

Ad alia, quæ de festo subdit Petrus contra P. Combefisium, multa responderi possent, à quibus, vt Pontificiis decretis pareamus, abstinemus. Vnum tantum addo, quoad mentem D. Bernardi, quem dicit Petrus à Combefisio non benè intellectam: hoc Petri dictum ad satietatem, & efficacissimè refellit ipsemet Gabriel Vasques tom 2. in 3. p. 27. art. 2. cap. 19. quod incipit *iam idem ad testimonia Patrum sigillatim dicamus, & imprimis ingenuè fateamur Bernardum, & Rupertum oppositum sententiam planè tradidisse; &c.*

Is est rerum laudandus delectus, vt certa dubiis ac probabilibus anteponas. Quam affert Combefisius ex Græcis vnicam, & ex antiquâ Ecclesiâ certè præcipuam Conceptionis festi instituendi causam, summè probat Bellarminus libro 3. de cultu Sanctorum capite 16. eâque se tutatur aduersus hæreticorum insultus. Idem prorsus habet Cardinalis Oregius capite 12. Cur ergo his duobus prætermissis, solum Combefisium hæreseos damnas? Quas vero tu vrges, causæ huius festi, à reuelationibus Herluini Abbatis, hominibus emunctæ natis, & vacuarum aurium, aliquid olent, & sonant non omnino soli-

dum'& ſincerum. Quid mirum ſi magis certis ducamur, quibus impiorum ora eontundere poſſis, quam quæ laceſſendi nullum finem faciunt hæretici. Hic eſt ſenſus Combefiſij.

Non addam plura, ne dum videor officium amico exhibere, mihi negotium faceſſam, ac de illo iniquius iudicem, quaſi opus habeat alieno præſidio ad ſui defenſionem, aut nequeat Eccleſiam recentem cum antiquâ conciliare. Sed quid opus pluribus? Vltima Alexandri VII. qui nunc ſedet, conſtitutio argutationem Theophili funditus euertit. Contendit Combefiſium hæreſis compertum, aut ſuſpectum, quod inſtitutionem feſti Conceptionis, alio quam ſtatuerint ex Cathedrâ ſummi Pontifices, ſenſu, aut fine explicuerit. At ſtat contrà pro Combefiſio ipſemet Sanctiſſimus ſuâ conſtitutione, quâ ſuperiorum Pontificum omnes confirmat, aliqua etiam addit, & expreſſimiſſis verbis habet, *ſe nihil ex Cathedra definire.* Hâc vnâ voce diſſoluitur rota omnium calumniarum.

Ad huius reſponſionis coronidem viſum eſt ſuperioribus iſtud adiungere; quòd cum ex Ariſtotele vna ſit ad verum collimandi, illudque attingendi, & aſſequendi ratio certa, à vero autem aberrandi & mentiendi infinitæ ſint ſpecies; omnium mendaciorum genera videtur Theophilus in numerato habere, & illorum hâc diatribâ ſpecimen dediſſe. Si quædam mendacia conſtent additione ſupra verum & fidem, habes illius ſpeciei luculentum ad limen libri; vbi dicto Alphonſi à Caſtro, Dominicani nomen apponis, cum auctor conſulto abſtinuiſſet, ab eo nominando, de quo agebat. Si contra mendacium non minus reticendæ rei, aut minuendæ infrâ, quam augendæ ſuprâ verum admittatur; ſingulis paginis habes ex illo genere: quia nihil vmquam refers bonâ fide, ſed omnia das corrupta, & falſata: ſi mendacia fiant rerum ac perſonarum mutatione: illius ſpeciei habes in Prouinciali hebræo, quem ex alio ordine in Dominicanum transfers, pluſquam Pontificiâ authoritate. Si denique quædam mendacia nullâ mutatione, ſed merâ creatione fiant, & quaſi è nihilo educantur: habes inſigne exemplum in Apoſtaſiâ Dominicanorum in expugnatione Smolenchenſi, vbi cum nullus à fide defeciſſet, vis omnes in Apoſtaſiam lapſos.

Si tandem quæramus mendacia nullius certæ ſpeciei, ſed omnium, quæ additione, reticentiâ, & quolibet genere mutationis fiant, ſuppeditas nobis exemplũ ex hiſtoria Patris Bardi de accidentibus Euchariſtiæ euanidis, de quibus cum hæc ſcriberemus, narrauit nobis vir fide dignus, quod cum Michaël Mazarinus (quẽ feſtinatis honoribus aliquot annis Cardinalem factum, ſed paucioribus in eâ dignitate ſuperſtitem vidimus:) huic purpuræ proluderet Magiſterio Sacri Palatij, parum abfuiſſe, quin deciperetur ab vno eiuſdem opinionis, & ſodalitij cum Patre Bardo, qui vrgebat vt ſibi daretur licentia edendi Romę opus de accidentibus Euchariſtiæ, cauſatus iam typis datum Panormi quatuordecim doctorum ſuffragiis munitum. Sed deprehenſo dolo illius viri, & veneno libelli, editionem prohibuit Mazarinus. Et adhuc ſi ſuperis placet, Dominicani debent omnium ſuorum librorum cenſurâ, dare pœnas illius erroris, iudice Theophilo, quod ſuppoſititius Candidus illum approbarit: licet verus Candidus ſuis libris impugnarit, eius editionem Mazarinus inhibuerit, & denique ſchola Thomiſtarum ab illâ opinione abhorreat. O miræ æquitatis & ſinceritatis iudicem Theophilum! Hæc in anteceſſum volui te monitum erudite Lector, vt ad ſingulas Diatribas leuem me & te intolerabili labore enumerandi infinitas mendaciorum myriades: Nam ſi tot & tanta licuit deprehendere ipſo operis initio, quo maximè conueniebat ab huiuſmodi fraudibus longiſſimè abeſſe, vt beneuolentiam auditorum, & fidem ſibi conciliaret; quid facturum putas reliquis nouem Diatribis?

Articvlvs Secvndvs.

Doctrinæ Diui Thomæ dos ſingularis, vnde illi & eius Diſcipulis immunitas hactenus fuit ab errore, & cenſurâ.

Non dubito, erudite Lector, quin te maximè tædeat tot nugarum, & pudeat plurium mendaciorum, quæ ſingulis pagiris, aut potius lineis & verbis obtrudit Theophilus: & ſi totus eſſem in illis refellendis, nec aliquid magis ſerium agerem, non poſſem ipſemet euitare,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [101] - 41
PUBLIC DOMAIN

quin noſtra ſcriptio te grauiſſimo faſtidio afficeret. Sed vt te tanto malo leuem, atque aliquam noſtræ Apologiæ aſpergam voluptatem, vtilitatémque admiſceam; oportet me cum Virgilio de ſtercore margaritas legere. Totâ ſuâ ſatirâ, & maximè initio primæ Diatribæ, ridet Theophilus reuerentiam & affectum (quem fatuum amorem vocat) quibus Sanctum Doctorem proſequimur: teſtimonia quibus à Chriſto, à Summis Pontificibus probata eſt eius doctrina, eleuat, contemnit, ac pœnè à nobis confícta, aut certè falſata vult eſſe eum Petro de Alua; hæreſis accuſat illud à Pio V. dictum *Diui Thomæ doctrinam eſſe regulam fidei:* eodem loco reponit, quod refert ex Dermitio & Thomiſtis aſſertum: *nihil hactenus contra noſtram doctrinam deciſum, neque decidi poſſe.*

Ad has ſimiléſque reprehenſiones Sancti Doctoris Scholæ, ab eius æmulis millies repetitas, validiſſimè ab antiquis & recentibus Thomiſtis profligatas, fruſtra reſpõderemus niſi ad id nouæ vtriuſque Petri à clausâ valle & de Alua cogerent expoſtulationes: fortè etiam aliquid noui de antiquâ controuerſiâ, & antiquata accuſatione occurret, quod ſpero lectoribus non diſpliciturum.

Cum duplex ad veritatem demonſtrandam via pateat, ab effectis, & à cauſis; vtramque inibimus. Et primum quidem ipſius doctrinæ Angelicæ characterem ſeu dotem ſingularem, quâ à reliquis diſtinguitur, inquiremus: ea ſemel apertâ, neque impiorum neque æmulorum de controuerſiâ noſtrâ iudicium detrectabimus. Id certiſſimè conſtabit, quidquid, ipſi carpunt, vel à nobis confictum calumniantur, infra Sancti Doctoris meritum eſſe.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Tota Diui Thomæ doctrina à fide hauſta, vel ad eius defenſionem referri demonſtratur: primo ab eius charactere.

VT doctrinæ D. Thomæ veritas conſtet, & diſcipulorum illius tenacium innocentia; aperienda eſt cauſa, quæ nos in tuto ponit. Eam vero repeto à ſingulari

discrimine, quod obseruatum est à me mille experimentis intercedere D. Thom. inter & Theologorum reliquos; quod sanctissimo Præceptori prima, ac penè vna cura fuit inquirere, ac certo nosse, quid Scriptura, quid consensus omnium Patrum de quâque re doceret; vt eo constituto tanquam immoto fundamento, totam illi Theologiam astrueret. Hinc *Doctoris communis* nomen assecutus est; quia viam tritam Patrum calcauit semper, & fugit diuerticula. Singulariſſimus quidem est Doctor, & multa recondita, & superioribus sæculis, ac Doctoribus occulta inuenit: sed hoc *Doctoris communis* titulo nullâ ratione aduersatur. Duo enim in quolibet Doctore distinguenda sunt, nempe sententia, & argumenta, quibus propugnatur. Communissimus est Thomas sententiis, quia via Regia incedit, duce verbo Dei, vestigia Patrum sequutus. Singulariſſimus est inuentione argumentorum, à quibus nihil est periculi si deficeret; plurimum est laudis si efficacia sint. Totum imminet malum à sententiis si à communi viâ aberrent: & cum suas sanctissimus Doctor communes Patribus, & Ecclesiæ delegerit, hoc delectu, sibi suisque discipulis, quam oblatrat Petrus à valle clausa, ab erroribus, à periculo, aut metu censurarum immunitatem comparauit; & proprium fecit veluti suæ scholę characterem.

Antequam bos ille mutus loqueretur, adiuit, & consuluit oracula Scripturæ, quibus exceptis, mugire cœpit, habenas ingenio suo laxauit, sine lapsus, aut erroris periculo, quia secutus erat viæ, qua incedebat, tritæ Patrum, à quâ ne latum quidem vnguem permisit sibi recedere. Si vellem ad huius rei fidem faciendam, quæ suppetunt, experimenta proferre; decurrendæ mihi essent omnes Theologiæ partes, quia vbique eandem methodum seruauit. Præuium semper anteceſſit verbum Dei, & traditio, deinde secutæ sunt rationes à Theologiâ, à Philosophiâ petitæ. Plures diuersam ab illa viam inierunt, & alium omnino ordinem sequuti sunt; Philosophos in Theologia egerunt. Cum enim Deus innotescat verbo, & creaturis; & Theologi sit à verbo ad creaturas progredi, Philosophi vero ab operibus ad Deum conscendere; nonnulli inductâ in Theologiam Philosophicâ methodo, prius opera, quam Dei verbum scrutati

sunt, ordine certè præpostero. Cum enim supra rationem sint quæcumque docet fides, & à Dei arbitrio pendeant; nihil eorum potest esse compertum, nisi verbo Dei interprete eius voluntatis; & rerum quæ in diuinitate lateant. Si turpe sit Iurisconsulto sine lege loqui, turpius fuerit Theologo sine Dei verbo quicquam statuere.

Ex his regulis deducit Sanctus Doctor, verbum non fore incarnandum, si Adam non peccasset; quia, inquit, in omnibus his, quæ à voluntate Dei pendent, nil certi habere possumus, nec in Conciliis, aut à Summis Pontificibus, definiri potest, nisi quod docet verbum voluntatis diuinæ interpres, & quod tenet Ecclesiæ consensus perpetuus interpres verbi Dei. Verum diuersa methodus, sed nescio an perinde tuta placuit aliis Theologis: Inspexere ante Dei opera, quam verbum; & ingenio indulgentes probarunt quæ illis videbantur naturæ, aut excellentiæ operum conuenientiora; atque his cogitationibus apud se constitutis, tanquam veris, consuluerunt Scripturam, non tam vt explorarent, quid ipsa vellet, quam vt ad sensus suos traherent, etiam obtorto collo, & ex illâ præiudicatam opinionem confirmarent.

Ordine planè diuerso à Diuo Thoma procedere: ille à Scripturâ ad rationes progreditur; isti è contra à ratione ad Scripturas: ille Scripturæ rationem subiicit, isti Scripturam quidem non subdunt rationi; sed aduocant in subsidium rationis: D. Thomas non sibi permisit opinionum inuentionem, sed argumentorum: alij vtrûmque debent suæ industriæ: vnde nihil mirum, si tutiorem ac magis diuinam esse dicamus doctrinam D. Thomæ, quia nimirum dimidiâ parte minus habet sui, & minus sibi fidit; nec adlaborauit, vt sua inuenta probaret, sed diuina dogmata, & sensus Patrum. Atque hæc est securitatis doctrinæ Magistri, & nostræ fiduciæ causa, quam summi Pontifices, quam Christus ipse, confirmarunt: nec vesti Dominicanæ, vt somniat Petrus nos dicere, hanc ab hæresi immunitatem asserimus, sed affectui, & studio in Diuum Thomam, à quo cum receserint aliqui ex nostris, non est mirum ab istâ immunitate excidisse. Nec debuit Petrus lapsus aliquot nostrorum improperare, & falsos adiungere.

Vt Architecti quod extruunt ædificium ad perpendicu-

lum metiuntur, neque quicquam ſemotâ regulâ moliuntur; ſic plane Diuus Thomas quicquid docuit & ſcripſit vnquam, ad vnius traditionis regulam exegit; nec ſatis illi fuit, vbique verbi diuini Oraculum conſulere, & vt par eſt ouem Chriſti Paſtoris vocem audire, eiuſque ſequi veſtigia; viſum eſt aliquid magis arduum moliri. Quid enim hoc eſſet Scholæ principi Angelo, ab Eccleſiæ & Patrum conſenſu receſſiſſe nunquam? Hoc pij quique, hoc Theologi vulgares ambiunt & aſſequũtur. Quid ergo habet Diuus Thomas præ cæteris ſingulare? Quod omnes ſcientias fidei obſequio ſubiecerit, quod ex Philoſophiâ eas ſententias delegerit, quæ ad fidei myſteria explicanda & propugnanda neceſſariæ eſſent & conuenientiores; vno verbo ſicut vitæ origo & finis eſt à corde, quod primum omnium incipit, & vltimum deſinit viuere; ita Diuo Thomæ ſcribenti & docenti fides cordis inſtar fuit, ab vnâ fide & traditione cœpit, & in fidem deſiit. Theologica à traditione & principiis fidei hauſit: in opinionibus vero philoſophicis deligendis, inter hinc inde probabilia, vnius fidei defendendæ rationem habuit: vt merito Diui Thomæ ſcripta voces Religionis Chriſtianæ armamentarium: & quæcunque tradit ſint vel conſectaria à fide deducta, vel præſidia fidei & ad illam apparatus. Quid ergo mirum ſi à fide prædicemus nunquam poſſe deficere eius doctrinam, neque vllius erroris accuſari, neque quicquam contra illam deciſum, vel decidi poſſe? Quid mirum, ſi pleno ore vocemus regulam fidei? Quis poſt iſta ſupereſt dubitandi locus, à Chriſto ſemel & iterum dictum, *Bene ſcripſiſti de me Thoma*, & ab Innocentio VI. *Qui eam doctrinam tenuerit, nunquam à veritatis tramite deuiaſſe: & qui eam impugnauerit, ſemper de falſitate ſuſpectum fuiſſe*? Cætera Pontificum teſtimonia omitto.

In primis quæro ab vtroque Petro, quibus falſa videntur hæc encomia; an vtramque Diui Thomæ quam ſtatui doctrinæ dotem, nempe eam à fidei traditione hauſtam, ad fidei defenſionem totam referri, velint à me confictam, aut ſtare & veram eſſe? Primum mox falſi conuincam; alterum ſi ſemel conceſſerint, fateantur neceſſe eſt digniſſimum eſſe Diuum Thomam elogiis à nobis relatis, aliiſque quibus illum proſecuti ſunt Summi

Pontifices Ioannes XXII. qui non absque Dei infusione, innumera & famosa opera perfeciſſe, & tot miracula edidiſſe asseruit, quot scripserit articulos : & Clemens VIII. vt cæteros omittam, *ingentem librorum numerum breuissimo tempore in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine ac mirâ perspicuitate, sine vllo prorsus errore conscripsisse affirmat.*

Sed quo sensu interpretabimur hæc encomia, & suffragia ? Eo nempe, quem efflagitat dos à nobis explicata doctrinæ, quæ à fide profecta, ad fidei defensionem recurrit: illud enim vnum est quod curant Summi Pontifices, de quo habent iudicandum. Medicus quidquid ex Philosophiâ naturali decerpit, totum refert ad remedia, quibus morbi curantur, & sanitati consulitur : neque quidquam illi qui medicus est, placet, aut sapit, nisi quod conferat ad incolumitatem, idque vnice respicit. Parum curat an corpora atomis constent, vt placet Epicuro, an materiâ primâ, & formâ substantiali, generatione inductâ, an substantia distinguatur à quantitate, & mediis accidentibus à se distinctis agat, vt visum est Peripateticis. Quid hæc ad curandos morbos : vt cúmque ista se habeant, certè nihil perit, nihil accrescit efficacię remediorum, quod vnum curat medicus. Ideo eas deligit sententias, quæ magis conferunt ad salutem.

Cum summi Pontifices doctrinam Diui Thomæ laudant impense, & ab omni errore immunem prædicant; quo sensu conuenit nos ista excipere ? Non quasi dicta ab Oratoribus ad eloquentiæ lenocinia, neque à Philosophis aut Theologis, quasi velint omnia ex D. Thoma certa & comperta esse. Non ea est mens Pontificum, & facilè innotescit, si inspiciamus quam ipsi personam gererent, dum ista pronunciabant. Agebant Pastores, & iudices rerum fidei : idque statuebant, sepositis omnibus quæstionibus metaphysicis, doctrinam Diui Thomæ tutam esse, vbique traditioni consentaneam, delectum opinionum eius esse conuenientissimũ ad mysteria explicanda. Referebant hæc ad officij, quo fungebantur regulas, & ad rerum fidei defensionem : sicut quisque Professorum omnia ad suæ disciplinæ & artis finem refert quæcunque tractat. Horum itaque decretorum verus & certus est sensus ; D. Thomam merito Theologorum prin-

cipem censeri, quod vbique Theologum agat pro dignitate, Ecclesiæ consensui, & traditioni semper adhæreat, & quas ex Philosophiâ habet opiniones, fidei principiis esse conuenientissimas.

Eâ interpretatione euitamus vitia eorum, qui nihil singulare, vel quid nimium volunt à summis Pontificibus assertum. Neque enim assentior Theophilo, & aliis, qui vt huiusmodi suffragia declinent, interpretantur lata, vt testentur summi Pontifices nihil habere D. Thomam fidei apertè aduersum: neque etiam cum illis conuenio, qui huiusmodi Pontificum decretis putant rata, indubitata quæ D. Thomas scripserit. Quid ergo ab his extremis interpretationibus asserimus diuersum, & quasi medium? Nempe summos Pontifices eo sensu locutos, quo conueniebat supremos arbitros; vt nihil dixerit Sanctus Doctor, quod à fidei principiis necessaria, aut probabili consecutione non esset deductum, atque eo etiam referretur, & conduceret ad fidei mysteria pios docenda, & propugnanda aduersus impios. Quæ cum ita se habeant, vt præter iam allata inuictis argumentis conficiam; quid mali inest, aut falsi subdoratur Petrus vterque, si quod statuimus inter reliquos Theologos, & D. Thomam intercedat discrimen. Illis probandum est immerito à me positum esse: eo autem semel constituto, quid mirum nihil esse decisum, aut decidi posse contra eum, qui vocem publicam traditionis secutus est, & acerrime tutatus?

Sed inquies hæresis est fidei regulam priuatum Doctorem vocare, qualem esse D. Thomam non negamus. Verum si quæ subsit illi voci hæresis, eius reum diximus esse Pium V. qui hoc elogio D. Thomam ornauit, idque decreto Pontificio, ne causetur Theophilus priuati Doctoris sensum esse. Sed instat cuius ordinis velimus D. Thomam, vel viuam, quæ voce, vel mortuam regulam, quæ scripto de scitis fidei statuat: neutram possumus asserere Diuo Thomæ citra errorem: non primi generis quæ summis Pontificibus, & Conciliis œcumenicis singularis est; neque alterius generis quæ vni Scripturæ Canonicæ eximia est: Ergo D. Thomæ vindicari nequit hoc nomen citra iniuriam summorum Pontificum, & Scriræ. Pudet me his nugis immorari; ipsum etiam Theophilum videtur pudere, dum infert suspectum esse de fide

qui à D. Thoma recederet : nam compertus esset non suspectus hæresis, si D. Thomam statueret fidei regulam ad eum sensum quem impugnat, & quo summi Pontifices, & Scriptura hoc regulæ nomen sibi vendicant singulare.

Sed cum ita argumentatur Theophilus, videtur mihi Bezam imitari, qui vocem Anti-Christianam vocat hoc nomen *Ecclesiæ fundamentum* concessum D. Petro, quod soli Christo contendit Beza conuenire: eodem prorsus abutitur argumento quod in nos Theophilus intorquet; sed facile est ex ipsomet refellere. Hæc nomina *fundamentum, regula fidei* (& vt ab ipso exemplum sumanus) *Apostoli* vocabulum, neque prorsus quid idem seu synonimum, & vniuocum, neque omnino diuersum, sed analogiâ quâdam commune est multis : ita tamen vt Scripturæ; & concilio altiori ratione conueniat notio *Regulæ* quam D. Thomæ asseramus, sicut de *fundamenti* vocabulo ad Christum, & ad Apostolos, vel de ipso *Apostoli* titulo, quem ad Sanctum Franciscum Xauerium vult pertinere; necesse est ipsum ad Bezæ argumentum respondere, vel ad nostrum de Apostoli nomine quod conqueritur alibi ægre collatum D. Francisco Xauerio à Patre Monstro. Quare illum vrgemus suo argumento. D. Thomæ non asserimus titulum infallibilis regulæ, quasi nulli rei nequeas regulæ nomen conferre, nisi asseras infallibitatem; quid enim fiet clepsidris & horologiis quibus metimur horarum moras vt regulis primæ, id est motui cœlorum inferioribus; hoc damnabis erroris contra Philosophiam; sicut hæresis contra fidem, si quis dixerit virum sanctum esse regulam vitæ Christianæ, quo nihil in scriptis Patrum, & in ore omnium frequentius.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Eadem immunitas probatur ab ipsiusmet Theophili scripto.

VOx hæc quam ex Thomistis referunt Theophilus & Dermitius in laudem & commendationem D. Th. dictam,

dictam, nihil hactenùs ab Ecclesiâ contra eius doctrinam decisum esse, neque decidi posse, summę apud ipsos audaciæ atque impietatis notam subit. Quamuis nihil opus esset forte illam propugnare, quod apud nullum discipulorum legerim, neque ipsi, à quo hauserint, significent; eam tamen D. Thomæ commendationem verissimam censeo: & quantum patitur Apologiæ breuitas, confirmandam suscipio; præterriam allatum, quatuor argumentis, quorum à te ipso, Theophile, secundum sumo.

Non est dubium, quin si aliquid extaret, quo scires Diuum Thomam & eius discipulos posse haberi reos alicuius erroris, illud protulisses: neque enim credibile est, illud à te omissum iri, aut ex ignorantiâ quasi tibi ignotum, aut ex affectu charitatis & humanitatis, vt nobis parceres. Primum ipse facile concedis, & nos etiam alterum: Ipse enim negabis te quidquam ignorare eorum quæ ad controuersias Theologicas, vel Authorum peritiam pertinet Nos etiam negabimus te bono in nos affectu voluisse tuo silentio, nostro pudori consulere. Nam qui nulli calumniæ, nulli mendacio parcit, vt nos traducat, certè à veris non abstinuisset, si præsto fuissent, quo reos accusaret: Ergo immunis est D. Thom. eiusque doctrina; immunes sunt tanti Magistri discipuli ab hæresibus: nullâ imposterùm possumus vel minima erroris suspicione laborare. Quare gratias tibi ago Theophile meo omniúmque Dominicanorum nomine; & sanè tibi debemus maximas, quod tuo beneficio, aut certè tuâ operâ, fides nostra purius splendeat, quam *aurum igne probatum, & argentum purgatum septuplum*. Quæsiuisti errores nostros, nec hactenus inueneristi.

Si dicas nos de hoc triumpho à te extructo frustra gloriari, quod hâc diatribâ & quartâ multorũ errorum nos conuiceris. Sed non sunt occupanda, neque ad hanc de quâ agimus hæreseos accusationem, aduocanda sunt argumenta, quibus illâ quartâ diatribâ contendis probare nostra dogmata non hæretica esse, & erronea: (hæc enim est primæ non quartæ diatribæ thesis à te proposita:) sed absurda esse, falsa, & paradoxa. Si quid habebas quo nos hæresis conuinceres, proferendum fuit priore diatribâ: in eâ vero certum est, præter nugas & conuicia nihil prorsus habuisse, quo vel in speciem argueremur, nisi

tria ex Banne, Spina & Combesisio deprompta. Atque hâc accusatione nostram innocentiam asseruisti: cum testatus sis, te nihil habere quod obiiceres, nisi opiniones à tuis inuentas, & à nostris reiectas, vel quæ ad fidem nihil pertinerent, vel quæ iam essent à nostris retractatæ.

Apostolorum innocentiæ maximum contulerunt splendorem Pharisæorum accusationes; quas cum maximo rerum & verborum apparatu adornassent, eò tandem reciderunt; quod grana frumenti à segetibus excussa panis & cuiuslibet obsonij loco, præ inopiâ & fame, illotis manibus comedissent. Neque enim aliud quod mali speciem haberet obseruauerant perspicacissimi & infensissimi aduersarij. Ea itaque accusatio incredibili odio concepta, vim habuit summi encomij. Ita Dominicanos à Theophilo habitos gloriari oportet, quod excussis per longissimam vitam nostris libris nihil reperierit calumniæ opportunum, nisi ea quæ nullius erroris suspecta esse poterant: quæ ipsemet Alexander VII. suâ vltimâ constitutione ab omni notâ exemerat, dum nihil se ex Cathedrâ de Conceptione definire pronunciauit.

Communis est vox Sanctorum Patrum, inuictam & ineluctabilem impiis omnibus, veteris Scripturæ libris authoritatem conciliasse Iudæorum pertinaciam, & implacabile odium in Ecclesiam: nam cum Deum rerum futurarum præscium authorem esse huiusmodi librorum contendamus, & hebdomadibus, quibus certo numero designatis & exactis Daniel vaticinatur Messiam venturum, & ex aliis his similibus, quæ à Prophetis prænunciata, & nobis conscijs, ac testibus completa sunt; nec potuerunt ab alio scribi aut dictari, quam à Deo, aut quem Deus docuerit, in promptu fuisset responsio huic argumento elidendo aut eludendo; eas Scripturas à nobis post rei euentum cusas, & conficta huiusmodi vaticinia. Sed hoc Atheorum & impiorum effugium euertit non dissimilis impietas Iudæorum, à quibus hos libros habuimus; quorum perpetuum in nos odium indubitatam facit authoritatem. Ideò illos Augustinus vocat *Ecclesiæ Capsarios, & librorum fidei ac salutis Baiulos*, ac testes omni exceptione maiores: quia nobis suppedi-

tant, ex quibus se ipsos damnent, & omnem sibi adimant infidelitatis excusationem. Quod si eodem in nos, quo Iudæi in Ecclesiam animo non sis affectus Theophile, certe eodem euentu aduersus nos egisti. Purgasti ab omni erroris suspicione authores & libros, quibus, cùm esses infensissimus, nihil nisi falsum & futile, omnium iudicio obiecisti. Quam alienos ab omni hæresi esse oportuit, eos quibus ne quidem huius criminis vmbram aut speciem potuerit affingere, is cui certum est facultatem nocendi defuisse, non voluntatem!

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Tertium immunitatis argumentum à doctrina D. Thomæ partium contextu & vsu.

ID à vobis quæro Dermiti, & vterque Petre, cur blasphemum & impium reputatis, quod vultis dictum à Dominicanis, *nihil hactenus decisum ab Ecclesia contra D Thomam, nec decidi posse?* Quid in illo, censuræ obnoxium censetis? An Theologica dogmata? An Moralia? An Philosophica? An commentaria in Sacram Scripturam? An denique omnia quæ extant eius nomine scripta? Sed prius demonstrandum vobis est, de hoc ingenti librorum numero falso dixisse Clementem VIII. *Sine vllo prorsus errore fuisse conscriptos.* Quis temeritatis arguet eos qui malint cum Summo Pontifice, quam cum Theophilo, cum Alua, sentire & loqui? Et vt sigillatim omnia expendamus, quid decidi contra potest? An de Philosophicis? Sed præter quod illa non sunt subsellij Ecclesiæ; neque ius, vt sic loquar, directum & plenum de his statuendis vsurparunt Concilia & Summi Pontifices; quæcumque habet Philosophica D. Thomas, demonstrabimus modo ad defensionem fidei selecta & comparata esse.

Forte censuræ obnoxia dicetis, quæ ad ciendam populorum pietatem, nempe hymnos, precationes, officia quæ de Sanctissimo Sacramento, de D. Augustino summâ sapientiâ, felicitate, ac pietate scripsit, & cum impio Erasmo in suo Ciceroniano, infantiæ fugillabitis? Ve-

rum si hanc notam huiusmodi piis scriptis inferretis, execrarentur vos omnes Ecclesiæ filij, qui iis decantandis videntur imitari cælitum vitam, choris Angelorum interesse, eorúmque fœlicitatem degustare. Fortè carpet Petrus moralia D. Thomæ? Non dubito quin illi summè displiceant Regulæ, ad quas vult vitam humanam, & Christianam exigi; quæ longè absunt ab illius sensu. Nam Theophilus vbique probabilia sectatur, D. Thomas certis & tutis inhæret.

Attingo solum quod ipse astruit: toti Theologiæ morali fundamentum duplex ex illo est vitæ & morum regula, lex scilicet & conscientia; à quâ aberrare possis triplici genere culpæ: nempe si pecces in vtramque iunctim, id est, in conscientiam, & legem; vel in alterutram seorsim; aut in conscientiam, quæ ex errore nobis persuadet prohibitum, quod licet; aut in ipsam legem, quæ re verâ prohibet, quod nobis ex errore, ex ignorantiâ, sin inuincibili, certè vincibili, & ex opinione probabili licitum & permissum nobis persuademus. Duo priora peccati genera omnes vltrò agnoscunt, tertium negat Theophilus, & omnes probabilitatum patroni: illud vero agnoscit, & statuit Sanctus Doctor, acerrimus legis, aduersùs libertatem, propugnator. An dices hoc D. Thoma principium censuræ obnoxium esse? Quid vero de Theologicis aut Philosophicis apud te statuis? Monstra locum, qui in tuto non sit à fulminibus quæ minaris & intentas: Vt hoc breuiculo validè eo demonstratum.

Non possum auspicaciùs inchoare hanc defensionem dogmaticæ partis, quam ab ipsâmet Theologiâ. Id obseruaui cum aliquo stupore, multos qui Theologorum nomine censentur, & inter primos suo, aliorúmque iudicio, reponuntur, ita abiectè de Theologiâ sentire, vt velint esse quandam disceptandi de rebus diuinis, communem Catholico, & hæretico artem, Sophisticę non dissimilem, quæ Academiæ more, in vtramque partem disputet, vix vlli assentiat. Honestius illi Theologiam deseruissent, quam profiteantur. Certè si illos Diuo Thomæ conferas, dixeris Theologiam neglexisse vt alienam, & Diuo Thomæ reliquisse colendam, vt suam. Ideo ipse penè solus Theologiæ honori consuluit: alij non eam dignantur scientiæ nomine, & opinionibus annumerant,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [112] - 52
PUBLIC DOMAIN

à fide seiunctam volunt superstitem, & eiusdem speciei in Apostata Theologo. At D. Thomas Theologiæ, non modò scientiæ, sed etiam sapientiæ locum & nomen asserit; quod causam altissimam, sin euidenti, ad minus certâ cognitione contempletur legibus scientiarum, quas subalternas vocant: quia superiorum conclusiones in principia sibi assumunt. Profundissimâ meditatione, idem sanctus Doctor, Theologiæ, ius scientiæ vindicat; quod à visione beatâ, cui mediâ fide iungitur arctissimo fœdere, principia assumat, ineuidentia quidem, sed certa: vnde suas eruat conclusiones, quibus nihil officit obscuritas, quin eâ certitudine polleat Theologia nostra, quâ facilè superet scientias lumine naturali comparatas: atque hoc iure à scientiâ superiori beatificâ, cui subiicitur, eius imperio subduntur, & obsequio se deuouent scientiæ omnes: vt verum sit quod de charitate Deo subditâ dicitur; seruire fidei & beatorum scientiæ, regnare est supra scientiarum reliquas.

Hanc Theologiæ cognationem, hoc imperium, Diuus Thomas constituit, & inuiolatum seruat omnibus suis scriptis: contra quæ si velit Theophilus posse aliquid decidi, demonstret necesse est alicubi Diuum Thomam peccasse, vel in fœdus Theologiæ cum scientiâ superiori, quasi aliquid contra fidei principia docuerit; vel contra ius & authoritatem scientiis inferioribus imperandi. At quis vnquam Philosophiam Theologiæ obsequio felicius addixit & vindicauit? Antequam D. Thomas scripsisset, audiebantur passim hæ voces, *Philosophos hæreticorum Patriarchas esse*: & nunc mirâ conuersione, Philosophia Theologiæ militat, & est illi clypei & teli loco, aduersus impiorum impetus, idque debet Ecclesia, sapientiæ Sanctissimi Doctoris.

Improbant Philosophorum & Theologorum plurimi, Sancti Doctoris opiniones, quòd ignorent, vel non satis attendant, quibus de causis illis adhæserit. Displicet illis imprimis quod distinctionibus rerum nimis indulgeat, earúmque prodigus velit essentiam ab existentiâ, & à suis potentiis, quantitatem à materiâ, aliáque Accidentia à substantia, Relationem à subiecto quod afficit, Verbum ab intellectione realiter distingui: quod asserat Animam rationalem dum degit in corpore, obli-

que tantum singularia nosse, beneficio speciei naturæ vniuersalis, & Angelos in peccatum semel lapsos nunquam posse sui errati pœnitere, neque retractare iudicium.

Ex multis quæ extranei aut æmuli apud Diuum Thomam improbant, hæc pauca selegimus; quibus de reliquis, quid sentiendum sit facilè prudens Lector agnoscet. Id primum statuo, nihil eorum quæ à nobis insinuata sunt, & quæ quartâ diatribâ obiicit Theophilus, non fuisse a Diuo Thoma, absque summo delectu ex Philosophiâ assumpta, ad res fidei illustrandas & confirmandas. Creaturas vbique S. Doctor opponit Deo, vt propemodum nihil entium supremo; atque ex illarum compositione, ad Dei simplicitatem assurgit, omnis omnino distinctionis realis expertem. Denique vbique astruit quæ sint conuenientiora Deo, fidei & rationis lumine noto. Ideóque non solâ existentiâ à se, aut naturæ viuentis principio ad intelligendum proximo, sed ipsâmet intellectione diuinitatem constituit; tum ad commendandam infinitam Dei & simpliciſſimam perfectionem, tum vt ineffabilem Verbi generationem enarret: & à Spiritus Sancti processione distinguat, hoc iam constituto discrimine, quod generatione Verbum intellectionem, vt diuinitatis naturam, Spiritus vero Sanctus Amorem vt attributum sua emanatione recipiat.

Quâ vero ratione concipias, aut deffendas, constitui relationibus diuina suppositа, si vniuersim pronunties relationes nullâ ratione distingui à subiecto, & nihil esse præter absoluta, nisi fortè denominationes extrinsecas? Si vero cum nuperis Philosophis accidentia corporibus auferas, vel quantitatem à materiâ, cum Nominalibus indistinctam velis; haud scio an stare possit mysterium Eucharistiæ, iis saltem quæ docet fides de substantiâ panis & vini mutatâ in Christi corpus, quod accidentibus opertum lateat miris, sed veris modis. Neque etiam à verbo mentali intellectionem, vt à termino & obiecto intrinseco, quod exterius exhibet quasi præsens menti, parum confert distingui ad fidei mysteria, & ad verbi generationem reuelatione notam, & exemplis explicandam. Quod vero de potentiis ab essentiâ animæ profluentibus, & operationum administris docet D. Thomas; mirum

est quanti referat ad constituendum ex Scriptura & Patribus consortium illud, quo diuinæ per gratiam naturæ participes facti, deinde per lumen gloriæ posterius gratiâ, maius charitate, altius quam affectu, & amore in similitudinem & sortem diuinitatis euehimur. Ad quid illa singularium indirecta notitia, dum sumus in corpore, ex Aristotele assumitur à D. Thomâ, nisi ad animorum immortalitatis fidem, pluribus aliis inductam argumentis confirmandam? Et vt ratio sit in promptu, cur dormientes insomniis decipiamur; nempe quod nequeat certum ab intellectu iudicium statui, nisi expedita sit ea facultas sensitiua, ad quam pertinet singularium notitia, quæ intellectui inseruit. Et cum ab hoc obsequio somnus præpediat, & nullas sinat species, aut valde turbidas emergere; Hinc existunt præstigiæ insomniorum, aut insanientium deliria. Ex hâc etiam sententiâ euidens est animam vniuersalia attingere; imò est illud præcipuum immortalitatis eius argumentum: & etiam facile est soluere illud quod Athei obiiciunt de dormientium, & insanientium deliriis, & in ipsos retorquere. Qua vero ratione defendas præcipuum religionis mysterium, communem scilicet homini, & angelo lapsum, Redemptionis gratiam soli homini, nihil angelo profuisse, nempe quod casus angelo mors fuerit. Et cum medius inter hominem, & Deum constituatur eo ordine, vt Deus sit expers omnis mutationis, homo illi sit semper obnoxius, Angelus vtriusque particeps, ante electionem mutabilis est in bonum, malûmque arbitrij; sed vbi se alteri parti addixerit, neque à malo resipiscere potest; neque à bono auerti.

Decurrimus breuissime omnes Doctrinæ Angelicæ partes, earûmque nexu, & vsu demonstratam satis puto immunitatem ab omni censurâ, & hæresi. Quid enim mali, & erroris inesse potest Doctrinæ diuinissimi Theologi, quæ duplici quasi vinculo, aut fœdere fidem rationi, superiora inferioribus iungit, obsequio nempe in scientiam Beatorum, cui subditur, à quâ sua principia haurit, & imperio in scientias inferiores, quas ad arcem vocat, & illarum operâ fidem tutatur.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Argumentum immunitatis doctrinæ D. Thomæ ab euentu.

FREQVENTES sunt apud Theologos ab actu & potentia reciprocæ consecutiones Hactenus progressi sumus a potentiâ ad actum, quasi hâc formâ arguere nius. Nihil habet doctrina D. Thomæ non sanum, & sanctum, ergo immunis semper fuit ab omni censurâ, notâ, & suspicione erroris. Nunc ordine inuerso progredi placet ab actu ad posse: Nihil hactenus per 400. annos, neque in Sancto Doctore, neque in eius doctrinæ tenacibus, ac fidis discipulis animaduersum est, quod vllam censuram commeruerit; nihil ergo contra illum decidi potest. Nunc ex Magistro vrgemus argumentum, statim de discipulis dicturi, quos carpit Theophilus.

Multi consequuntur immunitatem à censurâ, eámque debent sui nominis obscuritati; ij sunt, qui vitam silentio transigunt; quorum vitam mortémque iuxta æstimat Salustius; quia de vtraque siletur, nihilque scripserunt aut gesserunt laude dignum, quod inuidiam & æmulationem prouocaret. Non potest eo referri immunitas Sancti Doctoris; ad eius gloriam summam pertinet, non pauciores habuisse aduersarios, quam discipulos, & fere pares esse, qui insectantur, iis qui illum admirantur. Vix credi potest, quas ille dum viueret, & post mortem, omnibus ferè sæculis, quæ ab eius obitu fluxere, & ab omnium Ordinum hominibus passus sit, & etiamnum patiatur insectationes. Sed quemcumque tandem res sit exitum habitura, non potest non cedere in maximam D. Thomæ commendationem.

Mirum est eâ authoritate valuisse doctorem vnum, vt per trecentos, & vltra annos, Populi, Principes, Reges, Academiæ, Vrbes, Regna, vrgeant rem vnam præter eius sensum decidi, & dirimi, & nihil hactenus sit de fide constitutum ex Cathedrâ. Vel enim euincent tandem quod lõgissimis, & continuis precibus tot milliones hominum, & legationibus Principes efflagitant, vel frustra id obten-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [116] - 56
PUBLIC DOMAIN

dent, & rogabunt: Si hoc postremum contingat, quid excogitari potest illustrius ad gloriam, quam vnum contra tot milliones inualuisse? Si res tandem cedat contra illius mentem, certè non cadet inglorius, quandoquidem per tot annos pugnandum fuerit infinitis, vt vnus semel vinceretur. Neque victum dicam: si quod enim ex Cathedrâ decretum prodeat contra illius opinionem; vel iuxta perpetuum Conciliorum, & Summorum Pontificum morem ex scripturâ & traditione repetetur quasi expresse contentum, aut necessariâ consecutione deductum: vel præter antiquas leges, ex alicuius Scripturæ loci interpretatione etiam mystica eruetur, aut nouâ reuelatione sancietur. Nolo enim disputatare; an alia sit concessa, & vsquam vsurpata, post Scripturas Canonicas, res fidei ratio definiendi; inconsultâ aut mutâ traditione; vel Scripturâ ad sensum litteralem, eumque necessario textui connexum, non expensâ. Esto, (quod vnus Theologus scripsit) nouas reuelationes, multis improbatas; demus valere ad eiusmodi decreta fidei conficienda: satis sint ad hoc loca Scripturæ Sacræ sensu mystico explicata: à quâcunque tandem reuelatione, aut interpretatione decretum hoc proficiscatur, in nullum potest cedere dedecus D. Thomæ Si noua fuerit reuelatio, quid mirum fuisse D. Thomæ ignotam 400. annis defuncto antequam vulgaretur, & illi fides diuina esset habenda: Idem iudicium esto, si iuxta regula, D. Ludo. à Crespi & Borgia prodeat ex interpretatione locorum, & Scripturæ ad sensum mysticum; neque enim poterant apud antiquos magis fidem facere, quam reuelatio nulli propalata. Si vero in Scripturâ, & traditione à Christo per Apostolos receptâ hac veritas latebat, & inde oportuit elici quasi ignem ex lapide; certè non vertetur vitio Doctori Sancto id ignorasse, quod ita obscurâ traditione delitescebat vt 300. annorum studio, & indagine vix erui potuerit.

Tria hic mirari, & summe laudare subit: primo inuictam tot hominum, omnium Ordinum, in hâc definitione efflagitandâ, & prosequenda constantiam; vt nullâ dilatione & morâ frangantur, aut fatigentur; & ipsâmet repulsâ videantur accendi, ac ferè Summi Pontificis partes, & decreta occupare. Sed huius rei admiratio ce-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [117] - 57
PUBLIC DOMAIN

dit maiori apud me miraculo, nempe consilio Sedis Apostolicæ, à definitione abstinendi; quod saltem hactenus neque infringi, neque mutari potuit tot populorum precibus, & legationibus Principum. Sed quis ad tertium, quod ex duobus superioribus existit, prodigium non obstupescat? Quod vnius hominis, qui nunquam sibi permisit vltra quod scriptum aut traditum est, sapere modestia & reuerentia adeo optatæ definitionis sit obex, & mora?

Hinc discant Hæretici, se Ecclesiam & Romanos Pontifices, per summam cæcitatem & malitiam fuisse calumniatos; quasi nihil pensi habeant Scripturam & Traditionem diuinam, quasi ex tempore, ad arbitrium, nullo delectu & examine, prætextu nouarum reuelationum, res ex Cathedrâ definiant. Sciant, & præ pudore suarum calumniarum impostarum obmutescant, à trecentis annis sub iudice summo Pontifice litem esse: & quamuis longissimè dispar sit contendentium partium conditio; tantæ tamen æquitatis esse summos Pontifices, vt semoto personarum respectu, causæ tantum momenta inspexerint, nihil gratiæ dantes, nihil odio: diuinæ sapientiæ oracula consuluerint & continuis precibus ac lachrymis responsa sollicitarint: neque hâc perfuncti curâ, dubitauerint scribere, & præ se tulerint, nondum sibi lucem affulsisse, neque tanti mysterij se ita conscios & compertos, vt illius fidem possint Ecclesiæ indicere. Hinc discant Sedis Apostolicæ hostes, cui insidere blasphemant Anti-Christum, se supra Dei verbum, & id omne quod dicitur Deus, efferentem: & vt cætera omittam, his refellendis impostoris, quibus populos dementant: obseruare velim omnes, vtrum quam obiiciunt, arrogantia, conueniat his quæ à nobis modo relata sunt.

Sanè cum multa sint, quæ nos in Ecclesiâ Romanâ detinent, & quæ ipse Augustinus enumerat argumenta; quibus sin vera euidenter Religio Christiana, certè euidenter credi & persuaderi debere, demonstratur: tamen illud præ cæteris vrget, quod repetitur à perenni fide, & authoritate Ecclesiæ, & Sedis Romanæ, cæteris omnibus, aut euersis Barbarorum manibus & armis, aut Hæreticorum impietate, in Apostasiam delapsis: id admirationem & reuerentiam inuictæ potestatis & fidei Ro-

manorum Pontificum auget; quod totidem à dæmone machinarum & tentationum genera, quot Christus, perpessi, numquam à fide defecerint. Nihil illis primùm nocuit, non minus diuturna, quam atrox Imperatorum sæuitia, quæ triginta sex priores, qui Sedem Romanam, occuparunt Pontifices absumpsit, & supremam authoritatem primæ sedis, tot Martyrum gloriâ illustrauit & confirmauit Sed multo grauius videbatur periculum fidei & Authoritati Pontificiæ, à vitiis multorum, qui longè dispares meritis, & sede indigni, eo conscenderant, quam ab Imperatorum crudelitate. Verum non frustra concessum fuit diuinâ liberalitate Petro, præ cæteris Apostolis & Diuis omnibus, vt non solum contactu & verbo, sed solâ vmbrâ ægros curarit, & alia id genus miracula ediderit; vt esset vaticinio & argumento; quamuis à moribus & sanctitate Petri longissime abessent successores, & vix eius vmbram referrent; facturos tamen miracula, nec vnquam ab eius fide & authoritate casuros.

Vltimum supereſt tentationum genus, quo potuisset fides labefactari multo grauius, quam duabus machinis à nobis enumeratis, nisi Christus orasset, ne vnquam deficeret, & promisisset perpetuam & incorruptam fore. Quid vero illud est? Doctorum adulatoriæ voces, Optimatum preces importunissimæ; quibus hactenus non magis cessit Romana & Pontificia fides, quam priuatis vitiis, aut Imperatorum minis & sæuitia.

Nullâ re sibi Principes timere magis conuenit, quam iis vocibus, quæ potestatem in maius augent, & licere quidquid libuerit, mentiuntur. Non defuere huiusmodi voces Theologorum, quas referre nolim, ne hæretici sciant vnquam, ab vllo Catholicorum prolatas. Sed nouerint summorum Pontificum fidem illis intactam & maiorem fuisse; & Theologis Ecclesiæ Romanæ hoc seruasse armorum genus, quo semper vincentur; nihil vnquam à summis Pontificibus decretum ex Cathedrâ, & subinde credendum, quod Scripturæ testimoniis ad litteram explicatæ, quod successione perpetuâ, Diuinâ non Ecclesiasticâ, vt nonnullus malè diuisit & peius hic explicuit, per Apostolos ad nos deriuata, non demonstremus ex ipsismet Magdeburgensium Centuriis, & Calui-

ni Institutionibus muni tum & confirmatum esse.

Hic etiam ad augendam Sedis Apostolicæ reuerentiam, & ora hæreticorum contundenda, non censeo omittendum, quod cum Basileense Concilium definitionem ediderit de piâ opinione, (fortè in Turrecrematam aliósque Dominicanos indignatum, quod à se defecissent, & Eugenij causam propugnarent) nondum accesserit huic definitioni vllum Summi Pontificis decretum, quo confirmaretur. Quid vero causæ fuerit, non ausim dicere; nisi forte, quòd cum iuxta scholæ nostræ sensum, altior sit Pontificum, quam Concilij authoritas, putauerint ad suam dignitatem & curam pertinere, decreta maturare, magis quam festinare; & illis quam maximè fieri potest, pondus addere, non solum ab Authoritate quæ summa est, sed etiam à Scripturâ & Traditione, ad quam veluti ad Regulam, semper suas definitiones exegerunt, contundendæ hæreticorum audaciæ, & piorum fidei promouendæ causâ.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Argumentum quintum immunitatis à diuersâ sorte discipulorum Diui Thomæ.

HAnc ab errore immunitatem Familiæ & Scholæ nostræ lacessit & ridet potius, quam impugnet Theophilus, pluribus exemplis Dominicanorum, & discipulorum D. Thomæ, qui in Apostasiam prolapsi sunt: quales fuere Bucerus, Palæologus, &c. vel falsa scripserunt & errores, vt Caietanus, Catharinus: vel ad inquisitionem vocati iudicium subierunt vt Carranza, Mathæus Grabont. Ad hæc omnia vniuersim, deinde partibus respondsurus, moneo nos adeo deliros aut cæcos minimè esse, vt velimus, scholâ & familiâ Christi, nostram à casu & ab errore longius abesse: æquo igitur & forti animo ferimus ea mala, quibus ipse Christus discipulorum carissimos exemptos noluit: Atque vt istius familiam, ita nostram tripartitam constituo. Multi è Christi discipulis à fide & charitate receptâ nunquam defecerunt, alij exciderunt penitùs, nonnullis aliquid humanum

contigit, sed veniâ dignum, & pœnitentiâ emendatum. Non dissimilis est nostrorum hominum conditio: plures fuerunt semper doctrinæ D. Thomæ tenaces, nec ab illâ recesserunt, quales sunt Capreolus reliquorum princeps, Ferrariensis, Conradus ex antiquis: ex modernis Ioannes à Sancto Thoma, Salmanticenses, &c. Secundâ classe reponimus à fide & religione Apostatas, qui Iudæ respondent. Tertij & quasi medij generis sunt, qui saluâ religione Diuum Thomam, parum, aut nihil curarunt, vt Durandus, Campanella: vel sibi parumper ab illo recedere permiserunt, qualis sunt Heruæus, Paludanus, Soto, Cano, Victoria, Caietanus ad purpuram assumptus, & Scripturas magis suo ingenio, quam ad D. Thomæ mentem interpretatus. Sic instructâ Dominicanorum acie, non detrectamus cum Theophilo pugnare, & ex variâ discipulorum D. Thomæ sorte eius doctrinæ immunitatem demonstrare. Id certissimum est nullam erroris notam, aut suspicionem passos, quandiu Magistro adhæserunt: Quos vero huius obsequij pœnituit, subinde lapsos: qui vero à fide omnino defecerunt, aliquam in Magistrum reuerentiam seruasse, eiusque causâ minus hostili in Ecclesiam animo fuisse.

Hoc differt à D. Thoma Scotus, quod plures ab ipso ex suâ Familia, quam ex Dominicanâ à D. Thoma defecerint. Id vero inde profectum censeo; quod cum nulli ex nostris pares essent ingenio & eruditione D. Thomæ, putarunt sibi honori fore eum Magistrum agnoscere: sed non est assecutus Scotus hanc reuerentiam à suis, neque à Riccardo, neque ab Ocham, Aureolo, multisque aliis, qui fortè non sibi videbantur illi subtilitate inferiores.

Sed quidquid sit, vt ad rem nostram accedamus, sciunt omnes, quotquot se D. Thomæ addixerunt, vel sibi ab illo recedere permiserunt Dominicani, vel ab erroribus omnino immunes, vel illis obnoxios fuisse: quod vtrorúmque exemplis manifestius est, quam vt nostra egeat opera. Quis ignorat Durandum, ex nostris, doctissimum & profundissimum Theologum pluries præcipitem, & lapsum in diuersos errores, quibus libros suos maculauit? Vnde hoc illi mali contigit? Quia à suo Magistro recessit, vbi primum Episcopus factus cœpit sui iuris esse, vnde illi suus Nepos improperat, *Sedens aduer-*

ſum fratrem tuum loquebaris , &c. Et Caietanus ipſe quandiu D. Thomę adhæſit, ab omni prorſus errore abfuit. Quis tutius, & firmius fixit gradum, quandiu veſtigia D. Thomæ ſecutus eſt ? At cum ſuo voluit regi iudicio, in multis exceſſit, & Catharino ſuppeditauit materiam amplam animaduerſionum, quibus ſex libros confecit. Quis ipſomet Catharino frequentius, & grauius impegit ? Quis Thoma Campanella turpius hallucinatus eſt ? Nempe quia ſuo quam D. Thomæ ſenſui maluerit adhæreſcere.

Hæc exempla mihi videntur eo accommodatiora, quod alios Ordines minimè lædant, ideo ne dem vlli cauſam contra me expoſtulandi, abſtineo ab alienis exemplis, cum domeſtica ſufficiant, ad id quod propoſui, in quamcunque partem aſſumpſeris ſiue eorum : qui iniuerunt viam quam muniuit S. Doctor, ſiue eorum qui aliò diſceſſerunt, & quibus diuerticula placuere ; & ſicut eorum ex Dominicanis plura dedimus luculenta exempla, multo plura ſuppetunt in contrariam partem. Quem mihi dabis diſcipulorum, qui in verba D. Thomæ iurarunt, ac iuramento ſteterunt, alicuius erroris conuictum, & damnatum ? Hæc eſt vis primæ demonſtrationis, quam apertè confirmas tota tua prima Diatriba.

Nec eſt quod nobis opponas Martinum Bucerum hæreticum, alioſque, Dominicanam veſtem induiſſe : vltro enim fatemur Martinum Bucerum hæreticum è noſtro Ordine transfugam fuiſſe. Iam diximus Dominicanos, qui à D. Thomæ doctrinâ exceſſerunt, in errores fuiſſe lapſos, hoc vltro fatemur. Nec enim ſumus ex illis, qui ſua phylacteria dilatant, omnia ſua laudant, omnia ſua extollunt, nihil inter ſua non ſanctum, non rectum, in re nullâ ſuos deficere aiunt, nullum errare, nullum male ſanæ doctrinæ adhærere ; ſuos omnes, ſanctos dicunt, Doctores, Martyres, Athletas, heroes : & quod ſingulariter de Sancto Thoma Aquinate Angelico Eccleſiæ Doctore ſcripſit Clemens VIII. in ſuo ad Neapolitanos Ciues Diplomate, quod ingentem librorum numerum, abſque vllo prorſus errore cõſcripſerit, hi attribuunt cuilibet ex ſuis vulgari doctori quamuis gregario, quamuis infimo. De huiuſmodi hominibus ſic de ſeipſis ſentientibus, inquit S. Auguſtinus. *Sunt quidam inflati vtres,*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [122] - 62
PUBLIC DOMAIN

spiritu elationis pleni, non magnitudine ingentes, sed superbiæ morbo tumentes, vt dicere audeant, inueniri homines absque peccato Sed forte Apostoli arietes gregis, & Pastoris membra non habebant peccatum? Vere habebant; ego non auderem; ipsum audi Dominum dicentem Apostolis. Sic orate, dimitte nobis debita nostra Homil. 43. ex. 50.

Bucero, Palæologo annumeras, Mathæum Grabon à Martino V. agentibus Doctoribus Parisiensibus in Concilio Constantiensi damnatum, eiusque librum igni addictum, (qualis pœna tuo inflicta est,) sed à Mathæi longissime æquitate abes: ille hoc saltem nomine se non indignum D.Thoma Magistro probauit, summâ in iudices reuerentiâ quorum sententiæ vltro se subiecit, tu inuictâ pertinaciâ iudicibus conuitia reponis. Sed quid de Bartholomæo Carranza (quem tu fere inter hæreticos reponis) non solum libris, dignitate post Romanam summâ, studio in Rempublicam Christianam Patribus Tridentinis comperto (& quod pluris facio) inuictâ in aduersis constantiâ celeberrimo dicam, cuius pios manes importunissimè sollicitas? Habuit superiori sæculo Familia Dominicana infinita propemodum eruditionis, & sanctitatis ornamenta sanè præstantissima. Nam præter sex Archiepiscopos, 17. Episcopos, & octo supra viginti Theologos, qui velut sydera in Concilio Tridentino effulsere, floruerunt in Lusitania Oleaster, & Granatensis, in Italiâ Pius V. Sed reuera aliquid ad plenam & cumulatam laudem Ordinis, desiderarem, si defuisset Carranza, primas Hispaniæ, cuius eruditio & dignitas fuerunt infra vitæ & fidei integritatem, atque in aduersis constantiam. Priuati hominis virtutem & gloriam mancam & vix dimidiatam reputat Seneca, si illæsâ fœlicitate nullis probatus aduersis vitam transegerit: Certe illi sæculo tot heroibus Dominicanis glorioßissimo multum deperiret, nisi accessisset Carranza nihilo inferior malorum patientiâ & vitæ innocentiâ sanctissimo Iobo. Inquisitio Hispana & Romana sub Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. nullum prætermisit rigorem in viro examinando, nihilque habuit quod damnaret: neque ipse multis annis exagitatus vnquam sibi permisit, vel minimum verbum hiscere aduersus iudices: imo testa-

tus nihil contra se actum præter iura legum & fori.

Antiqui loca fulminibus percussa venerabantur. Si ibi inesset Theophile, aliquis religionis aut humanitatis sensus; abstinuisses à Carranza carpendo, vel illius Christianæ patientiæ exemplum imitareris. Sed frustra à te sperem aliquod humanitatis in viuos aut mortuos officium.

Si aliquis grati in bene meritos animi sensus superesset Theophilo, aut quo flagrat, ardor insectandi Dominicanos, pateretur attendere quam grauem vni Societatis Præposito, id est Francisco Borgiæ notam inurat, dum Carranzam suspectum hæreseos facit, & apertis hæreticis annumerat eo iniquius, quod oblique perat reticentiæ figura, abstinuisset à vexandis piis manibus summi viri, tot dura, tot aspera dum viueret perpessi. Memisisse debuerat Carranzæ beneficium in Societatem immortale. Nam vbi Filicæo Archiepiscopo Toletano Societati Cano infensiore suffectus est, quam decessor pertinacissimè negauerat facultatem, Toleti sedis constituendæ liberalissimè concessit; & vt inquit Lib. 2. 139. Sachinus Cartãzę gratior ex sacro Dominicanorum Ordine fciliceo successit animo ergà nos planè diuerso. Prima ei curarum fuit Societatem Toletum inducere. En Dominicanum Vatiniano odio in Societatem accensum.

Certè si innocentiæ sapientissimi Præsulis aut in suos beneuolentiæ & liberalitatis aliquam noluit rationem habere, debebat ad minus consulere tum fidei, tum authoritati Borgiæ. Nam vt refert idem Scriptor l. 4. 189. Borgiæ fidei aliquid creatum fuit incommodi ex familiaritate cum Carranza: non modo, quia re verâ amabat, atque adeò mirabatur hominem Borgia, & prædicabat insignes virtutes, quarum in Archiepiscopatu pulcherrimam speciem dabat: sed multo maximè quia ille, vbi datus est in custodiam, innocentiam constanter defendens, Quæsitorum in Hispaniâ reiecto principe Valdesio Archiepiscopo Hispalensi, ne suæ causæ iudex esset, ad iustæ repulsæ probandum ius præ cæteris testibus omni exceptione maioribus ipsum nominauit Franciscum Borgiam; vnde Hispalensis Antistes grauiter offensus est: & inde in Carranzam inualuit accusatio.

Debuerat

Debuerat sanè Petrus abstinere à Carranza sugillando, cuius fides & innocentia non modo Borgiæ testimonio comprobata, sed etiam cum ipsius Borgiæ fide sit coniuncta: vt vix tuto & saluo Præposito Societatis, in discrimen aut suspicionem Carranza venire possit. Sed Dominicanorum lacessendorum auidus nullam patitur etiam cum sui & suorum noxâ occasionem elabi, quæ eius affectui indulgeat.

Sermo de Carranza habitus ad tertiam classem nos deducit Apostatarum: horum facile princeps est Bucerus, qui è Germaniâ in Angliam ascitus Cantabrigæ professorem egit, ibique defunctum & sepultum iussit effodi & igne posthumo (quod supplicium viuus promeruerat) eius cadauer comburi Bartholomæus Carranza, sub regno Mariæ (eheu nimium breui!) in Angliam vocatus, Religionis instaurandæ causâ, quo munere egregie defunctus, nec ipsi Bucero olim ex Ordine & defuncto pepercit.

Sed vt de Apostatis aliquid attingamus: tres à nobis distinctæ classes Dominicanorum, aliquam præferunt similitudinem trium locorum, in quibus fides docet post mortem animas degere: vel enim cœlo receptæ Deo fruuntur, vel in Purgatorio, quæ adhæserunt leuium peccatorum sordes eluunt, & soluunt pœnas: vel tandem in inferno æterna supplicia patiuntur. Beatis mentibus respondent fidi Sancti Doctoris discipuli, qui nihil peccarunt, quod reprehensionem meruerit: Minus fœliciter actum est cum iis, qui interdum à sancto Doctore dissenserunt, non impunè, Purgatorio librorum indici inscripti. Vltimus locus debetur Apostatis. Sed quinam ordinum illis caruit, seu dedecus voces, seu remedium? Est enim dubitandi locus quo nomine sit vtendum. Sed quidquid sit, siue illorum casus sit ordini, vnde exeunt, leuamen aliquod, seu vituperium, certè pauciores numerabimus ex Dominicanis, quam ex aliis Ordinibus, & ex ipsâmet Societate, quamuis eius Institutor sapientissimus nihil omisisse visus sit, quo graue malum auerteret, & occuparet. Nam cum cuiusque corporis, seu naturalis, seu politici, & sacri incolumitas sit à duplici virtute, vnâ rerum salutarium retentrice, noxiorum alterâ expultrice; vtrâque voluit suam Societa-

tem pollere, præclusâ ſuis ad dignitates viâ, quæ aliis Ordinibus patentior eſt cum aliquo ſui damno, quod tamen in Eccleſiæ bonum redundat, & poſtico turbidis ingeniis ad ſæcularem vitam aperto; ne ſi difficilior eſſet exitus, detinerentur cum graui incommodo Societatis, vel vi erumperent cum periculo Apoſtaſiæ ad impunitatem apud hæreticos quærendam, quam à Catholicis vix ſperarent, niſi emitterentur.

Quamuis hæc agnoſcam ſummâ prudentiâ ſancita fuiſſe; fatendum tamen eſt morbum infirmitatis humanæ non fuiſſe hoc remedio ſanatum, ſiue immedicabile malum ſit, ſiue eius curatio expectanda magis ſit à diuinæ gratiæ efficaciâ, quam ab humanis conſiliis. Vnde videmus pauciores non eſſe qui ex Societate, quam qui ex noſtro vel quolibet alio Ordine deſciſcunt ad hæreticorum partes: & ſi qui ex noſtris defecerunt, minus fuerunt Eccleſiæ infenſi. Teſtes ſint ipſi Bucerus, & Palæologus; (nam Ioannes de Bellis confictus eſt à Theophilo, Agardus erat idiota mente captus) Bucerus iudicio Caluini omnium hæreticorum doctiſſimus, ex Iudæis natus, Iudaiſmo magis adhæſit, quam vlli hæreſi, verè cothurnus Germaniæ inter Lutherum & Zuinglium, quos fruſtra conatus eſt conciliare.

Cæterum quid de D. Thoma ſenſerit Bucerus, & quam validis ab illo Eccleſiam armis inſtructam, & munitam præſidiis agnouerit, ſatis illa omnibus notâ voce teſtatus eſt, *Tolle Thomam & diſſipabo Eccleſiam.* Voluit Chriſtus gloriæ ſuæ participem fieri Angelicum Præceptorem: atque vt à dæmonibus ſuæ diuinitatis teſtimonia extorſit; ita hæreticorum ora aperuit ad commendandam D. Thomæ Doctrinam. Nec illi nocuit Palæologus, cuius hiſtoria à te falſata eſt, Theophile. Aſſeris Dominicanum fuiſſe, & Romæ combuſtum: vtrumque aut falſum, aut ad minus incertum eſt. Qui hiſtoriam Pontificatus Gregorij XIII. ſcripſerunt Antoninus Ciappi, & Victorellus, tacent Dominicanum Palæologum fuiſſe; ſin negant, certè non meminere; & addunt inſtante ſupplicio reſipuiſſe & iuſſu Pontificis reductum in carcerem, vbi multis annis ſuperſtes, ſcripſerit plurima & erudita ad fidei defenſionem: quæ audiui, ſicut Commentaria Oleaſtri in totam Scripturam, alterius Ordinis authorem

suo nomine typis dedisse. Sed absit vt ad tuam imitationem accedam: tu non solum dubia, sed certo falsa de nobis scribis, nollem ego de te, & tuis aliisve cuiuscumquè sint Ordinis, ne dicam dubia, sed ne certa quidem scribere, quæ possint illorum famam minuere.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Sextum Argumentum à Petro Alua qui prætermissâ Scripturâ & Traditione, conuenientia sectatur.

EA est rerum sibi aduersantium lex non iniusta, & summè vtilis, vt in mediâ pugnâ sibi lucem affundant: & si quid boni aut veri insit partium vni, alterius collatione innotescat. Exordium huius de Immunitate disputationis sumpsimus à discrimine quod à me obseruatum dixi, & iam pluribus confirmàui, Diuum Thomam inter & Theologorum reliquos, maximè Scotum; quod sanctus Doctor Scripturam & Traditionem vt diuinæ Voluntatis fidos & certos Interpretes consulat; Scotus vero Dei opera inspiciat, & quæ illis conuenientiora videntur, sibi aliisque persuadeat, vnde sanctus Doctor nunquam sibi permittit sapere vltra quod scriptum & traditum est: Doctor vero sublitis conuenientiis ducatur, & illis maximè indulgeat. Discipuli Magistrorum regulas & vestigia secuti sunt; & si velis Scholas certis nominibus distingui, non aberrabis, si vni verbum Dei, alteri Dei opera ascribas, & illi des in regulam testimonia, alteri conuenientias. Quas absit vt damnem, si illis sobrie vtaris: sed cum sint proprij partus ingenij humani; timendum est ne indulgentiâ quasi paterna illas prosequamur; earúmque affectu nimio, longissimè à vero in multa falsa & absurda abripiamur.

Cum plura extent, & proferre possem exempla eiusmodi conuenientiarum absurdissimarum; vnum attingam ex Petro Alua, qui pluribus libris, sed maximè vno edito 1651. hac inscriptione *Naturæ prodigium & gratiæ portentum*, & Thesibus Toleti in Comitiis Generalibus Minorum ab eodem Petro propugnatis, & à Thomæ

Hurtado relatis, ita ingenij sui habenas laxauit, & per illa latissimam cõuenientiarum viam excurrit; in tot denique absurda abreptus est, semper ductus conuenientiis; vt eius libri ab Inquisitione Hispanâ, & à Sacrâ Congregatione damnati sint. Hinc Theophilum imitatus, quasi iniustam censuram passus, & Dominicani essent illius Authores, hanc iniuriam vlturus, duos in nos scripsit libros; vnum hoc titulo *Sol veritatis* alterum *Nodi indissolubiles*: quibus licet maiorem modestiam, & veri curam præferat, quam Theophilus; vix tamen credi potest, quæ absurda, quæ paradoxa scripserit; vt penè religioni sit ea referre; ne videar Ecclesiam impiis ridendam subiicere.

Certè ea scripsit Theologus ex regulis connenientiarum, quæ in Poëta non posses pati. Ex infinitis aliqua delibabo; vt omnes agnoscant, quibus armis, & à quibus Aduersariis Dominicani impetantur. Suo illo libello, quem inscripsit *Naturæ portentum*, & Thesibus Toleti defensis, Diuum Franciscum exhibet, sicut ipse loquitur, *vt Deum paruum, Vice-Deum, Christum minorem, Crucifixum nouum, alterum Reparatorem Ecclesiæ, Redemptorem secundum, per omnia primo similem*; primò quidem Conceptione & Natiuitate ex Matre Picâ sterili, cui ab Angelo fuerit prænuntiata: iterum in vtero materno gratiâ præuentum, quæ eum ab originali peccato immunem fecit, & per totam vitam etiam à venialibus ex affectu admissis: & confesso Papæ exhomologesi totius vitæ iniunctam orationem Dominicam semel recitandam, vt iustam & parem omnium culparum pœnam.

Sed ad quid ista minuta? multo sublimiora prædicat & Francisci cum Christo comparationem ab ipsâ æternitate repetit suis Thesibus Toleti disputatis: libri vitæ quatuor folia distinguit, quorum primo scriptus sit litteris aureis, Iesus Crucifixus, altero litteris argenteis, Virgo mater, tertio rubeo charactere D. Franciscus, vltimo electorum reliqui. Vult etiam altero libro D. Franciscum in Adamo ad Dei similitudinem creato, aliisque Prophetis præfiguratum. Et cùm eius in mundum aduentus instaret horâ, Angelum à Deo missum in Ciuitatem Assisiam ad fœminam desponsatam nomine Picam, quam certiorem faceret filij ex se nascituri per omnia Christo

similis, tum Conceptionis modo & tempore ; (nam contendit Petrus iuxta rationem temporum à Rabinis de Christi aduentu initam , Franciscum die vigesimâ quintâ Martij , quo Incarnatio celebratur , eius corpus sicut Christi , vnico instanti formatum , & eodem , illi animam infusam :) tum omni priuilegiorum & gratiarum copiâ & splendore, quo turbatum asserit Luciferum, omnésque caliginosi inferni potestates, quæ coacto Concilio Luciferi imperio miserunt , qui explorarent , quisnam eo momento natus esset, aut conceptus.

Compertáque Francisci natiuitate, expeditam fuisse legionem dæmonum, illius suffocãdi causâ in vtero materno, vel extinguendi, si iam in lucem prodiisset: sed illorum conatus & consilia impediuisse legionẽ Angelorum à Deo missam in custodiam Francisci : quem ait pium nimiúmque probabile esse , in vtero materno sanctificatum , vidisse humanitatem Christi , & diuinam essentiam , dum vitam mortalem ageret : verius & illustrius martyrium fuisse assecutum , quam qui sanguinem fidei causâ profuderint, quod diuturniora & asperiora tormenta per biennium passus sit , non solum Christi causâ ; sed etiam manu , dum stigmata illi impressa sunt : delapsum in eum Spiritum Sanctum sicut olim in Apostolos sub formâ aspectabili, extinctum eius fomitem, & in gratiâ confirmatum : Cùm vero è vitâ excessit, eius animam veluti sagittam purgatorium penetrasse , omnésque animas illic detentas secum in cœlum adduxisse : ibique locatum supra Luciferi sedem ; eámque dicunt alij commeruisse humilitate singulari , quæ superbiam Luciferi superauit : additque Alua D. Franciscum intra vulnus Christi in cœlo habitare , & inde descensurum pugnandi causâ aduersus Anti-Christum , quem sit sua manu interfecturus , & vltimo iudicio vexillum Crucis delaturus. Nec ipse solus tantâ gratiâ & gloriâ potiturus est , quin suos sit facturus participes. Vnde asserit Patris merito omnes eius filios ad finem mundi stigmatibus insigniendos. Omiseram etiam in eâ gratiarum enumeratione , Diuum Franciscum singulis annis die suo natali in purgatorium descendere, & filiorum vel etiam extraneorum , qui in se affecti sunt, animas inde ad gloriam deducere.

Sed quid de Regulâ Apostolicâ Francisci scribit ? A

Christo verbatim dictatam, deinde iuxta sententiam peritissimorum Doctorum habere authoritatem legis iure diuino sancitæ. Sed his omnibus videtur quid altius suis Thesibus Toletanis insonare, quibus asserit D. Franciscum commouere totam aulam cœlestem, vbi solus audiatur; deinde Angelos nunquam ad nos descendere, vel redire ad Deum, nisi prius viso & salutato corpore Franciſci. Tertiò, cum Deipara filium lactaret, illi infudisse 8540. guttas lactis, totidem à Christo passo fluxisse guttas sanguinis, & pari numero horarum vulnera Christi Franciscum fuisse perpessum, vt horarum numero Franciscus æquaret guttas sanguinis Christi, sicut ipse guttas materni lactis. Quartò, Christum pro hominum peccatis satisfeciſſe superabundanti pretio, licet non ex toto rigore iustitiæ, idque non esse suprà merita Deiparæ & D. Franciſci. Quintò, sed posse satisfacere ad æqualitatem pro toto genere humano, imo & superabundanter. Denique in hac Trinitate Franciſci, Iehouæ & Mariæ nihil esse prius, & posterius, nihil maius, aut minus: nisi dicas paupertatem Franciſci esse quid maius, quando quidem vult fuisse regulam paupertatis Christi:

Nec satis est illi quæ Christi diuina sunt in D. Franciſcũ transferre: Vult Christum participem esse defectuum Franciſci: quem cum historiæ referant staturæ paruæ, & formæ non admodum spectabilis fuisse, ne Christus hâc re sit dissimilis Franciſco, assentitur illis qui negant fuisse, *Speciosum formâ præ filiis hominum*, & corpus illi asserunt difforme Denique ne Christi in Ægyptum fuga dissentiret à profectione Franciſci ad Sultanum Ægypti, & solo differret comitatu, quod vndecim filios sibi adiunxisset, ne hâc re recederet Imago à Prototypo, Christo in Ægyptum fugienti præter Mariam, & Ioseph, magnâ liberalitate duos dedit seruos, tres Ancillas, tres Asinas & Bouem vnum, vt his additamentis æquaret vndecim socios Diui Franciſci. Tandem addit eâ in Ægyptum fugâ Christum syluæ densissimæ feras mansuefeciſſe, & hanc dotem non negasse Franciſco per totam vitam.

Causaberis fortè Lector Christiane, hæc intempestiue à me referri, quæ grauiter lædant necessitudinem Dominicanorum cum Franciſcanis, olim initam, instauratam à P. Turco, & hodie religiosissimè vbique seruatam.

Non excusabo hæc à me dici prouocato atroci libro Petris Aluæ, in Dominicanos exarato: neque enim defensionis necessitatem obtendo, sed quæ scripsit P. Alua adeo absurda sunt, vt non dubitem ipsis P. Franciscanis displicere: & beneficij loco reputare, si ipsis assentiam, & huiusmodi paradoxa quæ Ordinem Seraphicum, & totam Ecclesiã dehonestant, improbem. Quid dicis ad ista Theophile? Quas in nos tragœdias excitasses, si vllus nostrum his similia scripsisset de D. Dominico, & Thomâ quæ ille est ausus edere de D. Francisco, esse tantæ sublimitatis vt extra communem lineam Sanctorum positus sit, & supra intellectus creati lumen, & captum. Gratias immortales ago diuinæ sapientiæ quod ex omnibus Authoribus Dominicanis non potuerit millesimam partem colligere absurditatum quas Alua in vnam sui libri paginam coniecit.

SECTIO SECVNDA.

Soluuntur Nodi indissolubiles Petri de Alua.

ÆGERRIME fert & acriter reprehendit Diuus Thomas scriptorum modestissimus, præposteram nonnullorum pietatem, qui res fidei supra mentis humanæ & Angelicæ captum positas, quæ solâ reuelatione diuinâ innotescere possint, & nitantur; nescio quo zelo suscipiunt demonstrandas argumentis à naturâ repetitis. Nam præter irritum de re nobis inconcessâ conatum & laborem, fidei contemptum, potius quam reuerentiam inducunt apud Ethnicos; quasi ratione humanâ ducti, non authoritate diuinâ, huiusmodi mysteriis adhæreamus: quare diuersis suorum operum locis refellit accuratè S. Doctor huiusmodi Argumenta ficticia, vt Christianis consulat, & à Religione extraneis; & vtrisque persuadeat, vera quidem esse quæ credimus, sed demonstrari non posse: eorúmque fidem testimoniis & miraculis confirmari, non Argumentis oportere.

Exemplo Angelici Præceptoris, eodémque consilio, aggrediar solutionem quindecim Nodorum, quibus

Petrus de Alua ita implicitos Dominicanos censet, vt nullus superſit illis euadendi locus; & hâc fiduciâ insolubiles vocat. Sed reuera de illis veriſſimè dixeris, quod Seneca de sophiſmatis epiſtolâ 45. *Nec ignoranti nocent, nec iuuant scientem, sine noxâ decipiunt, quomodo prastigiatorem acetabula, & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat* Hæc de Nodis, ſi per ſe Auctoris induſtriam ſpectes: at ſi mentem eius & ſcopum inſpicias, cum has nugas maximo laborum impendio, & longiſſimâ per totam Europam peregrinatione Conceptionem immaculatam defenſurus parauerit; plurimum detrahit æquitati & maieſtati tantæ cauſæ, quam potius huiuſmodi Nodis implicuit quàm expediuit, vt eandem cauſam melioribus & validioribus vindicaturus Argumentis hac Sectione demonſtrabo.

Vnde iam occupaui illorum iudicium & reprehenſionem, qui fortè ſuſpicabuntur, me reſponſione ad libros Petri incurrere in cenſuras, quibus cauent Summi Pontifices ne hanc de Conceptione controuerſiam attingamus. Sed longiſſimè aberrare, qui ita cenſent, etiamſi ipſe taceam, argumento erit ipſa reſponſio, quâ ſaluâ ſemper in decreta reuerentiâ, refellam calumnias & ſophiſmata Aduerſarij, quibus probabilitatem & pietatem opinionis, dum vult videri confirmare, penitus euertit. Certè qui norunt meos mores, quibus ab infantiâ imbutus ſum (quorum, prudens Lector plura ex ſcriptione poterit argumenta excerpere) nihil dubitabunt de me teſtari; quod apud antiquos de homine veraci in prouerbium abierat. *Is eſt, qui cum in tenebris mices.* Sanè quamuis Deum & homines celare poſſem, culpam aliquam nunquam admitterem, idque ex officio id eſt odio culpæ, non metu pœnæ; quam libentiſſimè ſubibo apud homines, vt diuini Iudicis longè grauiſſimam effugiam, ſi cuiuſquam delicti hâc Apologiâ aliâue re incurriſſem reatum. Neque putarem me excuſari læſæ Pontificiæ Authoritatis, ſi vel minimum mei, aut totius Ordinis quamlibet iuſtæ & neceſſariæ defenſionis causâ, de re prohibitâ ſcriberem. Sed longiſſimè abſum ab illo conſilio: quin potius piam & probabilem opinionem vindicandam ſuſcipio à Petri libris: quibus, cum videatur in ſpeciem, & ex animo conetur confirmare probabilita-

tem, & augere reuerentiam, reipsâ labefactat: & quod peius est, ridendam præberet hæreticis, nisi præsenti remedio vindicaremus.

ARTICVLVS PRIMVS.

De statu & progressu piæ opinionis.

DE Conceptione immaculatâ Deiparæ acturo aduersùs Petri Nodos, aliquid delibandum est de peccato originali quo Augustinus ait *Nihil esse apertius ad dicendum, nec nobis ad intelligendum secretius, nihil ad veritatem aut salutem conducibilius:* Nam vt idem Augustinus, *in causâ duorum hominum, quorum per vnum venditi sumus, per alterum redimimur, propria fides Christiana consistit.*

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Quæ sit notio peccati generatim, & quis reatus originalis culpæ.

PEccati nomen ex Scripturæ vsu multiplex est variâ significatione, tum propriâ, tum metaphoricâ, & nisi diligenter distinguas, ambiguum maximè & periculosum: & sub huius vocabuli latebris suas sæpè insidias hæresis instruxit, quibus frequenter incautos peremit. Metaphoricas acceptiones omitto, quibus quandoque ad peccati causas & effectus, interdum ab obiectum, nonnunquam etiam extenditur ad sacrificia quibus expiatur: quo sensu Sacerdotes dicuntur *peccata populi comedere*, & Apostolus Christum innocentissimum asserit peccatum pro nobis fieri dignatum esse. Si vim nominis citrà Metaphoram expendas, duo præcipuè quæ ad rem nostram faciunt, ex Scripturæ ac Theologorum vsu, peccatum significat, nempe liberum voluntatis actum, quo lex infringitur, atque illum inimicitiæ cum Deo statum deterrimum, in quem actus peccati auctorem suum præcipitem agit: nec inde emergere potest,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [133] - 73
PUBLIC DOMAIN

donec reatns eluatur condonatione gratuitâ, vel condignâ satisfactione resarciatur. Nec dubium apud peritos, & verè Catholicos, quin vterque peccati nominis vsus ad proprietatem pertineat: de actu quidem apertum est ex definitione Augustini ab omnibus receptâ, nempè *Peccatum nihil est aliud, prater dictum, factum, & concupitum contra legem Dei æternam.*

Nec minus de statu res est comperta: omnes enim consentiunt actu transacto aliquid eius auctori inhærere, quod verè peccatum sit. Vndè reus & peccator verissimè constituitur, donec resipuerit; & veniâ dicitur peccatum deleri. Nec verò actum, statúmque peccati iunctum communi nomine sic diuellas velim, vt res disiunctas, vel omninò diuersas putes. Eandem potius intellige, quæ alio atque alio modo & diuerso ordine sese habeat. A re familiari exemplum capiamus: calefactio & calor qui ab igne prodeunt, eandem diuersis vocabulis qualitatem exprimunt; quæ in ipso transcursu dum fit & paratur, calefactio est; dum hæret corpori, caloris nomen habet. Sic planè pecatum accipe, actio est dum patratur, status aut peccatum habituale est, dum animo reatus veluti labes aut vlcus inhæret.

Iam satis probatum existimo, quod omnes vltrò agnoscunt, hunc statum & reatum peccati huiusmodi nomen propriissimè sortiri ab actu libero, vnde prima origo omnium quæ hoc vocabulo censeri possunt, vt eleganter expressit Augustinus de verâ Religione capite 14. *Vsque adeò*, inquit, *peccatum voluntarium est, vt nullo modo sit peccatum, nisi sit voluntarium.* Quod adeo manifestum est, vt nulla Doctorum turba dissentiat. Aut ergo negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi. Is ergo peccati status, si velis citra metaphoram loqui, non ita ab actu libero diuellendus est, quin ipsum vt originem & causam sui habeat, vel potius ipsius vices gerat. Id vero, quî fieri potest, nisi aliquâ ratione liber sit, & voluntarius.

Quamuis autem omnes hanc status actúsque cognationem peccatis, quæ vocant personalia, vltrò ascribant; videntur tamen nonnulli eam negare peccato originali, quasi à priuatis hoc differat, quod nullâ ratione voluntarium sit, nec ab actu libero illius cui imputatur,

& inhæret, manare oporteat. Sed qui hoc discrimen statuunt, originalem labem peccati numero eximunt, solumque illi nomen seruant, quod maximè Pelagianis arridebat; atque hoc potissimum argumento vrgebant Augustinum, *in paruulis non est delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest.* Quid ad hæc Augustinus, & cæteri Patres ac Theologi, post tantum ducem, Catholicæ veritatis assertores? An communem peccati notionem, quæ libero ac voluntario constat, contra publicum generis humani sensum negant, vel in paruulis istâ tabe originali infectis, voluntatem quæ nulla videtur, contra proprium sensum agnoscunt?

Licet vtrinque difficultates & præcipitia vrgeãt; maluerunt tamen viri Sancti proprio sensui, quam communi obsistere. Atque in paruulis tacitam, & occultissimam introspexere voluntatem; ne vnquam peccati actum, & statum à consensu voluntatis diuellerent, vel originalem labem è peccatorum numero eximerent. Sed quæ in paruulo & homine mente capto, rationis experte, vel tot sæculis post præuaricationem Adami nato, esse potest ad illud primi hominis crimen vnde manauit, consensio? Vnus quidem peccauit; sed omnium nomine quorum iste parens & caput, præuaricatus est, suo & omnium consensu, quorum voluntates sua illigatas, & in eam veluti transfusas habebat, vi conuentionis, & pacti, quo Deus omnium posteriorum voluntates primi parentis voluntati eâ lege adiunxit, vt eius electio communis futura esset omnibus cum in seruandâ, & transmittendâ iustitiâ, tum in eâ amittendâ peccato, quod vnus admitteret suo, aliorúmque nomine, ac subinde illis imputaretur. Peccatum itaque originale si actum requiras, penès Adamum fuit, cum præuaricatus est in præceptum Diuinum suo & filiorum nomine, quorum personam, & causam agebat. Si statũ peccati quæras, ad omnes posteros pertinet ex Adami progenie natos & sãctitate quasi hæreditariâ, merito & in pœnã communis inobedientiæ spoliatos.

Satis de originali labe ad rem nostram dictum sit, cuius sanior & sincerior apud peritos recepta notio obscurissimam difficultatem illustrabit. Hinc enim constat, duo ad huiusmodi peccati labem contrahendam omnino necessaria: primo quidem tacitam propriæ cuiusque vo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [135] - 75
PUBLIC DOMAIN

luntatis, cum istâ capitis seu Adami voluntate consensionem, vt illi possit præuaricatio imputari; deinde priuationem ad tempus, vel vno saltem instanti ex illâ conspiratione tacitâ deriuatam iustitiæ originalis transfundendæ, nisi peccato fuisset intercepta. Hinc euidentissimum est Angelos huius peccati immunes esse: quia nec Adamo vt capiti adhæserunt, nec ab illo nati, vel iustitiæ iacturam aut priuationem vllo instanti passi sunt. Hinc etiam apertius patet Christum minus peccato obnoxium: quia nec voluntate nec origine Adamo adhæsit, & primo instanti sanctitatem innatam habuit, iuxta illud: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.*

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Duplex quæstionis pars, & responsio ad primam, quid fieri potuerit?

AD rem nostram propius accedamus. Quid de Deiparâ censendum? Disputationem per se obscurissimam hac distinctionis luce illustrabo; quid fieri potuerit? Quid re ipsâ factum sit? Si de iure Omnipotentiæ quæras, nullam existimo apud cordatos difficultatem esse ad quæstionem propositam. Quis dubitet Deo, quod libuerit, licuisse? Potuit sanè matrem communi malo eximere, potuit obnoxiam facere. Neque illi in vtramque partem, vel ius omnipotentiæ, vel consilium sapientiæ defuit. Nonne potuit matris voluntatem ab illâ communi conspiratione, vel eius originem ab Adamo parente seiungere, & suis ipse manibus illi corpus efformare, & mentem implere cælestibus donis? Illi vero sic institutæ, quid commune fuisset cum peccato originali, in eos tantum deriuando, qui voluntate & origine corrupto generis humani principio adhæserint?

Fortè immunem peccato dices fieri potuisse, & negabis obnoxiam. Immeritò sanè: & dum de Matre bene mereri te putas, malè consulis Filij omnipotentiæ. Audio illum iisdem tecum agentem verbis, quibus paterfamilias querulos vineæ operarios castigabat: *An non mihi licet, quod volo facere?* An tuis ratiunculis, veluti No-

dis adamantinis aut fato Stoico me vinciendum putas, & argumentis à congruo, & conuenienti repetitis, legem & ineuitabilem necessitatem mihi iniunctum iri existimas? Scilicet ad tua commenta, rationes meas, & vim meæ potentiæ exigam, & componam. Quid tandem Deum ad eximendam originali debito & à lege communi parentem adigere potuit? Scio maximam esse Virgini cum Filio à maternitate cognationem, quæ Diuinitatis (vt verbis Diui Thomæ vtar) fines attingit: sed quis neget ex vnione hypostaticâ longè maximam esse necessitudinem cum Deo, naturæ illius, quæ in vnum cum Verbo æterno, aut quâlibet aliâ personâ diuinâ suppositum coalesceret? Etsi verò sanioris & communis sententiæ Theologi, naturam, dum ad eam dignitatem euehitur, vel in eo gradu seruatur, à peccato vindicent; nullus tamen quod sciam, hactenus negauit, non repugnare, illam naturam, in se constitutam, vel antè huiusmodi Deificationem peccasse, vel solutâ vnione, permitti vt in peccatum labatur. Minor sanè est, vt dicebam, ex maternitate, quam ex vnione hypostaticâ cum Verbo æterno cognatio, ac proindè impar à peccato distantia. Igitur si naturam ad tantam dignitatem assumptam nihil vetat, ante aut post assumptionem sibi relictam, alicuius noxæ conscium esse, aut permitti, cur idem ius in Matrem, omnipotentiæ Dei neges?

Sed fortè dices cum Granado & Ruis (quibus diuersam à communi Theologorum viam inire placuit) Deum non solum quicquam præter æquitatem non posse admittere: sed etiam conuenientioribus astringi; quod vrgent exemplo hominis, & Angeli; quibus ea lex à Deo præscripta est (quæ citra culpam aliquam, aut certè defectum nequeat prætermitti:) *amulanda esse charismata meliora*: & vbi locus sit maioris boni, vitio verti electionem minoris. Quid ni ea lex, apud Deum valeat? ac proinde conuenientiora, nihilo minus eum, quam nos oportere sectari? Sed Dei iura plane ignorat, qui eum conuenientioribus, perinde ac nos astringit: Nisi fortè conuenientius velis quidquid ad libitum elegerit.

Aliam verò Dei & nostri rationem esse, triplex quod Deum inter & nos discrimen intercedit, apertè demonstrat. Eligenda sunt nobis conuenientiora vt Deo ita

præcipienti, aut consulenti pareamus, & eius voluntati tamquam regulæ perfectionis, cui hoc placet, arctius adhæreamus: tum etiam vt perfectioni nostræ consulamus, quæ cum nobis desit, neque possit à solâ nostrâ industriâ proficisci, certe aliundè haurienda est; nempe à rebus extra nos positis, quarum cognitione & affectu eò meliores euadimus, quo altioris sunt ordinis, & clarius nobis innotescunt, aut ardentius amantur. Adde etiam vltimo: illud præceptum aut consilium meliora eligendi apud nos vim habere, quod impleri possit: Nam cum simus finitæ virtutis, quid prohibet, quin vltimum conatum & omnes vires nostras exeramus?

Quo verò nomine vis Deum ad conuenientiora astringi? forte vt suæ voluntati (quæ est totius perfectionis origo & regula) sit conformior, & arctius iungatur? quasi hoc in illo possis desiderare, vt quidquid elegerit, à suâ voluntate vllo modo auelli aut desinere queat, esse prorsus idem cum illâ? an opus habet conuenientiora eligere suæ perfectionis comparandæ vel augendæ causâ? quasi aliunde quam à se ipso, quidquam habere possit, vel rebus externis perfici, & fieri melior. Adde deinde, si quid fas sit dicere Deo impossibile, illud vnum è præcipuis admittendum, quòd conuenientiora efficere nequeat: Nam cum sit infinitæ & inexhaustæ potentiæ, non potest quicquam designare optimum & conuenientissimum, quo non possit eligere melius, & perficere, nullo fine aut numero optimorum, quæ thesauris Sapientiæ & Omnipotentiæ latent. Nihil ergo certi ex hac regulâ conuenientiæ, potest de Dei operibus, aut decretis statui, nisi hoc principium inconcussum, nihil mali posse Deo accidere vel admitti; bonorum verò externorum cum nullo egeat, ad eius arbitrium omnia poni debere vel omitti: & si quid de his velis certi nosse & pronuntiare, rimandam esse voluntatem Dei ex eius verbo voluntatis fido interprete.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [138] - 78
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Responsio ad alteram quæstionis partem, quid re ipsâ factum sit? Catharini opinio, Scoti sententiæ antefertur.

SOluta priore quæstionis parte, ad alteram accedamus. Posse Deum quod libuerit, conuenimus omnes nullo quod sciam excepto: quid vero contigerit saluâ decretorum reuerentiâ inquiramus. Huius controuersiæ sensus & status, est veluti quædam appendix celeberrimæ illius difficultatis, quid futurum fuisset, eodem qui est rerum, & decretorum ordine constituto, hoc solum excepto, quod Adam non peccasset; veniissetne ad homines filius Dei factus homo? Negat Diuus Thomas: asserit Scotus: dissensus causa est ex principiis, quæ sibi quisque illorum assumpsit, quibus suam adstruxere Theologiam. Diuus Thomas Verbum Dei scriptum & traditum sibi in regulam totius doctrinæ constituit: indéque sibi visus est colligere certissime, Incarnationis Verbi & redemptionis hominum, adeò arctam cognationem esse sanciendam, vt si peccatum & redemptionis remedium auferas, nulla sit futura Incarnatio. Et hoc habet immobilius cœlo terráque principium, eorum quæ à merâ Dei voluntate pendent, & illæsâ suæ sapientiæ regulâ quod libuerit licet, nihil comperti posse, nos habere ex solis conuenientiis, quæ apud Deum, minus quam apud nos coniecturæ vim habent: Atqui Deo liberum est hominis naturam induere: item Scriptura vbique indiuiduam Incarnationis & redemptionis societatem facit, eandem etiam apud Patres obseruauit rerum cognationem Sanctus Thomas: quare illi religioni fuit eam seiungere, & quæ Dei Verbum coniunxit, arcana, separare.

At contra Scotus ex Patribus antiquis nullum nisi forte ambiguè loquentem, nec ex Recentioribus suo sæculo vllum sequutus; vult quidem Verbum passibile corpus induisse peccati & redemptionis causâ; sed Incarnationem decretam, nullâ habitâ ratione culpæ permittendæ,

aut eluendæ : Imò ante vllum peccatum præuisum aut permissum etiam originale , incarnandum Verbum , etiamsi homo ab innocentia non excessisset, illi restituendus. Neque Scoto desunt argumenta verisimilia à conuenientiis : non videri speciem veri habere Dei præstantissimum , totius vniuersi summum decus , mysteriorum profundissimum , à quo totius naturæ & gratiæ pendet œconomia , à peccato vnius hominis , id est , à casu pendere , ordine omnino præposterο , vt summa imis inseruiant , vt finis ad media referatur , & vt homo Deus pusilli gregis , id est , paucorum hominum causâ sit , viuat, & moriatur.

Non negat quidem illorum gratiâ mortuum : sed non potest concoquere, illorum causâ solum naturam humanam induisse. Et ne videatur destitui Scripturæ testimoniis ; aduocat ad suæ opinionis patrocinium loca ex Prouerbiis quibus prædicatur sapientiæ increatæ generatio æterna , & eius in res omnes summum Imperium : eáque omnia interpretatur de increatâ sapientiâ , quam vult prædestinatam ante præuisum peccatum , ad vniuersi ornamentum , ad Dei creantis, non miserantis gloriam , ad sanctificationem Angelorum. Atque his decretis , quæ omnem casum hominis longe anteceſſerunt, adiunxit redemptionis opus , veluti quamdam accessionem.

Licet hæc omnia non essent ignota Sancto Thomæ, & viderentur etiam magnifica , & summè placerent humanæ menti ; non tamen iis ita capi potuit S. Doctor, vt à suâ tritâ viâ,& à constitutâ semel regulâ recederet. Non putauit ad se pertinere Dei decreta suo sensu ordinare, sed venerari , vt in Scripturâ & libris Patrum extabant, ibi est legere benignissimum Pastorem relictis nonaginta nouem ouibus , secessisse causâ centesimæ , quæ aberrauerat, & suis humeris in ouile deportasse. Et licet videretur fraudare Verbum incarnatum gloriâ vitæ æternæ tot Angelis comparatæ , & vniuersum summo ornamento , si hominis peccatoris redemptio vnus fuit tantæ molitionis fructus , & finis ; nunquam tamen potuit his rationum momentis de sententia Scripturæ vt Patribus magis consentanea deduci : neque putauit quicquam Diuinæ Maiestati & gloriæ hinc deperire : tum enim maximè

maximè splendet cum licet agnoscere, & verbis Prophetæ exclamare: *Dixi domino Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges:* cum de rebus quibuscumque creatis liberrime statuit, vt constet nulli bono creato addictum, vel obnoxium. Hanc verò summam laudem nunquam plenius consecutus est, quàm cùm opus omnium maximum, nempe Incarnationem, visus est vni hominum redemptioni addicere. Quasi neque sui, quia nihil opus habet: neque ipsius Mysterij præstantiæ, quia nihil ad eius felicitatem confert: Sed solius hominis redimendi causâ, quia sic placitum est & liberum, decreuerit peragendam.

Huius grauissimæ Disputationis veluti appendix & corollarium est altera de Conceptione. Ex principiis etenim constitutis de Incarnationis decreto, vel Redemptioni alligato, vel ab illâ absoluto & libero, quasi necessariâ consecutione profluunt diuersæ sententiæ. Ideò Suares inter recentes Theologos perspicacissimus, cum præ cæteris è Societate pronior sit in sententias D. Thomæ, in hâc de decreto Incarnationis, Redemptioni adæquato, vt sic loquar, vel superiori, Scoto assentitur: Ratus eam sententiam, quæ Verbo incarnato præter redemptionis opus adscribit gratiam Angelorum, augere Filii gloriam, & Matris Conceptioni immaculatæ fauere. Et reuera ita est: Nam si Verbi incarnati merita ad vnam Redemptionem nolis arctare cum D. Augustino, & D. Thoma, sed velis latissime patere, ad Angelorum omnium, ad status innocentiæ gratiam comparandam, tum maxime conuenit vberrimam illam gratiam in matrem deriuare: Non quæ peccatum eluat, vel illius contrahendi debitum occupet, sed quæ innocentiam primi hominis retineat, aut potius superet: hoc enim Mysterio Incarnationis semel constituto vt principio totius gratiæ cuiuscumque sit generis vniuersalissimo, tunc valent illa Argumenta à Matris dignitate suprà primorum parentum, supra Angelorum sortem repetita: nihil Matri negandum, eorum quæ vlli creaturarum concessa sint.

Hinc subit laudare consilium Catharini, qui non minus Scoti quam Diui Thomæ sepositâ sententiâ, nouam tentauit, quam modo insinuauimus, sine dubio magis

consentaneam ad Scoti principia, cum de Deiparæ agitur Conceptione, nullam prorsus mentionem esse faciendam, non solùm peccati iam contracti, sed nec etiam debiti illud contrahendi. Nam cum ex Scoto & ex Suare omnis Angelorum, & hominum quocumque statu sint, ab humanitate Verbi, gratia profluat duplici veluti aquæductu, quorum primus gratiam innocentiæ à peccato, aut saltem debito peccati largissime effundat; à quonam eorum canali vis Deiparam suam haurire: an ab innocentiæ, vel à redemptionis aquæductu? dices forte à neutro sed quasi à medio inter extremos meatu, Sed ad quid tot canales, cùm vnus, aut ad summum duo sufficiant? Et cum aliunde Deiparam velis non minus gratiâ & innocentiâ, quam dignitate supremas Angelorum mentes superare; cur illi canalem occludis innocentiæ, nec pateris redemptionis aquæductum illi influere, sed tertium singularem aperis: Quod si nolis reatu originalis peccati imputati, iam astringi, saltem credas imputandum occupari? Sed præterquamquod tres aquæductus immeritò constituis, cum facilius duo possint probari; certè non ita consulis sicuti Catharinus, Deiparæ honori & innocentiæ, quod euidentissimè demonstro constitutâ peccati originalis notione, quâ distinximus actum statumque. Tu à statu peccati vindicas Deiparam, sed actum imputas illi, qui maximè probro esse possit.

Peccatum originale duo habet, nempe primi hominis, & totius generis humani in parentibus, tum origine tum assensu collecti, conspirationem in præuaricationem legis. Hæc est prima peccati, & magis pudenda portio; vnde altera nempe labes peccati, seu iustitiæ priuatio originem suam & totam infamiam haurit. Nam cur, hæc gratiæ iactura dedecori est, & vitio nobis vertitur? Nempe quia ex præuaricatione primi hominis, & ex proprio in illam cuiusque consensu prouenit. Hæc itaque vel sola, vel certè præcipua infamia est, quam primi immaculatæ Conceptionis patroni, aliique plures, qui debito subiiciunt Deiparam, & inustam volunt, & secutam inde labem tollunt. Sed quid tandem hac sua opinione promouere? Nescio an satius fuisset hanc causam deserere, quam adeo infœliciter propugnare. Coniura-

tionis participem faciunt, in Adam peccasse, seu peccatum Adæ illi omnino imputandum censent, reatum incurrendum prævaricationis admittunt, statu tantum & priuatione iustitiæ eximunt: hoc est, vt iam diximus, quod magis dedecori est impingunt. An non poterat Dæmon obiicere, *Tu quoque ex illis eras*, qui prævaricationi assenserunt, vnde hæc nata labes, & meum in genus humanum ius & imperium Quare cum Catharino à debito exoluenda est, si velimus ita Innocentiæ consultum, vt Angelorum etiam superet puritatem.

Cum huius sententiæ Scoti progressum attendo, videtur mihi habere quid simile cum arte pingendi. Qui tabellas primi tentarunt, adeo rudi manu & pingui artificio deformabant, vt prototypum non liceret ex lineamentis agnoscere, sed ex ascripto nomine, *Hic lepus, hic canis est*. Sed ex huiusmodi inchoamentis, in eam solertiam, & peritiam euasit pingendi scientia, vt penè naturam assecuta sit. Sic planè Scotistarum opinionis de Conceptione, rudi manu posita lineamenta, propemodum nihil ab antiqua opinione aberant, in Adamo mortuam Virginem, eiusque factionis participem fatebantur, & solam ab illa coniurationis notam tollebant. At vbi hæc initia summo applausu excepta sunt, tum Scoti discipulis excussus est magistri timor: animus cum fælicitate creuit, & vltima manus & perfectio addita est opinioni, Authore Catharino, qui non solum à statu, sed ab actu peccati originalis omnino semouet, nec patitur dici etiam in Adamo mortuam, nec peccasse. Opinio eousque est deducenda, alias vix operæ prætium esset illam attigisse. Scoti tamen prudentia magis quam sententia ipsa laudanda est. Hominum sensus prius tentandus fuit, & huic opinioni assuefaciendus; atque vbi à statu peccati immunem probassent, tum ab aliis ab actu vindicandam relinquere.

Mira est sanè eius modestia 3. sent. dist. 3. q. 1. vbi præmissa triplici distinctione concludit, *Quid autem horum trium, quæ ostensa sunt esse possibilia, factum sit, Deus nouit, si authoritati Ecclesiæ, aut scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod est excellentius Mariæ attribuere* Dum hæc verba legis, iurares modestiam ista dictasse ita suspensa vt dubium relinquat, an respondeat ad quæ

ſtionem, quid fieri potuerit, & quid reipſa factum ſit Sed præter has animaduerſiones, ex his verbis pauciſſimis, nec tribus lineis integris, quaſi in modico fonte video mihi videre latum flumen largiſſimè exundans. Certè dum hæc ſcriberet, ſi Prophetiæ gratiâ fuiſſet donatus, vidiſſet ſe multorum voluminum paucis verbis materiam ſuppeditaſſe. Sed hanc opinionem quaſi catulum vrſi informem perfecere eius diſcipuli, & vnus poteſt dici abſoluiſſe Catharinus; quamuis non bene audiat apud Bellarminum, Suarem & Vaſquem, qui progreſſum putant vltra limites à Patribus præſcriptos. Sed reuera, quæ ipſe contulit ad hanc ſententiam exornandam, apertè conſequuntur ex principiis receptis apud omnes immaculatæ Conceptionis patronos; Deiparæ ſcilicet puritatem primi hominis, & Angelorum innocentiam ſuperare: Ergo non ſolùm à peccato, ſed etiam à debito eximenda eſt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Petrum de Alua nocere plurimum piæ opinioni cuius causâ ſcripſit.

E Libris quos breui tempore edidiſti multos, Petre magnificis titulis, Nodos licuit tantum videre, & tranſcurſim hinc, inde, aliquid delibare; ex quibus facilè eſt coniicere, te eo animo & conſilio ſcripſiſſe, vt Deiparam inter, & Angelicum Præceptorem inimicitias concitares, quas mundi exordio poſt lapſum primi hominis, Deus monuit ſerpentem, ſe inter ipſum & mulierem poſuiſſe. Adeo enim cæcus, & iniquus es, vt non putes ſaluo Deiparæ honore, ſtare poſſe D. Thomæ doctrinam: Ideo libris ipſius atrociſſimum bellum indixiſti: ſuppoſititios contendis eſſe, & eorum qui nomine D. Thomæ circumferuntur, ne decimâ quidem parte legitimos eſſe eius fœtus. Teſtimonia vero quibus à Chriſto Deiparâ, à Summis Pontificibus probata ſunt, prodiiſſe vis omnia à Dominicanis, ab ipſis conficta, falſata, eo tantum nomine, vt probabilitati piæ opinionis de Conceptione totis viribus intercederent, & obſiſterent.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [144] - 84
PUBLIC DOMAIN

Mira sanè sunt quæ scribis, maiora, quæ moliris obtentu pietatis: Nam si exemplo Diui Apostoli velimus vno verbo complecti quæ nosti, poteris gloriari te nihil scire, nisi Virginem, & hanc Conceptionis immaculatæ. Laudandus sanè zelus si prudentiâ, & charitate condiretur. Sed quis credat ea sola controuersia, aut definitione, cuius causâ tot, & tanta scribis, summam religionis contineri? Et si concederemus rem ita se habere, alio sanè scriptionis, alio argumentorum genere tibi erat prosequenda, quam quod hactenus vsurpasti; adeo inuidiosum, & ab omni veracitate, & ab eo quod profiteris nomine alienum; vt causam sanè optimam videaris euertere, sicut paucis euincam; primò præiudiciis, deinde tuorum Nodorum solutione.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Præiudicia causæ ab Authoris stylo, & consilio.

EXPECTABAMVS Petre, te ex nouo orbe deportaturum ad nos aurum obtizum, non aurichalcum: & ex Limensi Prouinciâ cuius te filium gloriaris, & in ea D. Francisco nomen dedisse; ex nouâ, & recenti in his regionibus instituta Ecclesia, te Christi & Francisci spiritum tepescentem apud nos, & senescentem instauraturum. Sed expectationem omnium de te conceptam fefellisti: nihil dicam de titulis quos assumis, qui nihil minus resipiunt quam Franciscí discipulum. Quid enim conuenientius nomine, & professione Minoris, quam vbique humilitatis significatio, & sensus intimus? Obstupui aliquando apud me reputans quod de se referebat encœniato (vt Augustini verbo vtar) D. Franciscus hominum humillimus: Namque fatebatur se veste noua & elegãti (qualis potest confici ex panno interpolato, qui apud vos in vsu est;) non posse indutum videre, quin aliquo vanæ gloriæ sensu sollicitaretur, & ideo abiiciebat, & detritissimas ambiebat. Videreris sanè Petre, oblitus aut tuæ infirmitatis, aut exempli tui parentis. Ille vix vestem, si quid haberet nitidi, deferebat à vanitate intentatus: & tu tot titulis te ornas à Paterna, & à Materna, ni fallor no-

bili ſtirpe *Petrus de Alua*, *& de Aſtorga*; ab officiis quibus defunctus es; neque times iactantiam & vanam gloriam. Iſtum morem diuerſa aſſumendi nomina in ſæculari Hiſpano excuſarem; ſed in Cœnobitâ, in Minoritâ, in Conceptionis immaculatæ vindice vix ferre poſſum. Forte imitari voluiſti D. Ludouicum à Creſpi & Borgia, cui librum tuum conſecraſti, ne videreris illi magis nobilitate, quam zelo cauſæ communis decedere.

Sed leuis & fere nulla eſt culpa hæc, præ altera quam ſubiicio. Non eſt dubium (& hoc etiam à nonnullis fide dignis accepi) te infinitas propemodum expenſas feciſſe in peragrandâ Europæ maximâ parte, in excutiendis Bibliothecis, & manuſcriptis opera Amanuenſium exſcribendis, quibus probas veluti actis in foro iuridice prolatis, quæ D. Thomæ nomine edita ſunt volumina, vel quæ euulgata ſunt de eius doctrina à Chriſto, & cætera teſtimonia, eſſe commentitia; vel in edendis tuis libris optimo charactere, chartâ nitidâ, & eleganti, opus fuiſſe in his, aliiſque expenſis gaza Regia, quæ non aliunde, quam ex nouo orbe expectari poterat. Qua vero ratione hæc opulentia conueniat cum regulâ quam profiteris ex S. Franciſco, cui vim legis diuinæ aſſeris, quæ paupertatem altiſſimam ſancit, nec vnius oboli contactum, vel minimum ius ſibi permittit in res etiam vſu conſumptibiles. Sed hæc omnia loco ſacrificij ſunt, dummodo ſeruiant traducendis cum ſuo Præceptore Dominicanis.

Hæc minutiora ſunt, aut nimium priuata. His duobus præiudiciis tertium addam paulo grauius, aut quod certè magis ad controuerſiam faciat, & liberius ſit iudicium, quam de prioribus præiudiciis, quæ nolim quidquam mea ſententia Petri famæ nocere. Eum qui de rebus diuinis tractat, conuenit maximam ſuæ famæ, grauitatis, & veritatis curam habere; ne myſteriis quę alios docet fidem abroget, ſi contingat illum nugacem, mendacem eſſe, & abſurda proferre. Ea tibi Petre de Conceptione immaculatâ ſcripturo fuerat profecto cautio adhibenda; ſed longè abfuiſti à tam ſanâ cogitatione, & adeo abſurda (quorum aliquot iam attigimus) ſcripſiſti, vt nullus ſit, qui velit aut poſſit tibi fidem habere: adeo tibi ipſi abrogaſti libro illo quem inſcribis *Naturæ prodigium gratiæ portentum*, ſed verius dixiſſes mendaciorum & nuga-

rum. Videris nomine noui orbis, noſtro vicem voluiſſe reponere: quia ſicut hinc, eo deportata eſt Sanctiſſimæ Trinitatis, & Diuinæ prædeſtinationis fides, & prædicatio; ita inde nouam ad nos Triadem adduxiſti, eámque Franciſco, Ieſu, & Maria, componis, in quâ ſicut neque in æternâ, nihil eſt prius aut poſterius. Quam fidem à te dictorum es facturus apud eos, qui meminerunt te Sancti Franciſci Regulæ aſſeruiſſe vim legis diuinæ, & ad perfectam eiuſdem Diui cum Chriſto ſimilitudinem, numeraſſe horas, quibus ſtigmata paſſus eſt, vt illas guttis ſanguinis à Chriſto in mundi pretium fuſis, has vero lactis guttis, quas ex matre ſuxerat prorſus æquares: & ne Franciſcus in Ægyptum proficiſcens, ſtipatus vndecim fratribus ſuperaſſet comitatum Chriſti in Ægyptum fugientem cum Matre & Ioſepho, adiunxiſti ſeruos, & ancillas, bouem & aſinos. Licet vero eo libro beneuolentiam Dominicanorum videaris, captare, aſcito in partem meritorum D. Franciſci Dominico, dum pagina 118. aſſeris quotquot ab anno 1216. nati ſunt, vel ad finem mundi vſquam naſcituri ſunt electi debere acceptam referre ſuam vitam temporariam & ſalutem æternam Deiparæ, Franciſco, & Dominico: hanc tamen gloriam nomine Patris noſtri abdicamus, & ſoli Chriſto eximiam ſeruamus.

Præter hoc tertium à ſcriptis ſuperioribus, iſti præiudicium quartum addidiſti, quod propius ad hanc controuerſiam pertinet, & repetitum à causâ, quæ te in D. Thomam accendit, & illi ſimillima quæ Theophilum nobis implacabilem efficit. Vterque à Sacrâ Congregatione damnati, putaſtis vlciſcendam cenſuram conuitiis Dominicanorum: quod ita ſtrenuè vterque feciſtis, vt dubium ſit, vter vtrum vincat. Hoc ſolum videmini differre, quod Theophilus vel præ ſenio, vel præ inopiâ, vel quia ſui iuris non erat, vel non licuit per Prælatos tot Regiones, tot Bibliothecas luſtrare, tot curare, aut eruere tranſcripta, quæ in nos citat, & iurat apud ſe habere Alua, nihilque penſi habet Theophilus probare quæ in nos ſcribit, ſed fidem exigit, quamuis aſtruat nullam. Alua vero nec labori pepercit, nec pecuniis, quas oportuit habere copioſiſſimas, vt innumera acta compararet, quibus veluti tabulis nos omnes plagia-

rios, interpolatores, & Diuorum maſtigas eſſe totis viribus probare molitur.

Sed dum nimium his armis fidit, quibus vult Eccleſiam, & Deiparam de ſuis aduerſariis victoriam debere; videtur cauſam omnino prodidiſſe; atque hoc eſt quintum, quo vno magis quam reliquis grauatur præiudiciis. A trecentis annis munita eſt, & quotidie roboratur cauſa Conceptionis immaculatæ variis argumentorum generibus, quæ primum è Scriptura, deinde à teſtimoniis Patrum, tertio à ratione, vltimo ab vſu Eccleſiæ antiquo petuntur: ſed illa Petrus non putat rem conficere, nec ſatis habere momenti ad definitionem controuerſiæ, quam proſequitur & vrget: ideo cenſet aliud quærendum eſſe præſidium validius, & fundamentum cui hæc definitio aſtruatur. Sed reuerâ, Petre! de te nemo dixerit, etſi maximè id ambias, *ſi, Pergama dextrâ defendi poſſent, dextrâ hâc defenſa fuiſſent.* Duplex cauſæ vulnus infligis, ſubtrahis illi validiora argumenta, & eorum loco reponis futiliſſima. Prorſus diſſentis ab eo quo cum fœdus percuſſiſti. Dominus Ludouicus à Creſpi, rem definiri à Summo Pontifice contendit, non nouâ reuelatione (de quâ nihil apud ipſum legi:) ſed Sacræ Scripturæ locis ſolo ſenſu myſtico explicatis, qui non deſunt in hac controuerſia: vel ſi id definitionis genus nutet, aliud apponit fundamentum, nempe conſuetudinem, & traditionem Eccleſiaſticam, etiam vt diſtinguitur à Diuina. Tu vero hæc probationum genera parum aut nihil ad rem facere cenſes, & definitionem vis petendam eſſe à tuis Nodis. Expendamus an ſint definitioni propiores, quam argumenta quæ deſeruiſti.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Solutio Nodorum Petri.

TOTVM cauſæ præſidium locat Petrus in vnico argumento, quod per quindecim Nodos perpetuò verſat, cui me reſponſurum dixi eodem conſilio quo D. Thomas ſoluit argumenta quibus interdum Theologi veritatem ſola reuelatione notam ſuſcipiunt demon-

ſtrandam, cum Religionis contemptu, quem vt amoueat S. Doctor, monſtrat hæc argumenta eſſe infirma probandæ veritati cui aſſentimur ſola diuina authoritate, non humanâ ratione inducti. Ita Nodos Petri diſſoluendos iudicamus; Ne quis credat huiuſmodi nugas eſſe fundamenta opinionis piæ, quaſi meliora deſint quibus muniatur. Totus eius liber hoc vno ſyllogiſmo continetur. Non poteſt negari immunitas conceptui ventris, ſeu Deiparæ in vtero D. Annæ Matris conceptæ, quæ aſſeritur conceptui mentis, ſeu doctrinæ à D. Thomâ traditæ: ſed hanc æſtimant Dominicani ab omni errore immunem, quam puritatem negant conceptui ventris: Ergo potius eſt huic quam illi cõceptui immunitas vindicanda.

Vix dici poteſt quot vitiis laboret hæc argumentatio, quam tamen per ſummam cæcitatem, & incredibilem in ſuas affectum cogitationes, cenſet ineluctabilem, & nos, ac Summum Pontificem ita aſtringere, vt credat ab illo nos expedire & extricare non poſſe, nec Summum Pontificem vltimam rei definitionem negare, aut differre. Vnde non ſolum noſtri, ſed etiam ipſius causâ repellenda eſt hominis audacia & temeritas. Poſſumus imprimis omnes hos Nodos vnâ reſponſione ſcindere, quod ſolâ comparatione nitantur: eam vero probe inſtitui ad legitimas conſecutiones negat Ariſtoteles, niſi inter res eiuſdem generis proximi, & ſubordinatas ſub vnâ communi ratione & regulâ. Hinc fit vitioſas eſſe has conſecutiones, qui plus habet, & poteſt, neceſſe eſt eum habere & poſſe quod minus ſit: Atqui iuſtus poteſt vitare omne mortale peccatum quod maius eſt quam venialia: Ergo poterit immunis eſſe ab omnibus venialibus. Eadem forma: Atqui eſt quid maius ratiocinari, quam volare, & primum competit homini: Ergo & alterum. Et ad rem noſtram propius ſic poſſes infinita concludere: Deiparæ non eſt negandum, quod vlli creaturæ vnquam conceſſum eſt, ſi ad perfectionem pertineat. Atqui Euæ collatum eſt corpus manu Dei formatum, quod quidem purius eſt, quam fieri ex maſculo & fæminâ: Atqui Angelis primo inſtanti collata eſt rerum omnium cumulata ſcientia, & ſecundo, aut tertio felicitas conſummata: Ergo nihil horum, aut his ſimilium negandum eſt Deiparæ.

Certus sum te has omnes consecutiones negaturum, quod sint à rebus diuersissimi generis & ordinis: quæ vero conuentio, inter corporeum ventris, & spiritualem mentis conceptum? Fortè dices ab illis præscindi communem conceptus rationem vniuocam, nihilo minus quam entis à Deo & à Creaturâ: At si hoc exemplo nos vrgeas deseres vnicum tuæ causæ præsidium, nempe Argumentum ad hominem, quo nos opprimi putas. Volumus esse similem rationem ab vtroque Conceptu mentis & ventris præcisam, qualis est entis ad Deum, & ad creaturam communis: sed scis nos negare præcisam: & minus concedemusgenus esse proximum, quod Aristoteles requirit ad comparationem probam, & legitimas consecutiones: diuersos esse hos conceptus & infinitis propemodum parasangis distare non negabis.

Vnum, aut alterum discrimen attingam. In primis immane distat conceptus, qui fit in nobis sine nobis, idque vitæ primo instanti, ab eo qui fit in nobis & à nobis, idque adultâ, & prouectâ ætate. Nihil è primo imputatur nobis, fit lege communi, ad illud passiue nos habemus: iste vero à nostrâ industriâ est, nobisque agentibus. Frustra comparares res adeo disparatas: Et si ex huiusmodi comparatione contendas aliquid elicere, assentias oportet his qui quodlibet ex quolibet fieri asserebant. Si vellemus contra te vrgere hanc conceptuum comparationem, bonè Deus, in quæ te absurda compelleremus! Conceptus mentis D. Thomæ seu eius scientia (quam vis à Dominicanis asseri, ab errore immunem, vt inuidiam illis confles, quasi D. Thomæ concedant quod Deiparæ negant:) ex illorum sententiâ non est hanc immunitatem ab errore consecuta, nisi post longas lucubrationes, & multas ad Deum preces, nisi adultâ ætate, & postremis vitæ annis, nisi longam ignorantiam passus, & post plures retractationes: neque enim illum eximimus ab illâ regulâ quam statuit Seneca: *Nemo ad innocentiam peruenit nisi peccando, neque ad euidentiam rerum nisi per caliginem.* Visne his similia, aut putas, nos de Conceptu ventris sentire? Absit vt illa cogitemus: Ergo infinito interuallo vnum ab altero sejungimus. Cur ergo inuidiosè & nos illos æquare, vel conceptum mentis conceptui ventris nos anteponere calumniaris.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [150] - 90
PUBLIC DOMAIN

Hâc vnâ reſponſione ſolutis aut reſciſſis omnibus tuis Nodis, fruſtra laborarem illis iterum enodandis, aut ſecandis: ſed vt demonſtrem te aranearum telas texuiſſe, potiùs quam Nodos indiſſolubiles, primam reſponſionem hâc Argumentatione inſtauro. Vel tuis Nodis putas implicare omnes, vel ſolos Dominicanos? ſi hoc ſecundum mediteris tantum, aut effeceris, non promouiſti cauſam, ſed corrupiſti: alia argumenta ſubmouiſti, quibus fulciebatur vt tuo vnico niteretur. At illud, ſi valeat tantum in Thomiſtas, quos ad hominem premis, dum nos vis lucrari & piæ cauſæ adiungere, Chriſtianos reliquos perdidiſti. Quâ enim ratione illos ad bonam mentem reuocabis, quos ab eâ retraxiſti, aliis Argumentis (quibus perſuaderi poterant) reiectis aut debilitatis. Quid enim morantur, aut curant tuam illam comparationem conceptuum, quam perpetuò verſas, vel illam corruptelam D. Thomæ operum, quam vrges multo labore, & majore pecuniarum vi, tot manuſcriptis, tot tranſumptis, tot editionibus, quibus examinandis vix decem Parlamenta ſufficerent per plures annos. Sed ne his tricis implicer, & tui Nodi potiùs abrumpantur, quam ſigillatim ſoluantur: iterum & tertiò conueniam te.

Putaſne conceptui ventris etiam primo vitæ inſtanti nos negare, quod mentis conceptui aſſerimus maturâ & vltimâ ætate? Malè certè de nobis æſtimas, & ſenſus noſtros penitus ignoras, ſi ita ſenſeris. Sed quæcumque nobis de vtroque conceptu totis quindecim Nodis obiicis, & millies repetis, duabus diſſertationibus proximè ſuperioribus occupauimus. Si credas nos ita deſipere, vt certam fide teneamus immunitatem ab errore D. Thomæ, & ex eâdem fide falſam conceptus ventris immunitatem à peccato, toto cælo plane aberras. Nos contra aſſerimus, nihil eorum hactenus ad fidem, ſed ad piam probabilitatem pertinere: & adeo alieni ſumus ab illâ cogitatione quâ nos putas imbutos, quaſi nobis ſit perſuaſum, & id aliis velimus, certa eſſe ex fide quæcumque Doctrina D. Thomæ probata à Chriſto, & à Summis Pontificibus continet; vt ſi vellet in gratiam D. Thomæ id Pontifex ex Cathedrâ ſtatuere, primi omnium nos eius conſilio intercederemus. Vt tuam accuſa-

tionem validè depellamus cogimur fingere quæ nunquam accidere, nec possunt. Iterum dico si meditaretur Summus Pontifex definitionem de Conceptione immaculatâ sanciendâ, taceremus, nisi iuberet nos quæ sentimus loqui : si proferret sententiam, primi omnium pareremus. At si veniret illi in mentem (quod nefas est putare) idem de D. Thomæ doctrinâ statuere, quæcumque statuit fide credenda esse, nos ipsi reclamaremus: quia nostra non quærimus, sed quæ Iesu Christi, neque priuatum honorem Familiæ ambimus cum dedecore Ecclesiæ.

Scimus quæ sit penes Summos Pontifices, & Concilia Oecumenica definiendi potestas : nec credimus pertinere & porrigi ad Philosophica, aut etiam Theologica, ex reuelatis principiis probabiliter deducta, vt ea quasi fide certa, facere possint. Suis cohibetur finibus à Deo constitutis hæc potestas, quos nunquam prætergressuri sunt ij quibus credita est. Hic pene eadem est disceptatio, quæ de potestate Ecclesiasticâ in res temporarias, in Imperia, inter Politicos, Theologos, & juris Canonici consultos summa animorum consensione etiamnum agitata ac pene desperata. Iuris Canonici Doctores plurimi, plenam in totum orbem Summis Pontificibus dant potestatem, Theologi aliquot concedunt indirectam ad fidem propagandam, & propugnandam, alii vero nullam. Totidem de rebus Physicis & Theologicis etiam quæ principiis reuelatis probabiliter tantum cõnectuntur, statuendi facultate Ecclesiasticâ & Pontificiâ possunt esse sententiæ, perinde duæ extremæ, quæ vel nullum ius, vel plenum in hæc Physica, aut Theologica probabiliter deducta admittant. Sed tertia & media summè mihi placet : eamque sum secutus dissertatione superiori. Illi etiamnum adhæreo, & inde assumo solutionem ad omnia Petri Argumenta, quæ eodem vitio laborant.

Perinde agit in nos quasi vellemus, quæ ait, aut negat D. Thomas certa esse ex fide. Hæc est Petri calumnia, non nostra sententia. Id vnum contendimus Diui Thomæ scripta à Christo, & à Summis Pontificibus confirmata, non solum quod nihil habeant dissentiens à Fidei Mysteriis, sed etiam quod sit summè consentanea

illis explicandis, & defendendis.

Sed dices, si ita de conceptu mentis & de scientiâ D. Thomæ sentis, cur de conceptu ventris, seu de Deiparæ Conceptione negas? Vnde habes nos negare? Certe vltimâ dissertatione statuimus pium & probabile esse, Deiparæ Conceptionem non solum à peccato, sed etiam à debito immunem: quâ ergo re dissentimus? Nullâ quod sciam; nisi tu velis contentiosum funem ducere, & de verbis disceptare: vel obtendas rem esse de fide certam, sicut videris velle euincere tuâ illâ comparatione, quam ita confirmare potes. Major & certior est immunitas Conceptus ventris à peccato, quam conceptus mentis ab errore, sed hanc statuis & asseris D. Thomæ probabiliter: Ergo illa debet nobis esse certa ex fide. Non dubito quin hoc Argumentum credas indissolubile, quod controuersiam deducat proximè ad certam definitionem: quasi inter probabilia non dentur distincti gradus, quorum vnus major sit altero intra idem probabilitatis genus: quasi comparatio rerum diuersi generis quæ vix idonea est ad consecutionem probabilem, demonstrationem pariat: quasi ratio ex conuenientia sit Dei testimonium, aut illi æquiparanda, vt indubitatam fidem diuinam faciat.

Nec minus fidis Decreto Concilij Tridentini, quo Patres, sancitâ peccati originalis in omnes Adæ filios propagatione, addunt non esse suæ intentionis, Deiparam eo Decreto includere: ergo illam positiuè eximunt, ac proinde non minus certa est ista exceptio Deiparæ à peccato, quam ipsius in omnes propagatio, cum eodem tenore verborum vtrumque sanciatur. Addis his cultum Religiosum in Conceptionem immaculatam institutum, & à summis Pontificibus commendatum infinitis indulgentiis, priuilegiis, quorum tantam copiam in tuum librum conjecisti, vt videatur esse quoddam Bullarium, aut indulgentiarum promptuarium. Confirmas tandem hæc omnia nube testium quos ad sex millia numeras Scriptorum, qui piam opinionem docuere.

Merito me læsi Pontifi ij Decreti argueres, si his tuis Argumentis negarem euinci piam probabilitatem huius opinionis. Sed in te recidet hæc censura, si iisdem Argumentis putares te rem certam ex fide conficere. Quare

vno verbo Respondeo, quæcumque isto libro, vel aliis scriptis habes, confirmare probabilitatem opinionis piæ: & si quid vltra velis hinc euincere: Respondeo, neque comparationem à te institutam, neque Tridentini verba, neque cultum institutum, neque sex millia testium à te aduocata, fidei certitudiuem inducere. Atque vt ab vltimo Argumento, id est, à testium nube exordiar; vel illa sex millia Scriptorum, quorum libros tantâ curâ, tot expensis comparasti, vixerunt omnes post Scotum, vel aliquot anteceſſerunt? Vix primum credibile est, nempe à Scoti sæculo tot Authores eâdem de re scripsisse: sin vero plurimi ante sæculum & obitum Scoti reliquerunt aliquot hâc de re monumenta; Quæro an peruenerint ad Scoti manus, vel illi fuerunt prorsus ignota? Hoc vltimum vix credi potest de homine sui sæculi doctissimo, & librorum auidissimo: maximè si de Conceptione immaculatâ agerent, quæ illi summè cordi erat. Si velis hæc scripta Anselmi, Abailardi, &c. legisse: quî fieri potest, vt de re à tot Scriptoribus celebratâ, quasi dubius, suspensus, tentabundus, quæ retulimus verba scripserit, *quid hac de re actum sit, Deus nouit:* & addiderit de sensu Scripturæ, & de Ecclesiæ mente magis incertus; nisi illis repugnet immaculata Conceptio, videri asserendam. Hæc ad tuos testes. Plura non addam, neque opus est, quandoquidem tuos libros falsi conuictos Ecclesia damnauit.

Verisimilior est Argumentatio à cultus, & Festi institutione: sed neque etiam illa facit rem de fide certam, aut definiendam, vt obtendis. Non enim ignoras ad pietatem, & ad praxim pertinere, & hoc esse summè notandum discrimen, practicam inter & speculatiuam veritatem fidei: quod isti nulla vnquam subesse falsitas possit, sed nec etiam dubitatio debeat; & ideo probabilibus non ducitur fides, sed omnino certis: illa vero, quæ voluntatem & affectum dirigit practica veritas, cum bonam mentem magis quam notitiam rei inquirat, neque euidentiam, neque certitudinem speculatiuam ambit, aut curat, probabilibus tuta & contenta: quibus semel constitutis indubitata sunt prudentiæ iudicia, vt mille experimentis probari potest. Vnum aut alterum attingam.

Quis neget adoratione prosequendam, quam post

consecrationem attollit manibus, & astantium oculis subiicit Sacerdos hostiam; licet non sit omnino certum validè consecratam fuisse, seu sacerdoti ad hoc facultas & character defuerit, seu voluntas? Nec tamen hoc dubio (quod vocant speculatiuum) suspendenda est, aut conditionate adhibenda adoratio: multo minus anxie est in Sacerdotem inquirendum, an rite fuerit initiatus sacris, vel in consecrationem consenserit, vana enim esset, & improbanda hæc nimia sollicitudo. Nonne etiam sacellis plures addicuntur indulgentiæ ad commendandam, & augendam venerationem in Diuorum reliquias, eo loci ex piâ tantum & probabili coniecturâ repositas?

Quis neget quotquot Martyrologio inscribũtur, posse coli & votis inuocari? Nec tamen puto Petrus contendet, omnium qui Martyrologio accensentur, fide diuinâ certam esse sanctitatem & gloriam. Hinc grauissimi Theologi censent Decretum, quo in Diuorum album Sancti referuntur, ad fidem diuinam non pertinere, seû ad certam speculatiuam veritatem, sed ad practicam, tantum & ad affectum pietatis, ad quem satis est probabilis, & prudens ratio, licet euidentia, & omnimoda certitudo desit: maximè si dubium versetur circa rei, & temporum circumstantias, & aliquid compertum habeas quo pietas nitatur. Hoc fundamento posito, tantum abest vt in re scrutandâ sollicitum esse oporteat; quin potius ipsa inquisitio vitio vertatur. Damnandus enim esset, qui nulli vellet eleemosynam erogare, nisi prius excussâ arcâ, & domo, an fingeret se pauperem. Præstat enim vni immerito hoc subsidium, vel quodlibet aliud officium per ignorantiam impendere, quam plures debito obsequio, & ope necessariâ fraudare.

Nec minus vera est & æqua hæc lex ad Religionis, quam ad vitæ humanæ officia implenda: imò interdum cum de rebus diuinis agitur, & de pietatis exercitationibus, ignoratio & caligo præstat cuilibet scientiæ, & luci. Hinc illæ Sanctorum voces, quas Cardinalis Sirletus, non minus propriâ, quam discipuli Cardinalis Borromæi Sanctitate notus, dum animam ageret identidem repetebat. *Miserere mei Domine, sicut vis & scis.* Hinc illud Ascetic̃orum Patrum documentum, contritionem

eliciendam, & metiendam iuxta peccati malitiam Deo, non nobis notam. Nec solum affectus, & charitas, sed interdum etiam fides obiecti alicuius secura, Dei scientiæ, rerum, & temporum circumstantias permittit, nihil illarum sollicita. Quid enim cum exactis Danielis hebdomadibus, & impletis Prophetarum vaticiniis aduentus Christi instaret, dubio tamen die, mense, & forte anno? An tum fides nutabat, incerta momenti quo venisset Christus? Parum id referebat. Si fides, quæ rei in se veritatem assequi debet, nihil est sollicita de circunstantiis; quid de Religione, quid de charitate dixeris? Visne à momentis pendere, à quibus longè quàm fides abstractiores sunt? Vel de circumstantiis, aut singularibus motiuis sollicitas, quibus cum plura suppetant ad cultum, si vnum, aut alterum desit: alia vim suam seruant. Nec periculum est pietatem aliquando cassam fore, tot motiuis suffultam.

Hæc sunt quæ summâ quâ potui diligentiâ, ex totolongissimo libro decerpere Argumenta, vel quæ Argumenti speciem habent. Quod vero ex Concilij Tridentini verbis contra eius apertam mentem repetit, iisque gloriatur rem definitam, est omnium futilissimum. Nam cum Tridentini Patres peccati originalis ex Adamo sancitâ in omnes propagatione, addunt non esse suæ intentionis Deiparam suo decreto, aut communi malo inuoluere; Quæro à te, Petre, an apertiora censeas huiusmodi verba, iis quæ Christus in simili causâ protulit, cum virum adulterij damnat, si relicta priori coniuge superstite, aliam ducit, *exceptâ fornicationis causâ*? Putásne fornicatione vxoris matrimonium dissolui, & aliam ducendi ius viro comparari? Id tamen videtur statuisse Christus his verbis *exceptâ fornicationis causâ*. Solue hunc Nodum, & tua responsione me expedies ab illo, quo ex Tridentini verbis putas me ineluctabiliter & indissolúbiliter implicatum. An ignoras exceptionis Christi, & Patrum eundem sensum esse: sicut à quæstione subiecta diuortij semouet Christus fornicationem, de quâ alias esset sanciturus: Ita Patres Tridentini hoc decreto peccati originalis nihil de Deipara statuerunt, quasi de fide affirment certum alterutrum. Hanc interpretationem extra omnem controuersiam ponunt sequentia

quentia verba, quibus confirmantur Constitutiones Sixti IV. aliorúmque Pontificum, iisque cauetur ne alterutra partium erroris accusetur.

ARTICVLVS TERTIVS.

Breue examen totius Operis Nodorum indissolubilium.

FERVNT Socratem, lecto Heraclitι, nomine Scotini, seu obscuri Philosophi libro dixisse, eorum quæ legerat, nonnulla se intellexisse, quibus nihil verius, & sanctius; & ex istis se colligere verissima, & mirabiliora, quæ capere non poterat. De Petri Nodis quid simile mihi dicendum occurrit: eorum, quæ in nos scripsit prope infinita, licuit ex Authoribus quos citat, expendere nonnulla, & comperi falsissima esse. Ex quibus euidenti argumento coniicio his similia esse reliqua, quæ nolui ad examen vocare; nec si vellem, potuissem vnquam; ad hoc enim opus esset homine Petro simili, id est otioso, & pecunioso, qui veliet totam vitam nugis transigere, aut carpendis aliorum dictis ac factis; vel cui infinitæ pecuniæ suppeterent. Narrant Aristotelem opus habuisse toto sui discipuli imperio ad conficiendos libros de partibus, & historia animalium, quæ iusserat Alexander, è toto orbe sibi subdito aut subacto, ad Magistrum deferri, explorandi causâ quidquid ad naturam animalium pertineret.

Diuersus longè, minúsque honestus, quam Philosophum ardor incessit Aluam, læsum censura portenti naturæ, quod ex nouo orbe in istum deportauerat; nam suspicatus, quas commeruerat pœnas, se Authoribus Dominicanis dedisse; id statuit vindictę genus sumere, cui opus fuit magna noui orbis Gaza. Nam quæ potuit pecuniæ vis sufficere, conquirendis sex mille testibus, quos è puluere & situ omnium Europæ Bibliothecarum in nos instaurauit, vt nos D. Thomæ plagiarios, & cælitum mastigas conuincat. Et ne quis rem à me in maius ad inuidiam augeri causetur, consulat primum Nodum pag. 110. vbi de Conceptione, cuius ante tria, vel quatuor

sæcula altum credebatur silentium, asserit *Plusquam centum septuaginta millia ingenia Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Expositorum, atque Concionatorum desudasse, & scripsisse eâ de re solâ plures libros, tractatus, opuscula, quam litteras & apices habeat S. Thomas in suis septemdecim aut viginti tribus tomis.* Atque ex hoc librorum numero, quorum magnam partem collegit, & penès se habet, quasi ex præmissâ hanc conclusionem deducit, *incredibile videri, rem tot testibus confirmatam, reperiri hodie tantum sub quadam piâ credulitate.* Post ista quæ ex ipso retuli, quid opus est reliqua expendere? Cum facilè quisque coniiciat, quid ab eo scribi possit, de rebus quas apud se seruat solus, quorum fidem vult penès se esse, cum adeo incredibilia proferat, vt non tam videatur quasi Theologus disputare, quam vt miles Plautinus, aut Hispanus loqui, & horum omnium facilè verba ventosa vincat. Certè plurimum refert ad totius Ecclesiæ causam, ista non prætermitti sine aliquâ reprehensione, ne hæretici de nobis pessimè sentiant, quasi Catholici piam, probabilem opinionem non aliis rationum momentis librent, & metiantur, quam quibus Petrus reiectis aliis, quasi solis, aut certè præcipuis fundamentis fulcit, & sustentat. Actum esset de Ecclesiâ, nisi melior in hac, aliisve causis, vindex & defensor contingeret.

Nam vt de toto opere loquar modestissimè, liber diuisus per quindecim Nodos, sub cortice infinita falsa; sub virga, vera quidem sed parerga; sub singulis vero Nodis nonnisi paralogysmos habet, quos iam dixi similes esse acetabulis præstigiatorum. Si ludere statueras huiusmodi scripto, certè non erat tibi deligenda causa grauissima, cui dum videris velle (& credo te ex animo optare) venerationem & assensum apud Catholicos conciliare; risum, subsannationem hæreticorum in te & in piam ipsammet causam concitas: Quid enim de nobis statuent mordaciſſimi homines, qui solida quæque ex Antiquitate deprompta carpunt; vbi audiuerint promitti plures, quam extent apices in septemdecim ingentibus tomis, libros de quæstione superioribus sæculis non admodùm agitatâ.

Sed ad rem nostram prætermissâ præfatione, de quâ nobis iam dictum est: quæro à te Petre, cur hæc disse-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [158] - 98
PUBLIC DOMAIN

rendi, & ſtabiliendæ piæ opinionis ratio prę aliis placuerit, quæ nihil ad rem confert? Putáſne legitima conſecutione concludi: Dominicani ſuppoſuerunt infinitos libros D. Thomæ, vt vix decimâ parte legitimi ſint eius partus, progreſſu temporis ita excreuere, vt cum Ægidius Romanus numeret ſeptem tantum ex illo libros, D. Antoninus augeat ad octo ſupra quinquaginta, modo ad ducentos accedant: multæ etiam confictæ, aut falſatæ ſunt probationes, nec fuit Religioni confingere reuelationes, & miracula, quibus Doctrina D. Thomæ confirmaretur: Ergo Conceptio immaculata eſt iam fide definita, aut definienda neceſſario. Putáſne res adeo diſſitas in vnam poſſe vlla arte logicâ demonſtrationem Theologicam coire? Si fateare non poſſe ex huiuſmodi præmiſſis eã deduci definitionem quam vrges ad bonum totius Eccleſiæ: cur pluſquam dimidiam libri tui partem (id eſt quidquid cuiuſlibet Nodi primo, & tertio Paragrapho habes) his duabus accuſationibus confirmandis impendis; quas etſi vltro concederemus, parum, aut nihil cauſam promouiſti? Putáſne, vel vulgatis quæ ſilentio charitas iuberet obrui, ſi vera eſſent; vel nullis aut leuibus, ſi quæ fuerint, culpis in maius ad odium auctis, vel interdum puris putiſque mendaciis, te Summorum Pontificum, Deiparæ, & piorum gratiam initurum, & quam efflagitas definitionem huiuſmodi malis artibus obtenturum?

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Vindicantur D. Thomæ ſui libri.

POSSEM parergis quibus librum referſiſti, annumerare quam moues de numero librorum D. Thomæ quæſtionem. Quid enim ad rem tuam (niſi velis tantum ſcribere vt mordeas viros illuſtres:) ſiue cum Ægidio 7. tantum libros D. Thomæ legitimos agnoſcas, ſiue 20. cum Petro Rogero in Summum Pontificem titulo Clementis VI. electo, ſiue 58. cum Sancto Antonino? ſiue 118. iuxta calculum eorum quos editioni Romanæ Theologorum præfecit Pius V. vel 170. iuxta aliorum ſenten-

tiam? Quidquid de re ipsâ sit, optassem hanc controuersiam quæ nihil ad causam tuam fecit, aut omisisses omnino, aut sincerius attigisses. Quis enim in te fidem non desideret, cum ex Ægidio vis certum constituere numerum librorum D. Thomæ, neque alios recipiendos præter 7. quos citat? Cum Ægidius non susceperit scribendum Catalogum librorum sui Magistri, sed eos tantum recensuerit, quos æmuli carpebant, & quos ille erat defensurus? Visne etiam Rogerium suâ illâ oratione in laudem D. Thomæ, exactum scripsisse librorum eius Catalogum? Sed ad minus inquies D Antoninus Titulo 10, accurate inquisiuit, & iniuit librorum D. Thomæ numerum: neque recenset plures quam 58. & reliquos vult gratis fuisse confictos. Addis quasi ab ipso dictum, Commentaria in Ioannem nomine D. Thomæ edita esse Reginaldi, sicut in tres nocturnos Psalterij: Commentaria vero in Mathæum esse Petri de Andria.

Sed sic contra te expostulo, Antoninum à capite ad calcem à te fuisse corruptum pluribus mendaciis, quàm ex ipso verba retuleris. Inprimis vbinam legisti, ab Antonino dictum, quæcumque opera præter 58. à se enumerata D. Thomæ ascribuntur, gratis ficta esse? Ego sanè legi & relegi caput illud; neque potui inuenire, quæ illi gratis, aut potiùs per summam fraudem verba affingis. Deinde Antoninus enumerat 75. volumina, præter 12. quodlibeta; ac proinde non fuit tibi religioni qui vnius oboli furto te æternæ damnationis reum reputares, 37. volumina suo legitimo authori subducere; Atque huius furti conuinceris ex Antonino, quem in testem aduocaueras. Sed hæc duo mendacia leuia sunt præ aliis quibus summâ fraude Commentaria in Ioannem, & in Psalmos D. Thomæ eripis, & vindicas Raynaudo quasi authori. Cur D. Antonini locum & verba subticuisti? Ipse enim sic habet, *Scripsit quoque (Sanctus Doctor) postillam super Euangelium, maximè super quinque capita stylo proprio: residuum dicitur reportasse F. Reginaldus socius eius ipso legente: quod postmodum idem Doctor correxit & approbauit* Idem refert Sanctus Antoninus de Commentariis in Epistolam ad Romanos, ad Corinthios, ad Hebræos, ad caput vsque vndecimum absolutis; reliqua vero super alias Epistolas dicit excepta ab eodem Raynau-

do, legente Sancto Doctore, & ab ipso correcta. Idem asserit de tribus Psalterij Nocturnis legente S. Thoma à Reginaldo exceptis. Idem habet de Commentariis in Mathæum, quos vult à Petro Andria exceptos, & editos, non suo, sed Sancti Doctoris veri Authoris nomine, cum ipse tantum à dictante excepisset.

Atque vt erudito lectori magis satisfaciam, quam calumniis Petri refellendis tempus teram, tria sunt distinguenda D. Thomæ sicut cæterorum Illustrium Virorum opera. Primæ classis ea sunt, in quibus summam sibi posuerunt: qualia sunt apud S. Augustinum polemica, de Ciuitate Dei aduersus gentiles; & de rebus fidei aduersus hæreticos. Ad hoc genus pertinent quotquot ex Ægidio indubitata censet opera D. Thomæ ipsemet Petrus: quæ tamen non est passus intacta abire à suis morsibus aut mendaciis. Duo habet luculenta, primum est Nazarium dubitasse de maiori parte summæ D. Thomæ, vult subindicare secundam secundæ; quasi aliorum dubitationem induci & refelli à Nazario, sit ipsummet dubitasse. Alterum est eandem Summam immaturâ D. Thomæ relictâ, morte absolutam fuisse Alberti à Brixia opera, quasi aliud operæ-pretium fuerit ipsius Alberti, quam quæstiones D. Thomæ in quartum sententiarum, ad complementum Summæ Theologiæ adhibuisse. Quid nobis narraturus es, Petre, de libris quos solus penes te habes; cum adeo audacter mentiaris, de his qui omnium manibus teruntur? Sed prosequamur reliqua.

Secundæ classis sunt Commentaria in Scripturam, & in Authores omnis generis, tum sacros, tum prophanos: in Dionysium, Boëtium, Aristotelem, librum de causis, quos omnes in Galliæ, & Italiæ Academiis, maximâ auditorum frequentiâ est interpretatus: partitis per singulos dies, lectionibus quas dictabat, interdum memoriter, & vix aphtographum, vel vllum exemplar seruabat. Tertij generis Tractatus sunt breuiores, Sanctorum Patrum Epistolis similes, quibus rogatus ab amicis, aut à Maioribus iussus, de rebus diuersissimis disserebat.

Petrus adeo in D. Thomam æquus est, vt alia non agnoscat D. Thomæ opera, quam quæ primâ classe recensui: quasi nullum Scripturæ sacræ librum, nullum Au-

thorem fuerit commentatus, quasi nullas aut raras in Academiis lectiones habuerit, quasi semper fuerit Bos mutus, nec vlli de rebus dubiis ipsum consuluerint, vel ipse nihil responderit, aut eius responsa, qui ambiuerant, lecta contempserint.

Quod vero huiusmodi secundæ & tertiæ classis à diuersis excepta, ab ipso vix seruata, non vno anno aut sæculo prodierint, sed progressu temporis; nisi sit liuore cæcus, esset modestiæ S. Doctoris, & diligentiæ Discipulorum eius, quam fraudi illorum aut præposteræ in Magistrum affectui ascripturus. Tanta exuberabat S. Doctor rerum diuinarum copia & scientia, vt per omnes Europæ Vrbes & Academias largissimè exundaret: (& sicut de eius Magistro Alberto Magno fertur;) adeo erat humilitatis & paupertatis tenax, vt quos scribebat aut dictabat libros, vix auderet secum deferre: quasi ad eorum, in quibus degebat conuentuum censum pertinerent, ipsis relinquebat, aut discipulis permittebat fruendos, aut si vellent edendos, eorúmque neque gloriam vllam neque etiam vsuram quærebat. Et hoc euidentius est de secundæ & tertiæ classis operibus, quorum nullum nisi apud auditores extabat exemplar: ideo incertior fuit & magis varia eorum editio & opinio Doctiorum.

Sed si inde vellet notha conuincere huiusmodi opera D. Thomæ; hæreticorum causam iuuaret Petrus!, quorum etiam armis in nos vtitur; dum è librorum D. Thomæ Catalogo vix decimam partem legitimam dicit, quod de reliquis multi dubitarint. Quo argumento hæretici è Canone Scripturæ semouent plusquam dimidiam librorum sacrorum partem, vt Iudith, Esther, Tobiæ, Machabæorum historias, Ecclesiasticum, Sapientiæ librum, Baruch integrum, Danielis partem, ex veteri Testamento: ex nouo Apocalypsim, Epistolas Pauli ad Hebræos, Iacobi Canonicam abstulerunt: causati Antiquorum Patres plurimos vel reiecisse omnino vt Apocriphos, vel de illis dubitasse. Quid aliud obiicit Petrus aduersus legitima D. Thomæ opera? Sed eius præposteræ iudicio liceat anteponere Criterium tot Virorum Illustrissimorum; qui certius D. Thomæ opera ex eius stylo nouerunt, quam possit quis hominem ex suâ loquelâ. Sed si coniecturis indulgere placeret, haberemus sine dubio Pe-

tre tuis meliores: id debemus tuæ æquitati, vt præter Catenam auream (quam vis ereptam vni è tuis) reliquos omnes fatearis esse Dominicanorum libros, vt Alberti Magni, aut aliorum è nostris eiusdem nominis cum D. Thoma, quæ causa erroris fuerit. Cur igitur Dominicani illos legitimis suis Authoribus eripuere, vt D. Thomæ assererent? Certè nihil antiquius, aut prius nobis esse debet Familiæ nostræ bono & honore, quem hâc commutatione, diminutum potius, quam auctum contendo: quis enim neget satius fore Ordini plures habere Thomas summæ & paris eruditionis, quâm vnum? Hanc vero apud homines consequeremur gloriam, diuisione operum D. Thomæ in multos: ab eâ autem excidebamus, fraude, qua vis nos vsos fuisse

Quamuis D. Thomas agnosceretur Author tantum eorum librorum, quos illi ex Ægidio asseris, id est, vtriusque Summæ, Theologiæ, & contra gentes, &c. reliqua opera, aliorum nomine edita multos Thomas Ordini peperissent. Cur igitur gratuito mali fuissent Dominicani, & in suum damnum mentiti? Cur pro vno Thoma plures recusassent? Nempe vt nihil auctâ gloriâ Thomæ, totius Familiæ decus minuissent. Adeo-ne desipuissemus, vt nobis nocere putaremus plures habere Thomas, qui scholæ principatum dubium facerent, aut indiuidua obtinerent, tam tota omnium, quam singulorum?

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Responsio ad singulas partes libri Petri Aluæ.

QVISQVIS tuum naturæ, & gratiæ, Petre, legerit, & cum hoc postremo Nodorum libro contulerit, iurabit non potuisse vtrumque opus ab eâdem officinâ prodire, eiusdémque esse authoris, nisi ille sit quoddam portentum. Non dicam stylo adeo immane distare, & primum præ secundo, ita pingui Minerua scriptum, vt necesse fuerit istud ex opere operato, & alienâ manu atque industriâ confectum, vel toto tempore quod ab vno opere ad aliud effluxit, te grammaticæ studuisse; alias non potuisses non impingere frequenter in barbarismos, &c.

ſolæcos, quibus prior ſcriptio ſcatebat. Sed leuiora ſunt, hæc quam vt Theologo obiiciantur, vel portenti nomen tibi aſciſcant; eſt aliud dignum eo titulo, ad quod non dubito quin omnes obſtupeſcant, & portenti loco reponant. Quî enim fieri potuit vt in alios, & in teipſum, tuáque ſis adeo diſſimilis tui? Non ignoras, Petre! hanc primam nedum Chriſtianæ charitatis, & religioſæ, ſed etiam ipſiuſmet humanitatis legem, vt communi cum aliis iure viuamus, eadémque illis officia exhibeamus, quæ nobis præſtari velimus. Hæc eſt prima naturæ inſtitutio; ab illa quiſquis defecerit, iure nomen monſtri ſortietur. At quid ſunt duo tui libri, ſi inter ſe conferantur, niſi enormis, & perpetua à iure naturæ exeratio? Diuerſiſſimi ſunt generis, & argumenti hi duo libri: vno tuos, tuúmque parentem laudas, D. Franciſcum fere Chriſto æquas, & ex vtroque adiunctâ Deiparâ triadem efficis, in qua nihil ſit prius, aut poſterius; nihil maius, aut minus. Altero vero opere toto in D. Thomam, & in Dominicanos inueheris, eoſque diſcerpis crudelius, quo per ludum honoris titulos *Reuerendiſſimi*, *Doctiſſimi* maledicentiæ, & ſarcaſmis admiſces.

Sed dices, licet toto genere libri differant, tamen vtrumque ad artem oratoriam, qua vales, maximè pertinere: tum enim præſtantiſſima eſt, cum in vituperando perinde ac in laudando præſtat. Certè ſi ita ſit, Oratoriæ artis abſtuliſti palmam, & ferè ſpem omnibus te imitandi: nullus hominum magis vnquam te, gratiæ aut odio dedit, neque ſuis impenſius indulſit, eoſque laudauit; vel aduerſarios acerbius, & iniquius inſectatus eſt? Videris tibi perſuaſiſſe tuos ſenſus, tuáque, aut tuorum ornamenta ſummum bonum eſſe, ſummum vero malum Thomam, eiuſque diſcipulos. Hoc fine ita conſtituto, illis attollendis, iſtis deiiciendis opportuna, licita & ſancta eſſe putas, mentiri, calumniari, &c. Vel ſi eo cęcitatis non es delapſus; ad ſminus in animum induxiſti, licet ex omnium ſapientum conſenſu, eadem ſit contrariorum lex, diuerſis tamen legibus tuorum encomia, & noſtrûm vituperia eſſe metienda. Si laudes Franciſcum, illud tibi identidem canis: *Quantum potes, tantum aude, quia maior omni laude*, &c. Parum eſt tibi D. Bonauenturam conſulere, & ab aliis tradita amplificare, tranſcendis ſydera,

librum vitæ ſcrutaris : & inde quaſi alter Paulus ad tertium cœlum raptus, narras ineffabilia verba, prædeſtinationem D. Franciſci tertio poſt Chriſtum & Deiparam folio legis, Apoſtolis ad quartum relegatis : & quaſi nuper è cœlo adueniſſes, velut iuratus teſtis Theſibus publicis doces quæcumque in aulâ cœleſti aguntur. Ibi Franciſcum ſummâ gratiâ valere apud Regem cœleſtis Hieruſalem, ibi ſolum auditi, Angelos illi miniſtrare, nec niſi ſalutato & adorato eius corpore, à Deo ad nos, vel hinc ad Deum remeare : & quaſi perpetuus, & indiuiduus comes Franciſci, & Chriſti, ſingulariſſima quæque ſoli Deo nota ita comperta habes, vt certo numerare poſſis, quot à Matre ſuxerit lactis guttas, quot ſanguinis effuderit : vt inde ineas horarum numerum, quibus Franciſcus ſtigmata Ieſu Chriſti in ſuo corpore portauerit.

Nonne conueniebat te ita indulgentem coniecturis, aut potius inſomniis, cum de tuâ Familia ſtatuis, mitius nobis cum agere, neque exigere vt quæcumque ſcripta, aut dicta legis de D. Thoma, tabulis publicis comprobaremus? Nonne, oportebat ſic tecum reputare; cur aliis negabo, quod mihi volo indultum? Quid ſi mecum agatur iiſdem legibus, quibus in alios cenſuram exerceo, nempe commentitia eſſe omnia quæ à Dominicanis de D. Thoma referuntur, niſi excepta ſint traditione perpetuâ, ab vltimo authore omni exceptione maiori ad primum vſque, qui rem à ſe narratam iuret ſe oculis hauſiſſe, & manibus contrectaſſe? In quas anguſtias te coniiceremus, ſi tuum exemplum imitati, exigeremus eorum argumenta, quæ ſcripſiſti? Eſt ne æquum quæcumque in mentem, aut buccam, aut calamum veniunt, chartis, & typis mandare, aliis nihil condonare, mendacij, & ſacrilegij arguere, ſi quæ proferant, quorum tabulæ publicæ non extent? Quam graue, quam atrox malum incurrit Dominicana familia, quod non fuerit (vt Tullij verbis vtar) *Litterarum conficientiſsima*, quod non retulerit in tabulas publicas Stephani Epiſcopi Pariſienſis, Vrbani V. Innocentij I V. Pariſienſis Academiæ litteras in commendationem D. Thomæ datas, quod verba à Chriſto è Cruce dicta *Bene ſcripſiſti de me Thoma*, quod Pauli Apoſtoli, quod Deiparæ, quod Sancti Franciſci reue-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [165] - 105
PUBLIC DOMAIN

lationes, ad eiusdem Doctrinæ confirmationem incertis authoribus euulgatas, nequeant Codicibus rationariis, librariis, vel authoribus D. Thomæ coætaneis comprobare. Nam Petrus his præsidiis destitutos, pronuntiae *Falsarios, Temeratores*; *Sacrilegio* etiam grauat, quasi hæc à nobis conficta sint, eo animo, vt Deiparam inumbraremus. Quid potest hoc iudicio iniquius esse, seu ipsiusmet Petri morem inspicias, seu ipsiusmet causæ momenta expendas? Quid à nobis de D. Thoma dictum, quod accedat ad centesimam partem encomiorum de D. Francisco, vel ineptiarum quibus suos libros refersit? Deinde quæ tyrannis, imponere aliis onera intolerabilia, quæ nolit digito mouere? Iubere sibi quidquid libuerit, nullo adhibito teste, aut argumento, dicenti credere; & alios vt sacrilegos traducere, nisi faciant fidem ex ipsismet autographis.

Mirum quantum sibi indulserit, aut placuerit in illo Augustino & Ambrosio, vt creditur Authoribus, cantico ad Franciscum transferendo, licentiâ plusquam Poëticâ, quod omitto, vt hominis pudori consulam. Is ipse tamen qui nullum modum habet, nec finem sui, suorúmque laudationum, Nodo decimo quarto refert, quatuor officia in laudem D. Thomæ apud Dominicanos iam ita antiquata, vt præter vnum, quod apud nos celebre est & vsurpatur, reliqua mihi prorsus ignota essent, antequam librum Petri attigissem: ea tamen, quasi apud nos in vsu essent, expendit, & ita interpretatur; vt videatur imitari non elegantiam quidem, sed licentiam Erasmi in suis colloquiis, aut in sua Moria cum de rebus Ecclesiæ sacris ludit more Luciani. Condonarem tibi Petre, hanc Erasmi imitationem, nisi tu plura scripsisses, quæ vberiorem illi iocandi materiam suppeditassent: & reuera si Spiritu Dei, & Charitatis agereris, non debebas huiusmodi officia in tuos Nodos referre, quæ poteras scire ita à nostris breuiariis exulare, vt ne minimum quidem illorum apicem, nisi apud te legerim, & ex te nouerim. Meminisse te oportebat, illud Sapientis *Pondus & pondus, mensura & mensura vtrumque abominabile Deo.*

Sed te diuersis omnino lancibus propria & aliena ponderare, præter superius à me relata, argumento est quod subiungo ex Nodo decimo tertio. Mirum est quam sis

tui dissimilis, & quam diuersis ponderibus vtare, in reuelationibus aut miraculis probandis. Longè morosior es ipso Domino de Launoi in iis expendendis, quæ minus tuis præiudicatis opinionibus fauent. Nemo mortalium pronior aut promptior te est in iis confirmandis, quæ tuo affectui indulgent. Huius diuersi ponderis & ponderis, seu versatilis aut pertinacis pro tuo commodo, atque vt gratia vel odium suadent, iudicij, exempla plurima præbent omnes tui libri: vnum tantum in vtramque partem attingo. Alphonsus Fernandes suâ de Rosario historiâ retulerat ex grauissimo Patre Ioanne à Iesu Maria Carmelitarum Discalceatorum in Italiâ Præposito generali, Diuum Franciscum vni è suis filiis sub formâ aspectabili visum, suasisse vt Diuo Thoma Duce, dissolueret dubium quo torquebatur, additâ commendatione Doctoris Sancti. Sed Petrus suæ diffisus, Vadingi eloquentiam ad subsidium vocat, atrocitati rei parem. *Noui quidam recentésque authores indignas fabulas secuti, quasdam sparserunt regulas per quas ita Sancti Thomæ Doctrinam magnificant*, &c. Deinde vterque contendunt nihil tale dictum à Præposito Carmelitarum; sed omnia à Dominicanis conficta. Verum eius rei apud Ioannem à Iesu monumenta extare, accuratè demonstrat vnus Scriptor suâ ad Theophili Diatribas responsione, & nos etiam fortè aliquid attingemus, cum eò loci ventum fuerit.

Verum morosissimus hominum, ad examen reuelationum auidissime arripit, & nullo fere examine comprobat, quas videt à suis affectibus & opinionibus non dissentire: ideo non dubitauit grauissimæ rei, nempe celebritatis festi Conceptionis, à reuelatione admodum dubiâ & incertâ, factâ Helsino Abbati originem repetere, à sæculo Anselmi, quam dicit quatuor opusculis confirmasse, & inde per Angliam, Germaniam, Daniam, Normaniam percrebuisse festum illud & mysterium.

Iam pluries tota hac dissertatione dixi, & iterum moneo vt paream Pontificum monitis, quicquid dixerint antiqui aut recentes Thomistæ contra probabilitatem piæ opinionis, me improbare: neque etiam negare, quin sit definibilis: id vero vnum totâ hâc responsione contendo, & iam credo me euicisse, Petrum fiduciâ suorum

Argumentorum, reiectis communibus & melioribus, nocuisse potius, quam consuluisse piæ opinioni, ex eo maximè capite; quod præter morem & mentem grauissimorum Theologorum Scoti, Bellarmini, Suaris, Vasquesij & aliorum astruat reuelationi Helsino factæ, quatuor opusculis Diui Anselmi eâ de re, & vni Abaillardi contra Diuum Bernardum & institutioni eiusdem solemnitatis per quatuor aut quinque celebres Europæ Regiones. Ad hæc omnia non dicam etsi vera essent, tamen recentiora, fore quam vt fidei certitudinem huic piæ opinioni concilient. Id enim verissimè possum asserere; nullum esse Religionis articulum controuersum Catholicos inter & hæreticos, cuius origo nusquam reperiatur, donec ad Christi & Apostolorum tempora deuentum sit: & hoc maximum esse ad victoriam Ecclesiæ Catholicæ momentum & argumentum, quod de nullâ cum hæreticis veritate contendat, quam non probet antiquissimam; nec minus ratione temporum quam piorum consensu Catholicam. His omnibus prætermissis affero mihi incomperta videri, quæ ex Petro retuli multis nominibus; sed hoc maximè, quod quæcumque habet de quatuor Anselmi Opusculis, de quinque Regionibus, &c. ignota fuerint Bernardo qui tum viuebat, Scoto, Bellarmino, & aliis Theologis, qui nullam harum rerum mentionem faciunt, facturi sine dubio si aliquid verisimile haberent.

Quid opus est ad singula respondere, quæ Petrus quindecim Nodis scripsit, cum tot præiudiciis & adeo præposteto, de rebus suis alienisue iudicio, sibi omnem fidem abrogarit? Sanè non plus est periculi, persuasurum, quæ de nobis pessima ad inuidiam, quam quæ de suis magnifica commentus est. Trium, quibus totus liber constat partium, tertiæ, quæ cuiuslibet Nodi vltimum seu terrium Paragraphum implet, iam responsum est: habet pars illa centum sexaginta tres paralogismos ex comparatione rerum prorsus dissitarum, & diuersi generis, quas licet admittamus ad legitimam comparationem, euincunt quod omnes concedimus, quod Pontificia decreta exigunt piæ opinionis probabilitatem. Licet vi tuorum Argumentorum id minimè conficias, Petre, peccant enim formâ, materiâ, & vix vllam habent syllo-

gismi speciem; quia vbique rides, aut irasceris, & quodlibet aliud agis, quam rem à te propositam confirmare: si tamen aliud obtendas, quam quod indicant Pontificia decreta, habes ad quodlibet tuorum 163. sophismatum tres solutiones, id est, fere quingentas ad omnes.

Duo tantum supersunt quibus hic respondeamus, libro sequenti si quis sit dignus vindice Nodus, illum soluturi. Carpis passim per totum librum Patrem Turcum, eiusque dissertationem, aut potius libellum supplicem Innocentio X. datum dilaceras, Viri etiam grauissimi pios manes sollicitas. Ad hæc duo tantum dicam, scriptum Innocentio X. nulli suorum decessorum prudentiâ inferiori, ita placuisse, vt illi persuaserit id de quo agebatur; quod vero huic negotio immortuus fuerit, ego iudicia Dei venetari soleo, nec mihi permitto scrutari: non puto tamen Summi Pontificis iudicium fuisse diuino improbatum, & fortè ad suspicionem quamcumque à Viro Religiosissimo amouendam, Deo visum est, vtrumque contendentium, nempe Cardinalem à Ceuua & Turcum diem vltimum eodem tempore clausisse.

Postremum superest quod obiicis aliquâ responsione dignum. Vis quæcumque euulgata fuerint ad D. Thomæ commendationem testimonia, fuisse quasi indiuidua huic controuersiæ quam moues. Ad hæc duo dicam; primum me infinitis locis apud Capreolum, Caietanum aliósque Thomistas antiquos & recentes legisse, Stephani Episcopi Parisiensis, Vrbani V. litteras, &c. Sed apud nullum vllo loco obseruasse adhibitas ad hanc controuersiam: vt mirum sit, te velle hanc cognationem colligere, ex quatuor aut quinque locis, nullâ ratione habitâ infinitorum, quibus huiusmodi testimonia ad alias controuersias vsurpantur. His addo de huius controuersiæ origine, aut saltem progressu nos posse magis comperta, & veriora referre: certum enim est, natam vel auctam ex Concilio Basileensi, vbi stabilita est hæc opinio, & Pontificia authoritas valide impugnata à Gersone, à Petro de Aliaco, & strenue propugnata à Card. Turre cremata, & Ioanne à Monte Nigro. Nec hæc fuit contentionis meta, exarsit etiam inter Almainum, & Caietanum, inter Cosmam Morelles in Comitiis Generalibus 1611. habitis Lutetiæ, & Richelium. Hinc causa Concilij

Basileensis adeo arcte connexa fuit cum controuersiâ de Conceptione, vt Almaynus, Clictouæus, acerrimi Concilij Basileensis defensores, & Pontificiæ authoritati infensissimi, fide certam velint, quasi sancitam à Concilio Basileensi aduersus Dominicanos, cum ab ipso ad Eugenium desciuissent. Hinc Parisiensis Academia post Gersonem suum Cancellarium, Concilium Basileense muniendum censuit piâ opinione, cuius sacramentum exegit ab his quos sibi aggregabat Doctoribus. Vide igitur Petre, aliam rerum quam censeas originem esse, & cognationem. Sed de his satis.

ARTICVLVS QVARTVS.

Aliquot exerrationes P. Aluæ annotantur.

VTINAM Pater Alua, piam immaculatæ Conceptionis causam illotis manibus non attigisses: neque perinde rebus, ac sermone imperitus, & amaro sine scientiâ zelo, nedum solœcis, aliisque ex inscitiâ erroribus, sed iisdem fœdasses sordibus ex originali culpâ natis, quas abstergere meditabaris. Conueniebat planè Deiparæ immunitatis à geniali culpâ vindicem magis intactum minúsque obnoxium huiusmodi contagio, cuius vestigia sic apud te, & in tuo libro voluisti extare; vt si quis adhuc Pelagianis de hâc labe naturæ congenitâ, supererat dubitandi locus, sustulerit hic liber, quem meritò dixerim inuictum huius mali argumentum, quo vno compactum videatur.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Tria exerrationum genera P. Aluæ.

TRIBVS hallucinationum generibus, hi quindecim Nodi, & omnes fere huius Scriptoris libri scatent, ex linguæ, ex solidæ Theologiæ inscitiâ, & ex præpostero zelo natis: primi ordinis errorum nullum hactenus mihi attingere permisi; quia aquila non captat muscas, ne

que istas Grammaticæ minutias insectari passa est immanitas hallucinationum, contra principia solidiora scientiarum à Dialecticâ omnium infimâ, ad Theologiam vsque, cæterarum fastigium & apicem: quamuis, vt verum fatear, conueniebat puritatem Virginis, castiori dictione defendi, nec adeo lutulento, & pingui sermone fœdari.

Quis enim ferat Lectorem iam iubilatum, qui in omnes virgam censoriam sumpsit, qui Aristarchum agit, in summa Theologorum capita, Grammatices rudimenta nescire, & neglectâ, aut forte ignorata syntaxi, qua *Doceo* accusatiuum regit, ita de Aduersariis scripsisse, *qui docet rudimenta Summularum Lectoribus iubilatis*? Basilius Magnus Demostheni Valentis culinæ Præfecto Imperatoris minas, sibi pari linguæ & animi barbarie intentantis falsè reposuit, Imperitum Demosthenem vidimus. Quid dicturum putas, si audiuisset emeritum scientiarum professorem, ipso Nabusarda, & coquorum principe pinguius, & crassius loquentem? Referebat plurimum ad huius argumenti dignitatem & gloriam, ab aliquo tractari scientiarum callentiore, qui in prima Logicæ elemenra idemtidem non impingeret; nec rogatus, qui sint tres syllogismi termini, responderet, esse positos in Maiore, Minore, Consequentiâ: cum tamen huius artis Tirones norint tribus syllogismi terminis, maius & minus extremum, & vtriusque medium significari.

Fortè non tam nesciuit hanc trium Argumentationis terminorum interpretationem, quam dissimulauit; ne cogeretur agnoscere quæcunque his quindecim Nodis coniecit, quibusque ad certam fidei definitionem putat se quæstionem susceptam promouisse, sophismata, non Argumenta hâc, quam vocant, quatuor terminorum fallaciâ laborare: hoc enim vno omnia continentur; nulli Catholicorum negandum est partui ventris, seu Virgini ex Anna Matre, quod Thomistæ concedunt partui mentis, seu doctrinæ sui Magistri: Atqui huic post multas retractationes, longaque studia probabiliter asserunt immunitatem ab erroribus, maximè contra fidem: Ergo vindicanda est Deiparæ primo conceptus instanti, certâ fide omnimoda immunitas à geniali labe.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [171] - 111
PUBLIC DOMAIN

Mira est huius Argumenti apud Aluam vis & efficacia, apud artis peritos vix Argumentationis formam vllam habet; quia non quatuor, sed mille terminorum fallacia laborat. Referebat vero plurimum ad institutum Patris Aluæ, numerum terminorum Syllogismi, non vero sensu extremis duobus & medio, sed Maiori, & Minori Consequentiam metiri, ne frustra videretur, tot tantáque scripsisse. Quare lepide excepit quæstionem Patris Belgæ ex nostro Ordine Philosophiæ Professoris; *Lector ille Iubilatus, & à vobis sugillatus, scit quid sit Argumentum; & quod debeat constare tribus solum terminis, & non quatuor, scilicet Maiori, Minori & Consequentiâ: omnia ista à multis annis didicit, & docuit ille Lector Iubilatus Minor.*

Solutâ aduersarij quæstione, suam illi reponit, *desiderat vicissim scire Lector ille Iubilatus Minor à Professore isto Philosophiæ maiore, qui docet argumenta Summularum Lectoribus Iubilatis, vt videlicet dicat, quot funiculos debeat habere nodus*; nescio an hâc subiectâ quæstione grauiùs in Priscillianum Grammatices Magistrum, quam superiori solutione in Aristotelem Dialecticis regulas dictantem peccauerit. Sed omissis his nugis, paulo altiora canamus.

Condonari forte, aut excusari poterant ista, quod incredili in Deiparam affectu abreptus, non tam quid posset, quam quid vellet attenderit: facile enim incautis imponit zelus in speciem bonus, cui scientia, quâ regatur, defuerit; vt mirum non sit in Controuersiâ obscurissimâ pluries cespitasse, velut ebrium, non à vino, sed nimiâ sui fiduciâ, & aliorum contemptu: Quî enim fieri potest, vt Scriptor nullis instructus præsidiis, rem omnium maximam effectam daret, cui etiam peritissimi, & eloquentissimi succumberent, aut inuiderent?

Quare indulgendum illi censeo, quidquid ex ignorantiâ, in his iuris quæstionibus difficillimis, à vero longe delapsus scripsit: cuius generis sunt fere errata, quæ hactenus collegi, & refutaui. Sed quæ duo è nostris Patribus Belgæ, Franciscus Iansens Elinga, Louanij Philosophiæ Professor, & Martinus Harney Sacræ Theologiæ in Academiâ Louanienſi licentiatus, ex primâ & alterâ eius Nodorum editione, suis eruditis Apologiis latè

prosecuti

prosecuti sunt, & castigauerunt hallucinationes, vix vllam veniam merentur: tùm quòd ad res facti, quæ sensibus etiam patent', & obuia sunt, pertineant; tum quòd monitus, nec deffendere posset, eâ incredibili pertinaciâ, noluit emendare, nouisque ac grauioribus erratis cumulauit; quæ eius institutum, quo vno excusari poterat, aut se tutari, prorsus euertit.

Mirum est quam præposterè causam per se sanctam Immaculatæ Conceptionis susceperit, & prosecutus sit. Nam cum omnino conueniret hanc à geniali culpâ Deiparæ immunitatem iis artibus asserere, quæ longè abessent à vitiis ex eâ communi corruptelâ in genus humanum deriuatis, nihilque resiperent illud genus mali, à cuius contagio Deiparam semouere vnum erat consilium & votum: Ille contra alieniſſimam ab hoc pio instituto vindicationis rationem iniuit, in quam, quidquid ex illo omnium malorum fonte in nos defluxit, passus est redundare, & totis viribus deriuauit.

Hoc vno fortè nesciens, & imprudens, quam vrget causam oppidò iuuit, quod suis quindecim Nodis, mali ex parentibus, aut veriùs peremptoribus, à filiis excepti magnitudinem, grauitatémque suo exemplo voluit demonstratam: vt piaculum videri possit, post ista experimenta, velle Deiparam, vel vno instanti tot vitiorum origini obnoxiam fuisse. Hoc saltem commodi ad suum institutum suis potius malis, quàm Argumentis retulit, & emercatus est. Quid enim illius contagij immanitatem apertius euincat, quam quæ inde in illius scriptionem ex eo fonte promanarunt labes; nempe sui laudatio, & aliorum vituperatio perpetua; illud *Pondus & pondus* ex Sapiente Deo execrabile, quo res nostras, & alienas metimur, discrimine adeo iniquo; vt quæcunque ad nos pertinent, etiam modica & nulla, amplissima sint, & omni laude maiora; quæ vero alios ornant, pœnâ sint, quàm præmio digniora. Non potuit sanè aliunde quam ex eâ malorum communi origine, præposterum adeo iudicium proficisci quod vbique exercet Petrus, vt nullum in amicis vitium, vix vllam in Aduersariis virtutem agnoscat; vt ex vero nihil, & ex causæ meritis, omnia vero hæc suo affectu constituta velit. Quid mos ille perpetuus alios sarcasmis & amaru-

lentis dicteriis lacerandi, dum videri vult laudare? Quid euidentissima quæque negandi licentia, & par incredibilia affirmandi fiducia? Quid in alienis leuissimis, aut nullis erratis, supra modum augendis, suisque grauissimis eleuandis solertia, aut defendendis pertinacia?

Dies me deficeret, si vellem singula huius scriptionis vitia percensere: cum ex modestâ monitione fere spem emendationis abstulerit, votis tantum cum illo agi posse vid eo: meliorem illi mentem optare nunquam desinam; sed vix ausim sperare: quandoquidem à duobus è Patri tribus nostris correctus, præterita mala visus sic auxisse secundâ Editione suorum Nodorum, vix apice mutato, eorum quo falsa inuictis Argumentis demonstrauerant. Quare cum vnus nobis superfit locus ad vota, illis indulgemus. Vtinam te, Petre, nosque Deus respiciat, & potentissimâ gratiæ vi, depulsâ ex animis nostris cæcitate & peruicaciâ, sui docibiles faciat, vnius veri amantes, & legitimæ in Deiparam pietatis sectatores, & vindices? Vtinam quam attigisti causam sanctiùs tractasses? Atque vt voti mei tibi ratio constet, & omnibus probetur, paucis demonstrandum suscipio, quam iniuisti viam defendendæ causæ, parum adiumenti contulisse, & tibi non bonum nomen peperisse.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Incredibilia in Diuum Thomam conuitia Petri Aluæ, & paria de se encomia.

FREQVENS est apud Theologos multis enodandis difficultatibus opportuna distinctio rerum, quæ instant agendæ; partim operantis, partim operis statum & finem spectare, nec rem posse absolui, si quid ex illâ paraturâ operantem deficiat, aut opus. Hactenus probatum est, Aluam malè consuluisse dignitati, & fini operis, quod moliebatur; cum prætermissis, quæ pietatem Immaculatæ Conceptionis muniebant melioribus Argumentis, leuissima & futilissima suffecit. Sed multo grauius, vt iam significaui, & probatum eo, in aliud ca-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [174] - 114
PUBLIC DOMAIN

put, quod operantis, vt vocant, animum, finémque ſpectat, peccauit.

Toto plane cœlo aberraſti Petre, ab eo, quem Deipara ſuis clientibus affectum indicit: neque enim Virgo humillima poteſt non abhorrere ab encomiis, quamlibet eximiis in ſe collatis, quæ nimiâ harum laudum prædicatione & maiori in viros grauiſſimos & ſanctiſſimos maledicentiâ corruperis. At qui ſunt hi Nodi, ſi ex affectu quem vbique prodis, illos metiamur, quam colligationes iniquitatis, quibus tuas laudes, cum aliorum conuitiis, & contumeliis ſic nectis, vt non minus propriæ auidus, quam alienæ gloriæ impatiens videare? At neſcio, quam demereri vis, Sanctiſſima Virgo, quid horum peius auerſetur, cum humilitati, quâ de ſe ſentit demiſſiſſimè, parem in alios charitatem habeat, & omnibus eorum bonis, ac præ cæteris famæ, vitâ etiam precioſiori, conſultum velit. Verum has virtutes Virgini acceptiſſimas, quibus illius gratiam inire poteras, quam eius clientes conueniebat, negligentius habuiſti, ne dicam te grauiſſimè læſiſſe.

Quid enim apud illam inuidioſius cogitari poteſt, quam illud de te encomium, quod libello, cui Titulus Trutina Mariana, tuâ operâ, tuiſque expenſis edito Bruxellis, ſubieciſti legenda his verbis *P. F Petrus de Alua & Aſtorga, in ſuo libro nouiſſimè edito, ſub Titulo: Nodus indiſſolubilis de conceptu mentis, & de conceptu ventris, de quo tot merebatur Elogia, quot litteras habet.* Tolerari vtcunque poterat hæc in humilitatem culpa per ſe maxima, niſi illam cumulaſſes grauiore in charitatem, nec minus in Diuum Thomam conuitiorum, quam in teipſum encomiorum prodigus fuiſſes.

Sepone, rogo, paululum, qui in te perſtrepunt, affectus, & te Sancto Doctori confer. Crediſne ſaluâ modeſtiâ, paria cum illo te facturum, eruditione, & meritis in Eccleſiam, & ſi velis etiam in Deiparam? Si id tibi perſuaſeris, quod vix puto; nimium tibi fidis; ſi aliquod inter te, & ipſum diſcrimen agnoſcas, quâ conſcientiâ edi curaſti, te tot Elogia meruiſſe, quot extant litteræ opere benè longo, exorſus illud ab horrendo in Diuum Thomam conuicio.

Quid enim ſignificat illa quam ludis fabula Sabæ nō-

mine filij Bochri Abelam profugi, incentoris turbulentissimi rebellionis in Dauid, & nomine Ioab ciuitatem obsidentis, & vnum Abelam deposcentis ad mortem, promissâ Abelæ, quo confugerat, veniâ, si à ciuibus in manus sibi traderetur. Quid istis ambagibus & figuris significatum voluisti, nisi te Reginæ cœlorum, vti Ioab Regis Dauid nomine, Diuum Thomam ad mortem insequi, quasi Sebam in Deiparam rebellem & sacrilegum, vt quas commeruisse putas, tibi pœnas det læsæ-Majestatis Deiparæ: & si hunc rebellem dedamus tibi summo Virginis exercitus Imperatori in manus, te ciuitati Abelæ & toti familiæ Dominicanæ parciturum?

Hæc in Diuum Thomam cœlo receptum, & Sanctorum albo relatum, scripsisse Aluam, & supplicia damnatis digna, à Beato sumenda, eò altius inclamare, quò fabulam legentibus interpretandam obuoluit alienis nominibus; quis non miretur & obstupescat? Excusarem hominis consilium, si Diuum Thomam suspicari posset criminis reum, quo illum grauat, quasi author esset dogmatis, cuius causâ adeo inuidiosam illi personam imponit, & sibi honorificentissimam assumit. Sed quid peccauit Diuus Thomas, quod communis Doctoris nomen sortitus, à receptâ suo sæculo opinione communi, præ modestiâ & humilitate, non sit ausus recedere, nec nouam inducere? Nondum enim illi contigerat legere Libros & Tractatus de hoc Argumento antiquorum Scriptorum, quos P. Alua eruit tot & tantos, vt si illi fides sit, numero facilè vincant, quas supra viginti operum voluminibus habet ipse, etiam litteras & litterarum apices.

Si attendisset Petrus hæc omnia Diuo Thomæ incomperta, nec alios illi notos aut lectos Scriptores Ecclesiasticos, quàm qui aliud sentirent, fortè hanc culpam condonasset, aut certè minus graues exegisset, quam inter Beatos ritu solemni accensitus, sibi pœnas sacrilegij daret, è cœlo in infernum deturbandus. Amarior sanè hic zelus est, quam vt Deiparæ approbari possit, mitiúsque putat cum illo agendum, quem, si quid peccauit, excusabat sui sæculi opinio communis, in quam nondum tot testes instaurauerat Petrus, vt posset resipis-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [176] - 116
PUBLIC DOMAIN

cere: & si hoc crimen nolis, aut non possis, Petre, condonare, cur aliis immeritum grauas?

Omissis pluribus, ita in Diuum excandescis, vt nihil dubites scribere primæ tuæ Nodorum editionis Fol. 238. & secundæ 236. *Multo duriore nos funiculo implicitos, non posse clamare, imo nec mussitando dicere, doctrinam D. Thomæ quoad 222. Art. reprobatam & condemnatam, & sub pœnâ Excommunicationis excluſam à Scholis*; Catalogi vero damnatarum ex Diuo Thoma propositionum primam ais Deum non esse Trinum & Vnum, & huius damnationis nullam supereſſe ais dubitationem ex instrumentis authenticis, quæ penès te habes: Vis ergo Diuum Thomam Vnitatem naturæ diuinæ, Trinitatem personarum cum impiis, & atheis subſtuliſſe. Forte vt Sancti Doctoris similium consortio miseriam vtcunque leuares, Diuum Petrum illi adiunxisti, erroris & damnationis socium: sic enim habes tuorum Nodorum secundæ editionis, fol. 16. *Capiendo doctrinam Diui Petri de omnibus ad fidem pertinentibus, constat aliquâ sui parte erroneam, merito ab Vniuersitate Parisiensi, fuisse damnatam.* Fateor maximo fore solatio Diuo Thomæ, sibi communem damnationem cum Petro, cui vult cognomen Petrus Alua falso promissam à Christo fidem perennem, & incorruptam, *Oraui pro te Petre*, &c. & illi imprudenter Ecclesiam astruxisse super hanc Petram, &c.

Æquo & læto animo ferret Diuus Thomas, se damnatum 222. erroribus, ab eodem Actore, qui in Apostolorum Principem, similem hæresis dicam inscripsit. Leuior etiam erit altera accusatio; ex eodem Petro p. 553. *Hic obiter nota, Opuscula Angelici Doctoris habere aliquos errores magni momenti, & grauissimis scatere Opusculum contra errores Græcorum.* Aliam accusationem nectit. *Istius*, inquit, fol. 685. *errata pauca & parua sunt, respectu illorum, quæ inueniuntur vitiata in catenâ aureâ, in quâ nulla est authoritas Sancti, vel non Sancti, quæ non vnum, vel duos, sed plures habeat errores.*

Famelico nullus etiam lapidosus insipidus est panis, turbida aqua sitibundo ambrosia est: ita Petro calumniarum in Diuum Thomam auidissimo, in deliciis sunt calumniæ crassissimæ, de rebus quæ nullam speciem, vel leuissimæ

culpæ habeant, quæ ſummam laudem mereantur, quas veluti grauiſſimos errores traducit: atque hoc nomine duo nobiliſſima opera contra Græcos, & catenam auream infamat. Huius vero criminationis occaſione, quaſi in Diuum Thomam beneuolus, vult ab illâ accuſatione leuare, erepto ſibi vtroque opuſculo. Videtur illorum paraſitarum induſtriam imitari, qui inter conuiuandum, fercula delicatiora ſputis conſpurcabant, vt conuiuas ab illis contingendis deterrerent, & ſoli helluarent. Ita coniectis in catenam auream ſordibus, quadam commiſerationis ſpecie ſuo Authori eripit, ne eius famæ noceat, nec tamen dubitat ſic fœdatum vni è ſuis vindicare; nam Folio 45. ſecundæ Editionis, aſſerit tranſcriptam à catena magna F. Pontij Carbonneli Magiſtri ac Præceptoris Sancti Ludouici Regis Francorum, & ex Seraphicâ Familia: idque duobus Libris, quorum vnum; *Certum quid*, alterum, *iudicium Salomonis* inſcripſit, ait efficaciſſimè probatum.

An non liceat hic cum Ambroſio exclamare? *Quanta in vno facinore ſunt crimina?* Charitatem in D. Thomam ſimulat, vt calumniã tegat, & calumniæ legitimi ac nobiliſſimi operis furtũ & plagium adiungat. Vel à Carbonello tuo vis prodiiſſe opus à D. Thoma tranſcriptum, quale ſummâ humanitate illi abrogas corruptum, vt eius conſulas honori? Si ita ſentias, ergo ſordes à D. Thoma abſtergis, vt iudicio Salomonis in Franciſcanum regeras: vel ab iſto vis integram doctrinæ, ſceleriſque putam emanaſſe catenam, & à Diuo Thoma vitiatam? Si id contendas, dum videris Diuum Thomam excuſare ex fictâ charitate, tecum pugnas, & duplicis criminis, alieni operis corrupti, & ſuo Authori legitimo ſublati peragis reum. Quid potuit flagitioſius moliri etiam ſceleſtus in Sanctum, quam quod ſpecie charitatis Diuo impingis? Si iiſdem corruptelis vitiatum & editum cenſeas à Carbonello, quas in Diuo Thoma vis excuſare, tuo *iudicio Salomonis*, & libello *Certum quid*, Fratris accuſatorem agis, non eius gloriæ vindicem. Quis iſta capiat? Cur à te ipſo diſſentis? Vt tuas technas paucis aperiam, & diſſoluam, triplicis in Diuum Thomam criminis fictæ charitatis, veræ calumniæ, & furti conuiceris. Sed de hoc forte ſtatim plura.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [178] - 118
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Vindicatur Diuus Thomas à calumniâ erroris contra Aluam, & falsi contra Ioannem Launoium.

INfortunii genus reputo, impositam mihi contra hos duos sæculi nostri Aristarchos congrediendi necessitatem, quam eluctari non licuit; cum Alua grauissimorum errorum, Launoius falsi ex inscitiâ, aut malâ Fide nostræ Familiæ summum decus & quintum Ecclesiæ Doctorem, Diuum Thomam traducant. Quamuis multis conueniant maxime illâ indole impatiente quietis, quâ nec se, nec alios frui sinant, & natiuâ prurigine sugillandi, quæ ex aliis à proprio sensu & affectu dissentiant, receptas opiniones futilibus Argumentis lacessendi, obloquendi de viris illustribus; nolim tamen Aluam, ingenio, eruditione, & stilo, aut etiam candore Launoio exæquare: vel hunc iisdem, aut pari gradu malis laborare, quibus ex geniali culpâ indicaui, & fusiùs persecuturus sum, Aluam obnoxium esse.

Nam cum sit antiquitatis longe callentior & forte naturâ ac studio ad morum ingenuitatem magis cõparatus, non eò audaciæ prouectus est, quod sibi singulare assumpsit Alua, vt euidenter falsa quæque asserat, aut aperte vera neget nullo verisimili argumento. Sed quisquis hominem priuatim, seu publicis scriptis intimius nouerit, etiam ex amicissimis, non abnuet meum de illo iudicium, aut verius votum. Optandum plane, ne mores ingenuos corrupisset nimio suarum cogitationum amore, & alios iure, vel iniuriâ carpendi, in naturam inductâ consuetudine. Vnde ad minus, vt cætera omittam, illud incommodi accidit, vt magnum potius, quam bonum nomen videatur ambire, & doctiores viros voluisse inumbrare, neque, vt conueniebat sapienti Theologo, satis cordi fuerit effatum illud medicorum, *malum bene positum ne moueto.*

Plura enim ab heroicis Temporibus communi piorum opinione recepta, quæ nihil Fidei aduersa, pietati

etiam opportuna, ausus est, longe debilioribus, quam niterentur Argumentis lacessere; nullo alio operæ pretio, quam ex summâ morositate comparati sibi nominis, & iustis possessoribus, saltem ex probabili opinione iuris plerumque inique erepti. Moderatissime de scriptis contra Diuum Thomam Epistolis in Authoris gratiam pronuntiauerim, si illius generis scriptionibus accenseam, à quibus nisi nimium sua adamaret, aut penes se esset scripturiendi Cachoetem cohibere, præstitisset supersedere, aut inter amicos pati vt tantum legerentur: quia magis promptum & iustius erat, Diuum Thomam ob tanti nominis, & maximorum in Ecclesiam meritorum reuerentiam defendere, quam illi quidquam impingere, præter maximi Theologi officium, aut Theologorum Principis dignitatem fuisse admissum. Nam si veris agere liceat, nec causa malignè inuertatur; aliud nihil potuit illi vitio imputari, quam quod Vrbano IV. iusta, id est, examen aliquot ex Patribus Græcis testimoniorum, præcipienti, sinceriſſime paruerit, semouerit ab illis locis, quæ aliquam erroris, aut vocis insolentis auribus Romanis speciem præferrent; nec quasi falsa proscripserit, quæ falsi conuincere non poterat, nec aliquâ similitudine veri carebant: sed suâ passus sit probabilitate frui, neque in maius à se aucta partium studio, nec nimiâ morositate (qualem vbique affectat Aduersarius) imminutâ.

Sic enim præfatur Sanctus Doctor *libellum ab excellentiâ vestrâ, mihi exhibitum, Sanctißime Pater Vrbane Papa, diligenter perlegi, in quo inueni quamplurima ad nostræ Fidei assertionem vtilia & expressa.* Et addit: *cum eius libelli fructus inde impediri posset, quod authoritatibus Patrum contenta quædam dubia viderentur contentionis dare occasionem, & calumniæ ideo; vt remotâ omni ambiguitate ex authoritatibus prædicto libro contentis, fructus purißimus capiatur, proposui quæ dubia esse videntur exponere, & postmodum ostendere, quomodo ex eis veritas Catholicæ Fidei doceatur, & defendatur.* Sed his dubiis & scandalis non annumerabat Sanctus Doctor Petri Primatum in totam Ecclesiam, ne exceptis quidem Apostolis, quos cum Bernardo Christi quibus Petro creditis accensebat, quasi Pastori ordina-

rio. *Vt capite constituto*, ex mente Hieronymi, *Schismatis tolleretur occasio.* His etiam erroribus non reponebat, seruatum Petri primatum à Pontificibus Romanis perpetuâ successione, quasi ordinariæ potestatis, cum Apostolorum cæteri, nullam in se mutuò, & delegatam tantum in totum orbem hâc amplitudine in ipsis desinendam, nullo successore eo ambitu excipiendam, de quo statim plura.

Fateor dissimiliorem Launoio Diuum Thomam, quam vt conuenire possent instituto scribendi aut sentiendi genere: Nec dubito quin illi religioni fuisset, aut maximo sibi dedecori vertisset, quæ ad maximam sui nominis gloriam refert Launoïus, euulgasse. Permisissetne haut dubie, Gallos receptâ à Diuo Dionysio, tanquam Galliarum Apostolo, Fide frui, & gloriari. Non fraudasset Phocenses Diuæ Magdalenæ, eiusque familiæ appulsus ad suos portus,& apud se aliquot annis vitæ sanctissimæ transactæ, monumentis,in suæ gentis decus sempiternum. Non credo deturbaturum vnquam Carmelitas Patres conceptæ suæ originis ex Elia & Eliseo repetitæ, vel Scapularis Simoni Stoch à Deiparâ pro magno munere concessi piâ opinione: nec Monasteriorum piura à iuribus longâ nedum annorum, sed etiam sæculorum serie confirmatis depulsurum: quia habebat meliora scribenda, & subodoratus etiam, vt erat emunctæ naris, aliquid incerti, aut minus verisimilis, ex medicorum præcepto, malum bene positum noluisset primus mouere: atque ista longâ traditione rata & firma, quæ nihil obsunt fidei, prosunt etiam pietati, in disputationem reuocare, credidisset pertinere ad illius generis quæstiones ab Apostolo damnatas, quæ lites generant, non ædificationem.

Sed esto, aliquid horum sibi permisisset, quod nunquam concesserim; illud apud me omni certo certius est, dubia & in vtramque partem controuersa, quæ facilem habent interpretationem, in deteriorem partem assumpturum nunquam, multo minus suspecta alicuius falsi, quasi exertè falsa damnaturum, quandiu maioris, aut paris, vel si velis minoris probabilitatis contra, argumenta militarent. Nam si quando cuiusquam falsi, aut suspecti apud illum causa versaretur, Iudicibus in causa

capitis constitutam legem, sibi indictam ratus seruabat, ne quemquam publicis scriptis quâlibet Forensi sententiâ grauioribus, damnaret argumentis negatiuis, aut positiue probabilibus nec conuictum, nec confessum.

Vtinam Launoïus eâ cum aliis, & cum Diuo Thoma humanitate, & lege egisset, quam Diuus Thomas, nedum, in ipsum, seruasset, sed in Philosophos, vt Atheos disputanti sibi præscripsit. At quam longe abfuit ab illâ æquitate, cum Diuum Thomam quasi ex insciti â linguæ Græcæ, aut dogmatum Fidei, aut de industriâ, quæ ignoraret, scribentem, reum peragendum suscepit, Epistolis ad amicos scriptis, quas iuris publici fecit. Explicari plane oportebat, quæ fuisset huius Opusculi contra Græcorum errores occasio, quis scopus, & finis; quid illo præstandum sumpsisset. Neque ad hæc opus erat longâ indagine, cum Opusculi Prologus & Epilogus exerte ista doceret. Sed hæc omnia tacenda censuit, quibus enarratis, nullus accusationi, sed summæ laudi locus erat futurus. At Launoïo aliter visum, quia nolebat sibi perire ocasionem Diuo Thomæ, & Summis Pontificibus genuinum infigendi. Hanc vero captatam inique reprehensionem Diui Thomæ, in caput Authoris recidere, duplici demonstrabo argumento: primum ipsius sancti Doctoris instituto, deinde, Epistolarum Launoij breui & validâ confutatione.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Refelluntur Aluæ & Launoij accusationes, ex ipso Opusculi contra Græcos instituto.

LIcet dissentiant plurimum Alua & Launoïus, in eandem tamen conspirant sugillationem Opusculi contra Græcorum errores, & videtur Launoïus secutus Aluam suorum Nodorum Fol. 684. dum ait: *Dogmaticum opus pertinere ad Fidei integritatem, & ita deuiare Diuum Thomam à veritate his authoritatibus, vt omnes generatim sint vitiatæ, & aliquæ omnino suppositiæ, quia non extant quibus citantur locis, & vt plurimum*

discrepant in essentialibus ab originalibus. Quæ omnia vitio vertunt Diuo Thomæ, quasi negligentiâ, aut malâ fide peccauerit. Ita vterque, quos vix possis attentata in Diuum Thomam accusatione, malæ Fidei vitio liberare. Id aliquot obseruationibus in Opusculum euincam.

Quod Iansenii deffensores post primam Innocentii X. constitutionem causabantur, propositiones Pontificio examine discussas, & iudicio damnatas, nullo Authoris à quo circunferebantur depromptæ respectu, sed fidem rei penes Episcopos Galliæ, esse, qui ad Sedem Apostolicam retulerant, iudicandas; quodque alterâ Alexandri VII. constitutio præsidium abstulit, in Authorem, perinde ac in assertiones inquisitum pronuncians; illud ipsum pleno iure sibi vindicat, nullâ vitilitigatione Launoii eripiendum Diuus Thomas: nempe subiecta à Summo Pontifice Vrbano IV. ex Patribus Græcis varia testimonia, diligenter examinanda, vt referret quid veri, quid falsi haberent, aut virium confirmandæ Fidei Catholicæ, aduersus schisma Græcorum, attento magis ex contextu verborum, quem sensum haberent, quam quo ipsa Authores protulissent. Huic Pontificio imperio, vt iam relatis verbis luculenter testatus est, velim demonstret Launoius, quid Diuus Thomas Pontifici obsecutus peccauerit, contra legitimi Theologi officium: siue ex inscitiâ, siue malâ Fide, aut negligentiâ culpam natam esse velit.

Dices à me gratis confictum illud genus præcepti, quo Diuo Thomæ iniungitur, inquireret, quem sensum facerent testimonia, non quo protulissent authores; neque reuera imperatam diligentiorem inquisitionem; an ita Patres Græci haberent. Sed hanc vitilitigationem dispellunt prima Opusculi verba, quibus sanctus Doctor præfatur libellum Pontificis nomine exhibitum, quo hæc testimonia continerentur: perlata vero ad se horum Patrum volumina, vt legeret, & euolueret per aliquot menses, aut annos, illorum menti rimandæ, nusquam factum. Audio libellum missum, non Patrum Græcorum iiunctam lecturam.

At, inquies, hoc nomine, quo illum excusatum volo, damnari negligentiæ & temeritatis, quod inconsultis

Patrum locis pronunciauerit contra illorum mentem. Qui hanc accusationem vrgent, non attendunt se pugnantia obiicere Diuo Thomæ, hinc imperitum faciunt linguæ Græcæ, inde huius inscitiæ pœnas dare volunt, quod libros tantum Græcè loquentes non consuluerit: Mira est horum Aristarchorum sapientia: vt alicuius culpæ incusent sanctum Doctorem; tria capita illis probanda sunt, non libelli tantum à Pontifice missi, sed Græcorum voluminum examen iniunctum, vt Pontificem moneret, quo sensu essent interpretanda. Secundò si hanc diligentiam à Pontifice remissam adhibere voluisset sanctus Doctor, habuisse in promptu exemplaria Latinè versa: nam si Græcæ Linguæ ignarum velis, satis est hoc illi vitio vertere, & summæ fuerit iniquitatis, eam accusationem nouâ cumulare, quòd ignotâ linguâ libros non legerit: quamuis verius putem, volumina vnde deprompta erant huiusmodi testimonia, plura, vel periisse, vel in Occidente fuisse desiderata.

Scio nonnullos è nostris ægre ferre, obiectam Diuo Thomæ Græcæ Linguæ imperitiam, & contra hanc accusationem audio longam & eruditam Apologiam parasse, à quâ abstinui, ratus me tantæ rei imparem esse. Duo tantum dicam Sixtum Senensem à Diuo Thoma hanc inscitiam non deprecari, eamque Diuum Augustinum de se vltro fateri; quæ sane si vituperanda sit, tanti viri consortio, excusabitur; maxime cum ab Augustino hoc Thomas differat, quod illius sæculo omnes fere, Diui Thomæ vero ætate, vix vlli Græce scirent, vt si inde aliquod velint in Diuum Thomam dedecus deriuare, maius sit in Diuum Augustinum redundaturum, quod aliquo suo, Diuus Thomas vero tantum sui temporis vitio Græcè nesciuerit, & gratissimum erit hâc leui notâ grauiorem redimere & delere, quasi alicuius falsi aut plagij hac testimoniorum relatione suspectus fuerit.

Iis præsidiis Diuum Thomam muniuimus, vt illum quisquis lacessere non desierit, canis latrator, non demorsor sit futurus: Vnum superioribus addam, quo expeditior sit nostræ disputationis progressus; triplex testimoniorum genus distingui oportere, quædam certa, alia falsa & commentitia, postremi ordinis & medij,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [184] - 124
PUBLIC DOMAIN

dubia & probabilia. Launoïus, quæ Diuus Thomas ex Cyrillo, aliisque Patribus Græcis refert, ad secundam classem apertè falsorum reuocat: nos probabilibus & dubiis accensemus. Hoc vnum suscipio propugnandum contra Launoii Epistolas tres, quas breui refellam.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Confutatio primæ Epistolæ ad Antonium Faurum.

HOc habet incommodi nostra cum Alua, & Launoio disputatio, vt non liceat contingere, quid iuris habeat lis, quam quisque illorum prosequitur. Sed id tantum mihi permisi, vt quibus Alua imposturis Diuum Thomam falsi & plagii reum peragit, calumnias valide & modeste depellam. Non puto etiam mihi fraudi fore, si de primatu Petri, & Ecclesiæ Romanæ magis cum Bernardo, Perronio, Coeffetæo tribus immortalibus ornamentis Ecclesiæ Gallicanæ, & cum Græcis in Concilio Florentino Schisma eiurantibus, quam cum iisdem post Synodum in schisma delapsis, quam cum Marco Anthonio de Dominis, cum Philippo Mornæo, & Blondello, quos vbique sequitur Aduersarius, assentiar. Quæcunque enim habet argumenta, ex his Ecclesiæ Romanæ hostibus deprompsit: nos contra aduersus illius, & sociorum impetus præsidia ex nominatis viris clarissimis extruemus.

Launoius igitur, quæ ex Cyrillo pro primatu Petri, eiusque successorum refert testimonia Diuus Thomas, non solum incerta, quod vltro concedimus, aut suspecta, sed omnino comperta falsi probat: primo quod nullibi extent apud Cyrillum, opere, quod citatur titulo Thesauri: Ergo commentitia sunt. Confirmat Argumentum exemplo Diui Thomæ, qui subodoratus falsitatem ab illis citandis abstinuit 4. locis ex Summâ Theologiæ, cum plurimùm ad causam conferrent, & vno ex illis vsus est Iunior Commentariis in 4. Sentent. dist. 24. Adde omnino suppositititium esse, quod refertur ex Chrysostomo ad consulta Bulgarorum, quos cer-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [185] - 125
PUBLIC DOMAIN

tum est, fidem suscepisse 438. annis à morte Chrysosto-
mi. His argumentationibus, aut potius Sophismatis infinita congerit, quibus putat falsitatis conuinci ea testimonia, quod toti antiquitati repugnent, quæ secus sentiat, quam quod Diuus Thomas Ciryllum loquentem inducat. Fateor priore illius argumentationis parte eleuari hæc testimonia, & ad probabilium classem pertinere: inter falsa autem reponenda, quod vnum contendit Launoïus, pernego, & meis responsionibus euincam.

Primo quod ab illis citandis abstinuerit Diuus Thomas in Summâ, & semel, aut bis aliis Opusculis vsus fuerit: argumento est, non habuisse omnino comperta, quod vltro damus; & nisi Aduersarium innatus viros illustres carpendi mos, à recto deduxisset, Diui Thomæ sine dubio laudasset prudentiam; quod iis testimoniis vsus aliis operibus minus accuratis, à Summa semouerit, vbi è multis, quæ dici possunt ad rem, meliora seligit & validiora. Cæterum vt falsi conuincat testimonia, probandum est illi ex opere Cyrilli inscripto Thesaurus, nullam desiderari partem, quod hactenus nequidem tentauit, nec illi contigisse, quod commentariis in Ioannem eiusdem Cyrilli (ne longius exempla conquiram) quæ quatuordecim libris continebantur, & supersunt octo: nam reliquos Clictoueus ausus est supplere. Quis nisi temerè, certum asserat nihil ex Thesauro amissum, cum de illius operis partibus sit maxima dissentio? quidam vnum tantum conficiunt librum in 35. assertiones partitum; alij in quatuordecim diuidunt, alij duos tantum numerant, & hoc verisimilius puto: quorum primus, qui supereſt, 35. assertiones habet: alter, vnde deprompta puto testimonia, eundem passus est casum, cum quatuor libris in Ioannem, qui desiderantur.

Scio Launoium vix ista concocturum, quod ægre ferat sibi de Diuo Thoma, & de Sede Apostolicâ detrahendi ereptam occasionem: sed is est mos illi perpetuus, leuissimis coniecturis pondus demonstrationum asserere, vt certa & sancta conuellat. Sed, inquit, non potuerunt nisi per summam ineptiam Chrysostomo tribui consulta ad Bulgaros 438 annis post obitum Chryso-

ſtomi Chriſtianos. Si quod Aduerſarius adhibet ingenij acumen in pungendis, & lacerandis viris ſapientiſſimis, perinde at defendendos admoueret ; commoda occurriſſet hæc excuſatio : Theophylactum , & Euthymium Græcorum ſcriptorum , vti Boëtium & Symmachum hominum Romanorum, vltimos , fuiſſe Chryſoſtomi ſtudioſiſſimos , & interdum illius breuiatores potius, quam Authores agere ſolitos : & cum Theophylactus fuerit Bulgarorum Archiepiſcopus , credibile eſt eo , quod à Diuo Thoma citatur , opere Chryſoſtomum induxiſſe loquentem , & teſtimoniorum collectorem potius in Chryſoſtomum , quaſi Authorem , quam in breuiatorem Theophylactum retuliſſe.

Si æquo ſimus in viros bene meritos animo , auidiſſimè ab omnibus excipietur hæc defenſio : ſed vix credo ad guſtum fore Launoij , in ſiniſtras cogitationes pronioris ; & licet æquior ſit defenſionis , quam accuſationis conditio, & in illam charitas iubeat propendere ; paterer tamen , & boni etiam conſulerem omnes Launoij in viros eruditos cenſuras acerbiores , ſi vel minimum ad huius noſtræ defenſiois probabilitatem accederent.

Hoc primo argumento, quod decem paginis prioris Epiſtolæ proſequitur , & initio alterius inſtaurat , expedito , quo totius cauſę Aduerſarij robur continebatur , obuia & facilis eſt ſolutio cęterorum: id commune omnia habent vitium , vt ſchiſma Græcorum magis , quam cum Eccleſiâ Romanâ pacem initam Anthonij de Dominis , Mornæi & Blondelli reſipiant officinam ; neque enim alia habet , quam quæ inde depromit argumenta, cuius generis eſt ſecundum , quod lego primæ Epiſtolæ p. 11. in Synodo Florentinâ Seſſione 11 *Fuit* , inquit, *qui palam dixerit, de primatu Petri , ſe habere multas ſententias: ſed longè ante omnes Cyrilli in Theſauris ; verum, inquit homo iſte Seſſ. 25 obmutuit cum loqui debuiſſet etiam ſtentore clamoſior.* Hinc concludit , quæ geſta ſunt in Florentinâ Synodo euincere validiſſimè teſtimonia illa ſuppoſititia eſſe.

Ita ſanè apud Aduerſarium , qui argumentis negatiuis , aut veriùs ſophiſmatis , & fraude ſic agit vt præcipua cauſæ , quam infectatur , præſidia taceat , & omnia velit eo contineri, quod ſe facile euerſurum putat, his ma-

lis artibus legitimo Theologo prorsus indignis: Ecclesiæ Romanæ primatum contra Græcos comminiscitur solo Cyrilli testimonio ex Diuo Thoma repetito munitum, & idemtidem quæritat, cur non fuerit aduocatus Cyrillus, & Thesaurus ille apertus. Sed hæc verba sunt otiosi hominis, aut sophistæ, non serio agentis. Aduersus Græcos suppetebant meliora iis testimoniis, quæ inter probabilia, non certa reposuimus: & cum Græcis certatum esse, quam credat, aut forte vellet pro primatu Ecclesiæ Romanæ feliciùs, demonstrat ab Imperatore Græco, & Episcopis, qui aderant summo consensu Pontifici Romano, vt totius Ecclesiæ aspectabili capiti præstita obedientia & fides, felix futura, nisi heu! nimium Græca fuisset: timeo ne Aduersarij sit melior, aut feliciorem exitum consecutura.

Tertium ex Cyrilli centonibus instaurat argumentum, quo primatum Petri in Apostolos, & iubinde Summi Pontificis in Episcopos euersum clamat: quia nihil concedit Petro, quod aliis Apostolis neget. Vnde post relata per quatuor paginas hæc testimonia, concludit, *quot sunt in singulis locis commata, tot argumenta, quibus relata apud Thomam, Cyrilli testimonia, Cyrillo penitus abiudicantur, & illorum vindicationi fort erinterceditur.* Adiungit aliqua ex Petri successoribus, qui sublatâ omni prærogatiuâ, æqualitatem inducunt, & agnoscunt cum aliis Episcopis. Omitto hæc protrita esse ex Mornæi, Blondelli promptuariis precario emendicata, millies à citatis Authoribus profligata, & ne verbum quidem eorum solutionibus reponi. Ad id argumentum duo Respondeo: primum ex Cyrillo apertiora suppetere, quibus testimonia Diui Thomæ roborentur, iis quæ excerpsit, vt illa eleuet.

Non dubito, quin Launoius cum Blondello, & Mornæo, totis viribus intercessurus sit receptæ inter Catholicos sententiæ, Cyrillum in concilio Ephesino Celestini legatum, eius vice Concilio moderatum fuisse, vt probat Coëffeteau lib. 3. contra Spalatensem ex Euagrio libro 1. ca p. 6. cuius *Celestini locum*, ait, *obtinuisse*, & ex Liberato cap. 5. testante *Celestinum dedisse vicem suam Cyrillo per Epistolam*, quæ ita habet: *Quamobrem nostra Sedis authoritate ascitâ, nostrâque vice, & loco, cum po-*

testate

testate vsus eiusmodi non absque exquisitâ seueritate sententiam exequeris. Hinc Prosper in Chronico ait, *Nestorio præcipue restitisse Cyrilli industriam, & Celestini authoritatem*; ex quâ Cyrillus Epist 26. ad Nestorium ait, *nonnisi ex præscripto Celestini Nestorium damnasse, & sacris eis interdixisse.* Hæc euidentius Romanæ Sedis primatum ipsa Cyrilli sententia, quam centones ex illo à Launoio consuti æqualitatem probant.

At, inquies, contra stant Chrysostomus, & ipsemet Celestinus, Siricius Papa ad Episcopos Illyrici, Pius I. post Petrum decimus Pontifex, qui Marcionem à Patre Episcopo ob constupratam Virginem, Ecclesiâ pulsum, abnuit restituere, *quia contra spectatissimum Collegam Patrem tuum nihil moliri possumus.* Ad hæc Respondeo: quidquid sit de aliis Apostolicæ Sedis iuribus, de quibus nolo hîc disputare; certissima esse duo superiori Paragrapho paucis perstricta, fusius Sect. 1. explicata, de bicipiti capite Ecclesiæ Romanæ; vnicum plane esse ex Petri potestate ordinariâ in totam Ecclesiam, ne exceptis quidem Apostolis, cuius successio indissolubili vinculo, morte à Petro obitâ Romæ, huic Ecclesiæ connexa sit, vt luculentissimè Bernardus differit de Consideratione libro 2. cap. 8. cuius verba omnes Launoij technas, & machinas infringunt, sic enim Eugenium alloquitur. *Qui es tu? Sacerdos magnus, Summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, potestate Petrus, vnctione Christus: tu es cui claues tradita, cui oues credita sunt:* (& quasi præsagâ mente Launoij effugia occupaturus) *Sunt quidem,* inquit, *& alij cæli ianitores, & gregum pastores, sed tu tanto glorioſius, quanto & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi adsignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus.* Hinc progreditur ad potestatem Petri in Apostolos. *Nec modo,* inquit, *omnium, sed & Pastorem tu vnus omnium Pastor, vnde id probem quæris? ex verbo,* inquit Bernardus, *Domini: cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè, & indiscretè commissa sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas quas? Illius, vel istius populi ciuitatis, aut certi regni? Oues meas,* inquit, *cui non planum, non designasse alis-*

quas, sed adsignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.

Hæc non argumenta sunt, sed fulmina, quæ Launoij effringant præsidia: Posset forte Bernardus alicuius adulationis suspectus haberi, nisi præter eximiam sanctitatem, quæ id genus vitij ferre non potest, hanc calumniam liberrimis admonitionibus non fuisset amolitus. Nihil ergo apud Bernardum certius illâ primatus Petri duplici dote potestatis ordinariæ, & amplitudinis in omnes, nul â Christi oue exceptâ.

Sed antequàm ad alia progrediar, non possum audacem, & iniquam Aduersarij in Diuum Thomam censuram præterire. Primo è quatuor locis ab illo notatis, quibus sanctus Doctor abstinuerat à testimoniis Cyrilli, non quasi falsis, vt putat censor, sed quasi minus certis; quæstione 1. art 10. ex 2.2. ad Summum Pontificem pertinere ordinationem symboli inde probat, quod illius editio facta sit in Synodo generali, cuius congregandæ ius sit penès Summum Pontificem. Hanc argumentationem Launoius his verbis carpit, *contradicentem inuolues, si Thomæ rationes ad Dialecticorum regulas exigantur.* Ego contra repono, maledicentem Diuo Thomæ, & Summis Pontificibus Launoium euinces, si eius censura ad certas Theologiæ regulas exigatur. Putat enim ex præiudicatis opinionibus, quæ omnino Mornæo, Blondello consentiant, & à Bernardo, Perronio, aliisque Ecclesiæ Gallicanæ Oraculis abhorreant, solam Summo Pontifici iure diuino Diuum Thomam authoritatem concedere, euocandi Concilium, non conficiendi symbolum: quod cum sit ab eius mente, & à vero, atque vsu, & traditione Ecclesiæ alieniſſimum, vt multis demonstrant Perronius, & Coëffeteau, nullam Diuo Thomæ contradicentiæ, sed sibi indelebilem morosi & importuni notam inurit.

Quid vero ad ista reponit Launoius? Meras nugas, & ineptias. Pag. 16. contra Bernardum obnititur, nihil commendatione ouium, Petro supra cæteros Apostolos concessum; quia ex Chrysostomo hæc verba vni Petro dicta, ad sacerdotum singulos diriguntur. Quis non miretur ista obiici quasi inuicta argumenta tollendæ Petri supra Apostolos potestati; quæ si obtineant, sacerdotum

minimus Episcopos exæquabit, cum illis sicuti Petro ouium curam indictam esse velit, sed an pari iure, & æquâ potestate?

Quid mirum si Patres Græcos contendat infensos fuisse Petri, & successorum potestati, cum euersam asserat ab iis, quibus maximè cordi esse oportebat, Pontificibus Romanis Siricio, Pio primo, Leone &c. Sed quid ista ad rem? Non quærimus an Petrus, eiusque successor sit solus, & vnus: Sed an summus, & primus Ecclesiæ pastor: relata testimonia illud prius damnant, aliud vel non attingunt, nec opus est primatum vrgeri, cùm de communi Pastorum officio aliquid sancitur.

Mirari subit hominis fiduciam; profert Syricij Papæ Epistolam, aliàs Ambrosij nomine editam, sed à Cardinali Francisco Barbarino suo Authori restitutam, & Alexandro VII. nuncupatam, *in quâ quot periodi, quot versus, tot*, ait, *fulmina*, quibus suppositæ Cyrillo authoritates, id est, primatus Petri euertatur. Bone Deus! ita ne desipuit sapientissimus, ac religiosissimus Cardinalis, vt Alexandro VII. Epistolam sui decessoris dedicarit, quæ se deiiciat, tanquam fulmen à Sede, in quam se Dei prouidentiâ supra cæteros Episcopos promotum, certâ fide reputabat? Quam bene huius Epistolæ nuncupatione Summum Pontificem demeruit? Quis illud sacrilegij, aut insaniæ genus in tantum virum cadere crediderit? Recidat ergo, necesse est, in eum qui ista scripsit, hoc solum nomine, quod Pontifex nolit sibi licere rem à Synodo maturè discussam, & iudicatam pro suo arbitrio, nullo æquitatis respectu, ex plenitudine potestatis, non iustitiæ rescindere.

Eodem spectat repulsa Marcionis, quem inconsulto Patre, à quo fuerat loco motus, absoluere negat verè Pius Pontifex sibi licere: non quasi ius defuerit appellantem iudicandi, sed quod id honoris censuerit habendum Patri, & iudici, ne sententiam æquissimam rescinderet, quasi Paternâ charitate abdicatâ, filium durius castigasset, quam Ecclesiæ leges paterentur. Dum antiquitatis monumenta euoluit Launoius, vt Pontificum detrahat potestati, ex hoc inexhausto promptuario profert, quæ illæsâ authoritate, eorum sapientiam commendent. Quid enim æquius, aut prudentius,

quam noluisse Patrem crudelitatis accusare in filium? quasi eâ personâ abdicatâ, iudicem præter fas egisset? Quare immortali prorsus laude digna est Pij modestia, & cautela, ne filium à Patre damnatum absolueret, cum non posset dubitare veniæ prorsus indignum scelus tantæ atrocitatis, vt æquissimum patrem potuerit in filium exasperare. Excute Launoi antiquitatem: plurimum tuæ diligentiæ debebimus, si his similia æquitatis Pontificiæ exempla deprompseris, & dum Apostolicæ Sedis ruinam moliris, præter tuam mentem immota eius perennitatis fundamenta ponis: docebis nos, quæ ignorabamus, Pontificum æquitatem potestati moderatam, & licet summam, multis partibus superasse: id est, potuisse multa, nihil nisi quod iustum sit, sibi permisisse; & Patris authoritatem contra filiorum expostulationes tutatos fuisse. Sed hæc longius, quam disputatio patiatur.

Pagina 25. homo otiosissimus quærit, quo tempore fuerint cusa hæc ex Cyrillo testimonia, *& quis eorum*, vt loquitur, *fuerit suppostor & malleator*. Ad nouas calumnias cudendas, opus est nouorum verborum opifice, & subinde in aliquot eiusmodi testimoniorum verba, criticum agit, vt à Græcis Patribus aliena, nuper Diui Thomæ tempore, fabricata probet. De re incertâ, quæ coniecturas frustra exerceat, vitilitigatoris est longius disceptare. Duo dicam: primum hæc testimonia videri elegantioribus verbis expressa, quam ferret tempus, quo scripsit Diuus Thomas, nec omnino abhorrere à sæculo magis culto. A me non dissentiet, quisquis ea expenderit acuratiùs, si Criterio valeat, nec affectu partium laboret.

Deinde in censore prudentiam, & æquitatem desidero, quod Verba latina rigidius ad Græca exigat, quam adeo diuersorum idiomatum ratio ferat. Sed ille ex pumice prius aquam extundet, & quidlibet ex quolibet eliciet, ne taceat, quod sibi inconcessum sentit, & exclamet illud sibi in ore frequentissimum, vtinam perinde cordi insitum, *amicus quidem Plato, sed veritas amicior*; quasi aliis ignota, ipsi soli se conspicuam præberet. Probarem hominis consilium, nisi ex aliis probabilia quasi apertè falsa damnaret, sua vero, ne quidem verisimilia iuberet

pro compertis haberi. Quis istud imperium, Pontificio, quod vult labefactatum, maius & grauius ferat? Nemo sanè ad libertatem natus, & veritatem, cui vni falso gloriatur se studere & litare.

Huc euocat Ioannis à Montesono longissimas cum Facultate Parisiensi contentiones, de quibus plura, maxime Gersonis lamentationes infra referam, sed parum sincere dicam, Ioannis à Montesono ad Sedem Apostolicam prætextam scribit solis ex Cyrillo testimoniis, quasi cætera iura deficerent, appellationem. Aduersario vsitatissimum est sophismatis agere, nullis legitimis argumentationibus: & cum fallaciarum loca in numerato habeat, omnium familiarissimus & perpetuus est illi, quod vocant, à non causâ, quasi perpetuâ & vnicâ rei, de quâ agitur, causâ. Sic hoc loco argumentatur, à lite Ioannis Montesoni, quasi ad Summum Pontificem appellandi incertis Cyrilli testimoniis potiora non haberet exempla Athanasij ad Iulium, & Chrysostomi ad Innocentium, ab Orientalium Episcoporum iudiciis confugientium. Antiquis exemplis recentissimum, & nuperum adiungere licet totius cleri Galliæ, Facultatis Parisiensis hinc, & inde Ianseníj deffensorum, qui vno consensu Innocentij X. iudicio quinque famosas propositiones subiecerunt.

Dicet Launoius, hos omnes deceptos relatis ex Cyrillo testimoniis, quo vno nomine has appellationes sibi sedes Apostolicâ vindicarit. Ne causæ inuidiosissimæ, & æterno silentio sepeliendæ Ioann. Montesoni memoriam refricem; sat fuerit dixisse, omnium fidei & religionis grauiorum negotiorum iudicium ad Sedem Apostolicam reuocari posse, & aliquando debere, duo Ecclesiæ Gallicanæ lumina Perronius ad Regem Angliæ, Coëffeteau contra Mornæum & Spalatensem, apertius longâ Ecclesiæ traditione, & validius probasse, quam Launoij cauillis ius illud vel minimum lacessiri possit. Tolle inuidiosa nomina solius & vnici iudicis, & tum facessent hæreticorum, quas congeris, criminationes. Non dubito, si Launoius vixisset eâ tempestate, quin minus votum pacis Gersonis, quam Alliacensis contentiones esset probaturus. Intempestiua plane est, quam ex Lyrano, & ex Ochamo refert Ioannis XXII. vt priuati

Doctoris singularem opinionem, acrius à Dominicanis, quàm à Franciscanis impugnatam; quia illi procul, illi cominus interceſſerunt, nihil illius faciem reueriti, veritatis causâ.

Plurium eſt, maxime ſuo ſenſui pertinacius adhærentium morbus, à quo optarem Launoium remotiorem, vt icterio laborantium more, oculis & cogitationi perpetuo illis obuertantur, quæ animum res occupauere: & cum teſtimonia ex Cyrillo relata inſectanda, & falſi conuincenda ſuſceperit, nec dubiorum loco hactenus potuerit ſemouere; omnes eò refert diſcordias, aliunde fine dubio natas, vt ſicut de Religione Lucretius, nihilo meliore ſucceſſu, licet minùs impio, vt reor, conſilio exclamet, tantorum hæc teſtimonia fuiſſe malorum cauſam.

Non puto veriora eſſe, quæ de ſe pollicetur, quâ Epiſtolam claudit expoſtulatione, quæ totum impleuit. Promittit, *ſi qui de ſe merito conquerantur, inuenturos Theologum, qui ſe dicto citius corriget, & correctoribus ſuis, vt amicis benefactoribus gratius aget, quam plurimus.* Non facile dicti fidem abſoluet, nec credam etiam Auguſtini, quod ſibi ſumit, ſecuturum conſilium; dum videro editum ab illo ſancti Doctoris exemplo, librum retractationum: næ expectationem meam fallet, aut vincet, ſi hâc re imitetur Auguſtinum, cùm non magis exemplum modeſtiæ, & humilitatis, quàm de gratiâ ſententiam Auguſtini, vnde ex humilitate natum eſt conſilium retractationum, videatur probare, & ſequi. Faxit Deus vt falſus ſim, & falſi accuſatum Diuum Thomam abſoluat, vt ſe purget, & ſtet promiſſis.

PARAGRAPHVS SEXTVS.

Confutatio Epiſt. 2. & aliquot obiectionum, quæ ex priore ſuperſunt.

CRambem bis coctam exordio Epiſtolæ obtrudit falſati Cyrilli, occaſione loci à Diuo Thoma Catenâ aureâ in caput 16. Mathei ex Cyrillo relati, qui apud illum nullibi extet, nec eius conueniat principiis. Hoc

postremum nego. Digna sunt plane Legato Summi Pontificis, quas probauimus partes in Ephesino Concilio Cyrillum sustinuisse: atque eo nomine scripsit Epistola 10. ad Nestorium, & vndecima ad Clerum, populumque Constantinopolitanum, nisi intra terminum à Cælestino Papa Romano præscriptum, hæreses suas reuocet Nestorius, ab omnibus, vt excommunicatum, & depositum vitari debere; & Epistola 18. à Cœlestino, quem Sanctissimum Patrem appellat, petit sibi significet, num velit cum Nestorio adhuc ad tempus communicari, vel deinceps ab omnibus vitari.

Superioris Paragraphi primum argumentum hinc repetit Launoius. Nostræ responsioni addo: bonam fidem videri ad Aduersario exulare, nec vnquam bonis artibus agere. Cur nomen illius Græci tacet, quem Sessione septimâ referebat sic Patres Concilii allocutum, *habemus multas alias hâc de re sententias*: sed longe ante omnes Cyrilli in Thesauro. Is vero fuit Andreas Colossensis Episcopus, cui nullus Græcorum intercessit. Forte dicet Græcos suam causam omnium silentio, & vnius pollicitationibus corrupisse à se vindicandam. Bene est: quare homo alienigena, qui vix litteras Græcas à limine salutauit, nec Latinam Mineruam admodum excoluit; melius nouit res domesticas Græcorum, doctissimis illius gentis Episcopis: vt non dubitarit aliquot ex ipsis reclamantibus, hæc quæ improbat testimonia non magis apud Cyrillum, quam apud Virgilium, vel Hesiodum esse posse.

Prioris Epistolæ pagina 9. & secundæ prima Bellarminum inducit, quasi consilii inopem, præcluso, quo se recipere parabat, effugio, & secum pugnantem; quasi testimonia Cyrilli vno loco certa, alio dubia esse velit. Sed non aduertit, quod iam monui, tres esse testimoniorum classes, quibus certa à falsis seiungantur, & inter hæc media reponantur probabilia. Bellarminus à se non dissentit, nec more Aduersarii pro causæ commodo res inuertit; sed suo quæque loco reposita seruat: probabilibus hæc testimonia accenset, de quibus dubitare liceat, illorum probabilitate illæsâ: loco perfugii, quod illi à se præclusum putat, locum tutissimum paranimus diuisione Thesauri in duos libros, quorum pri-

mo continentur triginta quinque assertiones : alter apud nos desideratur, vnde probabilius est, deprompta esse testimonia, quæ apud Diuum Thomam extant.

Bellarminum fidei Catholicæ inuictum pugilem nunquam desinit lacessere. Quam cordi illi est heterodoxis gratificari, & quæ à Bellarmino lethalia vulnera excepit vlcisci. Carpit illum, quod integrum ex Diui Thomæ cathenâ locum Cyrilli non repræsentarit, quasi puderet retulisse adeo compertæ falsitatis. Sed hæc merum sophistam, & vitilitigatorem resipiunt : quasi non potuerit Bellarminus dimidiatum locum referre, non quod falsum reputaret, sed breuitatis & grauitatis causâ, quas parum ipse curat dotes, insinuasse locum eodem consilio, quo diximus Diuum Thomam ab illo citando in summâ abstinuisse ; quod non certam, sed probabilem tantum fidem faceret, & facile à peruicacibus eludi, & eleuari posset, desiderato, vnde depromptus erat, libro. Sed cum inde probat Aduersarius falsum esse hoc testimonium, & volumen, vnde sumitur, suppositititium; perinde argutatur, ac si quis neget Tullium de Republicâ scripsisse, aut Liuium pluribus Decadibus totam historiam Romanam complexum fuisse, quod non nisi fragmenta supersint eorum qui censentur periisse, librorum, ac si huiusmodi Authorum fragmenta indubitata non sint, operum, quæ desiderantur monumenta. Qua ratione efficiet Launoius suppositititia esse ex Cyrillo testimonia, quasi nequeant esse fragmenta librorum, quæ perierint : aut immunis fuerit Cyrillus ab infortunio, & naufragio scriptorum omnium, quo plura absorpta sint illorum monumenta quam supersint?

Seposito, & quasi deiecto Bellarmino, ipsa testimonia ad examen vocat, & singula vellicat verba : hæc nouitatis, illa barbariei, multa erroris, omnia falsi incusat Quibus vero argumentis, quod verba Græca à Latino Interprete non fuerint fere Græcè reddita. O Critici morositatem ! quid eius virgam censoriam effugiet? Bellarmino vexato, textu verborum torturâ luxato; Patrem Nicolaïum aggreditur, vt se gratuito rixosum probet : iamdiu virum sapientissimum, & doctissimum, quâcunque non datâ, sed quæsitâ, & interdum nullâ, non tam ad litterarium, quam conuitiorum certamen

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [196] - 136
PUBLIC DOMAIN

prouocat, ratus sibi quamuis infaustum, non inglorium fore, cum tanto Aduersario congredi etiam vincendum.

At ille suæ famæ securus apud Doctos, nihil moratur sibi in Patribus versatissimo, & antiquitatis callentissimo, Cyrillum inexploratum, & ignotum priscæ Ecclesiæ statum improperari. Vnde in illum concluditur, *si quæ Cyrillus de Petro, & de Petri successoribus, &c. docuit, inspexisset vel leuiter: si Ecclesiæ statum, qui tum erat, contemplari dignatus esset, dixisset rectius, nihil tale in Cyrillo reperiri.* Hæc verba esse præsidentis hominis probant, quæ superiori Paragrapho dicta sunt: nec dubito meliora repositurum Patrem Nicolaï, nisi modestiâ, silentio, & grauitate, hominem cui male cum his dotibus conuenit, deiicere maluerit. Fortè Aduersarius experietur vim læsæ patientiæ: & sin iniuriarum suarum sensu affici se non patiatur, easque nolit vlcisci Pater Nicolai, spero commotum iri aliquando fidei communis, & Ecclesiæ Catholicæ in suo capite atrocissime violatæ contumeliis.

Ex hâc secundâ Epistolâ, vnam, aut alteram refellendam suscipio commentationem. In hęc duo verba ex Cyrillo, *inquassabiliter solam regnare Petri authoritatem successione Sedis Romanæ, & Apostolicæ.* Et quærit, quo sensu sola regnet, aut regnauerit, saluâ totius Ecclesiæ Orientalis & Catholicæ communione in vnam Fidem & Ecclesiam, *vel stabilita inquassabiliter*, steterit, Liberi, Felicis, aliorumque Pontificum erroribus concussa, & euersa. Respondeo solam regnasse prærogatiuâ potestatis, quâ nulli obnoxia, reliquas infra se positas habet, & quotquot Christi ouium nomine censentur, curæ suæ creditas, & authoritati subiectas, vt ex Bernardo probatum est. Si hoc gradu regnet sola; non video, cur falsos dicat Imperatores Gratianum, & Valentinianum, Hieronymum, & Cyrillum, qui potestatis Ecclesiasticæ, & communis Fidei reliquas orbis Christiani Ecclesias consortes cum Romanâ volunt, ne sola regnet. Vnde concludit: ad hæc omnia respectum non habuisse, qui Cyrillo apud Sanctum Doctorem relatum subiecit testimonium. Et opinatur Launoius, *nisi ille fidem cum fronte amisisset, dicturum nunquam, Aposto-*

licam Ecclesiam Petri in Fide plenissima, & authoritate Petri stabilitam inquassabiliter, solam regnare

Id verissimum esse sensu à nobis insinuato, & statim explicando, negare non possunt, nisi qui Anarchiam, & Babylonicam confusionem à Christo in Ecclesiam inductam, quasi dogma fidei propugnant. *Nec fidem cum fronte amisisse* criminari quisquam potest, eos qui in Ecclesiâ Romanâ cum prærogatiuâ authoritatis incorruptam fidem seruatam vi promissionis Christi tutantur, nisi ab iis bonis exciderit, quæ in aliis anxiè desiderat. Imprudenter, & inique agit, quisquis alienis indolet aut insultat malis, suorum ignarus aut negligens.

Capitaliter pugnare putat ex Cyrillo supposititium testimonium cum veris, & cum Cælestini Epistolâ. Cur ita censet? vnde id probat? quod summa authoritas vnius cum communi & minori aliarum Ecclesiarum conuenire non possit: quasi temere à Hieronymo dictum sit, Petrum Apostolis præpositum, *vt vno capite constituto, schismatis tolleretur occasio.* Quis vnquam quid simile audiuit, fidei communione, quam prædicant, quæ proferuntur Imperatorum, Patrum, & Pontificum testimonia, abrogari potestatem in eos, qui fide conueniunt? Ne hæretici quidem quid simile vnquam commenti sunt, singulari vnius hominis, aut Ecclesiæ prærogatiuâ cæterarum gradus, vel communem omnium fidem tolli; quod tamen Launoio absurdum est, adeo vt neget, saluâ fronte, & fide, ab vllo scribi posse.

Nec contentus abrogasse prærogatiuam potestatis Petri, eiusque successorum, quâ solâ regnent: ad minus gradus maiores ægerrime fert dici, & nomine Cyrilli confirmari, quod totum prædicat Euangelium, inquassabiliter incorruptam illorum fidem, quæ nunquam deficiat, in quam non sint inualituræ inferi portæ, stabiliri.

Ecclesiæ, & Fidei Romanæ Apostoli ore prædicatæ, duabus explicatis ex Petri primatu, & successione Pontificum, ac pro virili & Apologiæ breuitate vindicatis dotibus, tertiam addo incorruptæ & perennis fidei beneficio Christi, Petro, eiusque successoribus, ne vnquam

deficeret orantis, & pollicentis se Petro astructam Ecclesiam aduersus portas inferi immotam seruaturum. Impleuisse vero promissum, & pro suâ reuerentiâ fuisse erauditum, ac proinde, quod inuidiosissimè traducit Launoius, Catholicum, & verissimum esse, Ecclesiam Apostolicam Petri, solam regnasse aliis gradu maiorem, & saluâ fide antiquâ, ipse rerum euentus, inuicto est argumento: cum Orientalibus præcipuis, quas Patriarchales vocamus, Imperio Turcico oppressis, & quod peius est, in schisma, & hæreses apertas, quas nequeat Launoius deffendere, vel certe non ausit delapsis, sola Romana *stabilita inquassabiliter*, & inuicta regnet; quod non posse dici siue eiuratá fronte & fide, nescio an his bonis saluis potuerit ipse scribere.

Nisi velit per summam impietatem falsis Christi pollicitationibus nos deceptos, vel cassas fuisse apud Patrem æternum filij preces, negare non potest in Ecclesiâ Romanâ, & Summo Pontifice seruatam authoritatem, & illi indiuiduam aut incorruptam fidem, velut promissionem veritatis, & efficaciæ orationum Christi testimonium, pignus & monumentum æternum: quod dum audacius arrodit Launoius, totius Religionis ruinam imprudentissimè molitur. Quid enim ex Euangelio supereſſe possit certi, si nedum dubia, sed falsa etiam, & hæretica esse contendas, quæ de perennitate incorruptæ fidei Petri, eiusque successorum, illique astructæ Ecclesiæ, non solum expressa verba Christi testantur, sed ipse euentus comprobat Christi fidem *inconquassabiliter intra Romanam Ecclesiam regnare*, & à cæteris Ecclesiis orbis Christiani præcipuis hæresi depulsam periisse; quam si obtineas Launoi, quod totis viribus contendis, perinde à Romanâ, atque à cæteris Patriarchalibus exulasse; quid supereſt, nisi vt promissorum Christi veritatem eiures, aut cum hæreticis ad Ecclesiam inuisibilem confugias?

Eò sane tuis disceptationibus nos deducis: & dum Pontificum, vel Liberii ignauiam, vel Fœlicis ambitum honorum, vel Ioannis XXII. singularem opinionem, non solum quasi priuatorum hominum culpas, sed Ecclesiæ capitum hæreses traducis', nonne promoues Caluinistarum causam, & iter ad perfugium Ecclesiæ

inuisibilis munis : nisi malis nos in atheorum voraginem præcipites dare. Periere quotquot in Oriente floruerunt Ecclesiæ Patriarchales : vna in occidente Romana stat victrix sæculorum , & hæresum : Euentus pollicitationes Christi confirmat , & hanc post ista, ægerrime fers, *inquassabiliter regnare solam*, cum reliquæ occiderint. Quò confugiam , quò me recipiam prorsus ignoro : nisi loco Petri eiusque successorum, te sufficias , aut velis à te vno solo repeti, quam in Romanâ Ecclesiâ desideras fidem incorruptam. Non videris omnino abhorrere ab illâ prophanâ cogitatione : perinde enim scribis, eâque fiduciâ , ac si sublatam Ecclesiæ Romanæ infallibilitatem tibi asserueris.

Quas de Liberii , Felicis , Ioannis 22. post Morneum, Spalatensem , instauras accusationes , validissime refellunt Catholicorum innumeri , quorum responsa taces , quasi crederes non audiendos post hæreticorum vociferationes. Docuissent te , à Liberio , & à Felice , sicut à Petro non errore fidei , sed conuersationis , vt loquitur Tertullianus, & ex ignauiâ , atque ambitu dignitatum saluâ fide peccatum fuisse , quod animo minus forti tormenta tulerint , aut dignitates ambiuerint. Sed malles hæreticos omnes esse, quam te nimiæ audaciæ, & temeritatis incusari.

PARAGRAPHVS SEPTIMVS.

In tertiam Epistolam breues obseruationes.

AB instituto Apologiæ longius abducerer, si reliquas vellem Epistolas etiam decurrendo , recensere & expendere. Sat fuerit nonnullas obseruationes eruditi Lectoris iudicio subiicere , Aduersarium imitatus , qui ex longâ disputatione Caietani cum Almaino nonnulla excerpsit discutienda. Eadem methodo , ex eius Epistolis quædam singularia annotabo , quæ à communi Theologorum sensu ac methodo videntur abhorrere.

In confutatione Caietani , Almaini causâ , selecta verba lego , elegantem orationis circuitum : solida ar-

gumenta desidero : mallem Theologum egisset , quam oratorem. Quid enim habet, quod impugnet Cajetani ad Almainum responsa. Almainus ex Epistola quadam Ambrosij operibus inserta , & nonnullis inscripta Damaso , quasi negaret sibi licere rem à Concilio Capuano iudicatam , ad examen vocare & rescindere ; inde infert Summum Pontificem subesse etiam priuatis Concilij nationalis Decretis. Respondet Cajetanus his Epistolæ verbis , non negare Damasum sibi potentiam deesse , sed minime conuenire iuxta illud Apostoli , mihi *omnia licent , non omnia expediunt.* Inde confirmat Cajetanus , Pontificem illud iudicium detrectasse , non quia potentia deesset , quâ valide iudicaret , sed minime conueniisse, idque exemplo Pij I. negantis Marcionem à Patre damnatum absoluere , confirmatum est.

Quid affert Launoius , quod hunc Cajetani obiectum obicem effringat ? videtur quæ refellenda suscepit, suis argumentis confirmare , & inuicta probare. Sic enim te conuenio. Aut negas in totum id genus distinctionis , vt quædam liceant , non expediant ; valide fiant , non inculpabiliter : vel quamvis legitimam , & vsu frequentissimam infinitis difficultatibus enodandis hanc rerum partitionem oportunam agnoscas , à subiectâ quæstione vis excluſam. Si primum obtendas ; stant contra te omnes Theologiæ , & iuris consultissimi , quibus nihil hac distinctione familiarius , nihilque certius rerum quæ valide fiunt plures culpa non carere. Ita efficax est administratio Sacramentorum , validum pactum venditionis , licet neutrum culpa interdum vacet. Si legitimam concedas hanc operationum distinctionem , sed locum habere nolis in causâ Damasi ; qua ratione id probas , nisi apertâ petitione principij ? Neque enim aliud apud te lego , nisi conuitia in Cajetanum , Encomia Almaini , denique Thesim ipsam in probationem assumptam. Diserta vbique habes , non fortia.

Aliam insinuat Caietanus distinctionem, legis cogentis, & dirigentis : quas ferunt Concilia , vel ipsi Pontifices, ligare concedit conscientiam directionis vi , non pœna cogentis. Quare Caietanus remotissimus ab a-

dulatione Principum docet : *minime decere Summum Pontificem determinationes Concilij Prouincialis, multò minus Generalis soluere* : atque inde infert, *secundum sacros Canones, ad Romanum Pontificem spectare maxime, seruare statuta Patrum, sicuti propria*, directionis vi, seu studio virtutis, non coactione, & metu pœnæ. Quid habet Launoius in hanc Caietani distinctionem, quam nec quidem verbo indicauit, rethoricari, aut conuitiari contentus, aut loco argumentorum censuras proferre. Sic enim iterum te conuenio; vel hoc duplex munus legis dirigentis & cogentis, negas, quæ vim dirigendi exerceat in authorem, cogendi etiam in subditos, vel legitimam agnoscis, sed malè à Caietano adhibitam improbas. Primum apertè falsum est omnium Theologorum, & iurisconsultorum consensu: si alterum velis, quæro à te argumenta; neque enim vllum occurrit totâ Epistolâ, quo hæc distinctio, vel illius vsus lacessatur : Ergo, quæ scribis, gratuita sunt, & nullius roboris, aut vtilitatis, & eruditionis modicæ, quę doctioribus non satisfaciant, licet acerbiori castigatione authorum, quæ aliquid libertatis resipiat, placere possint morosioribus.

Verum si vana ex veteri prouerbio est sine viribus ira, ineptæ prorsus sunt, & ridiculæ acerbiores priuatorum scriptorum animaduersiones in alios se Catholicos magis, & doctiores, nullo munitæ argumento. His censuris, aut verius conuiciis scatent duæ Launoij, tertia scilicet, & sexta Epistola in Caietanum scriptæ. Hic author minus purpurâ, quam ingenio, pietate, & in Ecclesiam meritis eminens & illustris, de subiectâ controuersiâ, quam vndecim Epistolis Launoius versat, nullo ordine, tres benè longos edidit tractatus, qui primo Tomo Opusculorum ad calcem Commentariorum in tertiam partem D. Thomæ extant. Ex iis libris vnum tantum caput, nempe decimum ex secundo ad Almaini impugnationes libro, refutandum suscepit ne quidem parte dimidiâ, sed ex septem, quas soluit obiectionibus, secundam & tertiam delibauit, ac vix perstrinxit : & quasi totum opus profligasset, Caietanum tantum non triumphat : Cui hoc vnum reponam, quod Laco ille prudenter filium iuueniliter ferocientem monuit : aut magnos illos spiritus compesce, & minue aut vires & robur au-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [202] - 142
PUBLIC DOMAIN

ge. Ita dico remittendum Aduersario de acerbitate, & ferociâ verborum, ac minarum; vel fortioribus agendam argumentis: nisi enim validiora adhibeat, se doctis ridendum præbebit.

His duabus solutionibus à Launoio lacessitis, tria sibi Caietanus extruxit præsidia, de sacramentis, iudiciis, pactis, &c. validè interdum, & illicitè peractis: alterum de vi legis solâ directione, vel interdum pœnis, & coactione ad rem constitutam vrgente: & de lege diuinâ, aut Ecclesiasticâ solo iure humano positiuo à Summis Pontificibus, vel à Conciliis constituta. Concedit Caietanus lege diuinâ, vtroque nomine directionis, & coactionis summos Pontifices ligari, nec ab humanâ vel Ecclesiasticâ à se, vel à decessoribus, vel conciliis iustè prudentérque sancita eximi, saltem quoad vim directiuam, quæ salua conscientiâ lædi nequeat. Hos quibus se Caietanus munit, obices prærumpat oportet Aduersarius, quæ hactenus ne verbo quidem tentauit, seu ex inscitiâ, seu ex conscientiâ suarum virium, quas his solutionibus refellendis impares esse nouit, & si contra eniti, aut eluctari velit, non conuitiis, sed argumentis, ipsemet Caietanus sese tutabitur, aut certò sciat non defuturum defensorem, si disputationem reuocet ad veras Theologiæ leges, nec vitilitigationibus agat, quæ otiosi hominis sit refellere aut morari.

PARAGRAPHVS OCTAVVS.

Ex superiori obseruatione breuis, Responsio ad septimam, & octauam Epistolam.

QVamuis triplici distinctione Caietani legum iuris diuini, & Ecclesiastici, quæ directione in Auctores, coactione in subditos agant, & validè suscepta, illicita efficiant; his, inquam, responsionibus conuulsa sint, & deleta, quæ longissimis Epistolis 7. ad Hieronymum Sambœuuium per 55. paginas & 58. ad Ludouicum Cusinotum nummariorum Iudicum præsidem scriptis congerit, & millies repetit, de vi canonum in Summos Pontifices testimoniis; pauca tamen, vt eruditioribus satisfa-

ciam, visum est addere, eâ cautelâ, ne in vitium prolixitatis alieno coarcter vitio.

Illud enim imprimis animaduerto, quod Bartholomæi à Martyribus Lusitano idiomate edita narrat historia, è tribus illius gentis, qui Concilio Tridentino interfuere Episcopis, hunc multa paucis, alterum multa multis, tertium pauca multis solitos explicare: hic postremus Launoio caracter nescio an placeat, certè genuinus est, & conuenit. Cũ multa his vndecim Epistolis probanda suscepisset, & mediocri volumine id potuisset efficere, aut certè niti debuisset; contra totus est in parergis congerendis, quæ nihil ad institutum conferant, vel iisdem exemplis & argumentis millies obtrudendis. Primâ Epistolâ iam discussâ, responsum est ad argumentum ex Epistolâ falsò ascriptâ Ambrosio, & verius ab Almaino Damaso attributâ, tandem vindicata Siritio; & ab appellatione Marcionis à paternâ damnatione ob constupratam virginem ad Sedem Apostolicam. Vtrumque argumentum prosequitur singularibus Epistolis priore longioribus, additis propemodum infinitis testimoniis Patrum, & Pontificum, quæ Canonum sanctiones commendant, iisque se obnoxios Summi Pontifices profitentur: quis nostrum hoc vnquam negauit, seu ex directione, seu ex coactione, seu ex vtroque capite hoc conscientię onus & vinculum existat?

Dum hæc congerit venerandæ antiquitatis monumenta apud omnes obuia, molem Epistolarum auget, non vim argumentorum: & illum pictorem imitatur, de quo in statuam Veneris coniecto auro dictum est, cum non posset facere pulchram, diuitem fecisse. Mallem pauca, & selecta infringendis Caietani solutionibus idonea, & validiora scripsisset, obmissis quæ ex historiâ Theodoreti, ex Epistolis Ambrosij, & Pontificum Romanorum conglobat, nihil prorsus ad rem facientia, nisi vt prolixior, & fortè molestior Epistola euadat.

Non dicam Cardinali Perronio emunctioris natis homini, Theodoreti de Flauiano Antiochenæ Ecclesiæ, id est suo Patriarcha, in quem proinde propensior erat, fidem magis suspectam, quam Socratis & Sozomeni, qui à partium studio aberant, quorum historiam veriorem

rem censeri contra quam sentit Launoius, quod ex Theodoreto, quam ex Socrate Damasi Summi Pontificis in orientales Ecclesias summæ auctoritatis obscuriora depromantur argumenta, quæ vna & summa lex atque ratio vltima est Launoio de singulis statuendi: neque enim dubium relinquit apud Lectores, quamlibet disparibus rationum momentis res vtrinque discepten-tur, quin in eandem partem toto impetu feratur, cæteris præsidiis destitutam; dummodo Pontificum iuribus aduersetur.

In ea Flauiani cum Paulino, eiusque successore Euagrio de Patriarchatu Antiocheno, quæ orientem multis annis vexauit, contentione; cuius sopiendæ causâ, habita est in Oriente Synodus Capuana, innumera suppetunt pro Petri primatu argumenta, quæ Cardinalis Perronius replica ad Regem Angliæ à paginâ 97. accuratissimè & elegantissimè prosequitur; quales sunt frequentes iussiones, quibus Imperator Flauianum vrgebat, vt quamprimum Romano Pontifici Damaso se tanquam legitimo iudici sisteret, quibus ex Theodoreto restitit Flauianus senectam, incommoda itineris hieme suscipiendi, nunquam vero, quod vnum suggerit Launoius, causatus, nihil in se iuris habere Romanum Pontificem. Plura eruditissimus Cardinalis in eandem rem, ex eâdem historiâ congerit argumenta validissima ex ipsâmet, quam refert Launoius, Epistolâ Ambrosij, in Euagrium, quam in Flauianum propensioris; quod illius causam, pro quâ semper steterat Romanus Pontifex, iustiorem reputaret.

Has omnes Perronij argumentationes nihil moratus Launoius, ex verbis Ambrosij pagina 11. inquirendum censet, cur cum tantâ sollicitudine & cura rerum Pontificis Romani Ambrosius satagat, vt Theophylum moneat, referendum negotium ad Sanctum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Huius Ambrosij sollicitudinis futiles causas comminiscitur, nihil pensi habet solidiores: vult ab Ambrosio habitam esse rationem Romani Pontificis, quod abesset à Concilio, & absentium curam habendam esse. O nugacitatem! Cum omnes occidentalis Ecclesiæ Episcopi Paulino, &

Euagrio adhæsissent, infensi Flauiano, & pluries à Concilio Capuano abessent; cur cæteris omissis, quibus ex absentiâ, & vnitate sacerdotij idem quod Romano Episcopo vindicat iuris, ad hunc solum monet Ambrosius referendum, & approbandum iudicium? Sanè cum ista lego, rideámne, aut succenseam, planè ignoro: incertus futiliora ne sint, an magis ex præposteto, & prauo in Summos Pontifices affectu profecta.

Nam quas addit coniecturæ, aut nugæ, Ambrosium consultum voluisse, vt factum Romani Pontificis in Euagrium malè ordinatum affecti benignè acceptaretur: conuelluntur postremâ Cardinalis Perronij argumentatione; nihil Euagrij ordinationis vitio detecto obmissum à Flauiano, vt in Damasi gratiam rediret, eâque de causâ missos Romam legatos, Chrysostomum pro Flauiano intercessisse, nullum denique à Patriarcha, & ab amicis prætermissum officium, quò Damasum iustè iratum delinirent.

Sed hominis criterium mirare, & quàm mereatur iudicis, quod sibi arrogat munus, inde agnosce: si quæ occurant ex ipsis, quas præ manibus habet, historiarum monumentis commendandæ Pontificiæ authoritati; aut tacet omnino; vel futilibus deterit argutiis, & minutissima quæque aucupatur, quæ in speciem eius consilio faueant. Aquila non captat muscas: hanc prædam aranei remittit. Ab illarum non longè telis (de veneno absit vt quidquam pronuntiem:) absunt futilissima, quæ leguntur pagina 12. Bonosum post delegatorum iudicum sententiam, ad Ambrosium Capuanæ Synodi præsidem scripsisse, non ad Siricium Romanum Pontificem. Quasi res in Synodo Capuana dirimendæ ad illum nihilo magis, quam ad alios, qui aberant, Episcopos pertinerent. Quantâ inopiâ solidiorum argumentorum premi oportet eum, qui totus his nugis & siliquis captandis inhiat. Quæ pagina 14. scribit de Flauiano, & Synodo Capuanâ validè expuncta sunt à Cardinali Perronio.

Quæ ex Epistolâ Siricij elicit argumenta, vt institutum probet, quamuis validiora sint aliis, vix tamen ad coniecturas accedunt. Ipse se remittit ad Epistolam tertiam, cui responsum est argumento superiori: quare ab his supersedeo. Tacere tamen non possum, quod eiusdem

Epistolæ pagina 23. habet plagium Epistolæ Pij secundi ad Carolum VII. Regem Galliæ, quâ sic eum monet: *Vnum à te petimus charissime fili, vt detractoribus Sedis Apostolicæ semper non credas, multa illorum passionibus tribuens*: at Launoius, vel ex crassâ insciticâ, vel excæcâ ad detrahendum libidine locum corrupit & interpolauit, voci detractorum suffecto Doctorum vocabulo: quasi Summus Pontifex curare velit vt doctoribus Sedis Apostolicæ minor, quam eius detractoribus fides habeatur. Relatum mihi est, priuato colloquio Launoium à viro eruditissimo corruptelæ huius loci conuictum, diu tergiuersatum, nihil tamen respondisse, quod vel insciciam, vel culpam apud homines doctos, qui intererant, excusaret.

Vbique Bellarminum, ac Peronium allatrat magis, quam mordet. Postremum hunc pagina 24. ait, *Epistolam*, de quâ agimus, *censuisse non esse Ambrosij, quamuis inter eius opere extaret, sed cuius esset quærere neglexisse*: quod huiusmodi diligentiam intelligeret, sibi & Annalium suorum scopo vehementer incommodaturam. Conueniebat te, Launoi, dum alienam famam auidius insectaris, saltem tuæ minus esse prodigum: nam cũ irrito conatu, & morsu inani viros celeberrimos appetis, nullo verisimili argumento damnas; quid aliud lucraris, quam iniqui censoris nomen? Quid mali Romano Pontifici ex illâ Epistolâ, vni ex suis decessoribus assertâ existere possit, Tu solus vides scintillantibus aut caligantibus oculis ex nimio in præiudicatas opiniones affectu: at, inquies, Syricius totâ eâ Epistolâ negat ad se pertinere earum rerum iudicium, quæ in Capuanâ Synodo constituta, & sancita sint. Ita est sanè; quia ad iudicia legitimè peragenda præter auctoritatem opus est infinitis partibus; nempè rerum diligenti examine, inspectione tabularum, & aliis id genus, quæ cum in se desiderari agnosceret Siricius, merito illud iudicis munus sibi abdicauit.

Nisi afferas apertiora, quæ hanc potestatem deiiciant, quam quę apud te lego, longâ illâ serie testimoniorum, vtrâque Epistolâ contexta, oleum & operam planè perdidisti. Probas impensissime, quod vltrò asserimus, legibus diuinis & Ecclesiasticis omnes astringi, ne exce-

ptis quidem Summis Pontificibus : sed plane erras, & his legibus parem inter se, aut in omnes vim esse contendas : si nullo discrimine Ecclesiasticas diuinis exæques, & paris velis esse robotis ac perennitatis, nec magis Ecclesiasticas, diuinis vlli relaxationi obnoxias esse.

Eadem responsione refellitur 8. Epistola : quia de eadem controuersia iisdem argumentis, & testimoniis pugnas. Hoc vno differunt, quod testimoniorum congeriem, quæ Canonum commendant obseruantiam Epistola 7. Siriaci testimonio, quæ altera Pij I. Papæ Marcionem absoluere recusantis, repulsæ astruis. Vbique morositatem prodis. Illius Epistolæ pagina 6. doctissimo, & accuratissimo scriptori Bellarmino pueriliter ἀβλεψίαν improperas; quasi alienis, non suis oculis Epiphanium repulsam Marcionis referentem legerit : alias supersessurum ab allegatione, quæ consilio eius obesse poterat, non prodesse.

Chamierius & mordacissimus, &, vt existimo, hæreticorum doctissimus, cum Bellarmino te Launoi humanius disputat. Sin huius heterodoxi facundiam, & eruditionem æquare non poteras, certè non debebas pati, te Catholicum ab Hæretico in Cardinalem æquitate vinci. Quis non credidisset post hanc grauem obiurgationem actum esse de Bellarmino, crassæ supinitatis accusato? At ne quidem Bellarmini attigisti argumentum ex appellatione Marcionis ad Sedem Apostolicam. Nemo dixerit peritiam rerum Ecclesiasticarum, aut ingenium defuisse hæresiarchæ isti, & si ex Launoio Orientales Patriarchæ, & Episcopi Romanum, iure in res ex Ecclesiæ legibus iudicandas longe vincant, & illi pares sint Episcopi Occidentis ; cur Marcio neglectis Ecclesiæ Orientalis Episcopis, qui præsto aderant, Romanum conuenit, nisi ad illum ex traditione Apostolica iure appellari credidisset? Adeóne longi itineris se laboribus confeciisset, & obiectasset periculis ; nisi Marcion ex communi fidelium sensu aliud didicisset, quam quod de primatu Ecclesiæ Romanæ scribit Launoius? Mortalium stolidissimum appellauerim, illa appellatione futili, qua nullo commodo sese tot laboribus confecerit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [208] - 148
PUBLIC DOMAIN

Hoc est Bellarmini argumentum, quod quisquis ἀβλεψίαν dixerit, oculis & mente captus sit oportet. Sed promptius est arguenti insultare, quam respondere argumento. Ad contextam huic exemplo Marcionis seriem testimoniorum, Respondeo: id vnum probare, quod vltro agnoscimus, antiquissimam fuisse Summis Pontificibus legum diuinarum, & Ecclesiasticarum auctoritatem, nec sibi etiam in summa potentia constitutis, quidquam sine causis legitimis detractum illis voluisse: & hoc ad summam eorum laudem pertinet, quod solo æquitatis respectu, nullo pœnarum metu se huiusmodi canonum obseruantissimos, & vindices acerrimos præbuerint; ac proinde digniſſimos, quibus summam auctoritatem Deus permitteret, cui ex pari æquitate moderabantur. Hoc vnum probant congesta à Launoio in vtramque Epistolam testimonia, iisdem verbis pluries, mediocri volumine dimidiâ sui parte breuius futuro, nisi pluries eadem repetiisset.

PARAGRAPHVS NONVS.

Obseruationes in 6. Epistolam ad Raymundum Formentinum.

AD finem Epistolæ 3. in Caietanum scriptæ narrat Aduersarius, à Sacrâ Facultate Parisiensi datam Prouinciam Iacobo Almaino respondendi Caietani libro, pro auctoritate Pontificia aduersus Gersonem scripto, quem Gaufridus Boussardus Parisiensis Cancellarius nomine Pisanæ Synodi ad Facultatem misit, vt refelleretur, eoque imperio Almainum Theologiæ Magisterio donatum superioris sæculi anno vndecimo, & decimo sexto immatura morte sublatum, tantâ ingenii præstantiâ fuisse defunctum, vt eius liber in frequentissimo Theologorum audientium, & approbantium consessu recitatus sit, & omnium ore laudatus.

Non crediderim has Launonij Epistolas, de eodem ferè argumento, sacræ Facultatis iussu scriptas, vel consensu editas, & confirmatas esse: quia licet ætate prouectior, nec forte antiquitatis peritiâ inferior sit Al-

maino ; aliis tamen dotibus imparem puto , & longè à grauitate , modeſtia , & humanitate Almaini abeſſe. Mallet vero Sacra Facultas in iis , qui ſuo nomine delecti loquuntur , magis eloquentiam , & eruditionem, quam æquitatem , & prudentiam deſiderari. Has verò Scriptionis laudes dolent probi omnes ab Aduerſarij libris longe exulare. Mirum ſane eſt Gerardum , Voſſium , Groſſium , ac ſimiles ex Hollandia , aliiſque regionibus Scriptores , etiam hæreticos , Cajetani , Bellarmini , Baronij vix meminiſſe , niſi cum honorificentiſſima tantorum nominum prædicatione ; quæ tamen Launoius vbique contemptim proferat , ac penè traducat innumeris conuiciis , quod diuerſa à ſe , & quid maius ſentiant de primatu Petri , eiuſque ſucceſſorum, tanquam Eccleſiæ Romanæ Palpatores infamat : ſic enim Zozimi Papæ verbis abuſus *obſiſte* , inquit , *ſuperbiæ & arrogantiæ venienti*, (ex Romanę curiæ palpatoribus :) id eſt , ex Caietano , Bellarmino , Baronio , quibus tres alios addere poterat ex Eccleſia , Gallicana iam à me nominatos , Bernardum , Perronium , & Coeffeteau.

Pudet ſingula referre , quæ in hos pietate , eruditione, & ſapientia , quam dignitate & purpura viros eminentiores conuicia ſcribat : ſed obmiſſis Perronio , & Coeffeteau , quos nunquam nominat , licet eadem cum Bellarmino & Baronio de Primatu Petri nedum ſentiant , ſed etiam latiſſimè ſcripſerint (ſi ea excipias quæ Eccleſiæ Gallicanæ iura attineant , extra cuius pomœria latiſſimè vagatur Launoius:) hoc vno ſilentio illa Galliæ lumina atrocius , quam ſuperiores apertis conuiciis , & cenſuris videtur damnare : quaſi nullo loco habeat , & nequidem audiendos , aut nominandos putet , niſi inter Romanæ curiæ palpatores. Quis credidiſſet quemquam iſta auſum ſcribere , niſi quæ à nobis fidei & pudoris ait amiſſa , peius bonis conſuluiſſet ? Quiſquis in poſtremæ ſuperioris , & primæ partis huius ſæculi hiſtoria Romana hoſpes non fuerit , ignorare nequit, mortalium nullos ab adulatione & ab aliis id generis vilis , & ſordidi animi vitiis remotiores his tribus , Bellarmino , Perronio , & Baronio , qui in conſeſſu Purpuratorum Patrum , in electione ſummorum Pontif-

cum ſupra omnem ſpem, & metum, omni humano affectu intactos, & maiores ſeſe toti Europæ probarunt. Et hos, ſi ſuperis placet, Launoius Romanæ Curiæ Doctoribus, aut palpatoribus accenſet, qui dignitates proditione veritatis emant, & aucupentur.

Perronium, & Coeffeteau nullibi apertè, Bellarminum, & Baronium obiter mordet, Cajetanum duabus Epiſtolis tertia & ſexta laceſſendum, & lacerandum ſuſcepit: ſed ſcio nihil moraturum has contumelias. Nam ſecundi libri exordio ita habet *charitas Ieſu Chriſti, ſanctaque eius Eccleſia cogit, me virum periculoſum, enervatorem Eccleſiaſtica poteſtatis, falſarium, adulatorem, atque blaſphemum, ad hæc quidem exemplum illius ſequi, qui cum malediceretur, non maledicebat*: atque hæc præfatus accingit ſe reſponſioni ad obiectiones Aduerſariorum, à quibus laceſſitus, nedum à conuiciis reponendis abſtinet, ſed ne videatur perſonas inceſſere, magis quam ſenſa, nullius nomen, eorum quibus cum diſputat, memini me apud illum legiſſe. Vt rem inuidioſiſſimam abſoluam; miror dum ſapientiſſimis viris adulationem, & deforme obſequium in Summos Pontifices improperat Launonius, non timuiſſe præruptæ audaciæ crimen, à quo ſine dubio propius abſit, quam Cajetanus, & Bellarminus ab adulatorum & palpatorum vitio.

Sed ad rem veniamus; Launoius Epiſtola 6. Almainì argumentum inſtaurat contra Cajetanum ex Canone 21. octauæ Synodi, quo cauetur, *vt vniuerſalis Synodus cum conuenienti reuerentia exortas de Romanâ Sede quæſtiones audiat, & eas promoueat, non tamen audacter ſententiam in Romanum Pontificem pronunciet*: qua cautela concilium ex Almaino de Romana ſede & Pontifice iudicium legitimum credit ſemoto vitio audaciæ, & ſalua illius reuerentia.

Ad hæc tria reſpondet Cajetanus. Primo male eo loco diſtingui ab Aduerſario iudicium in Pontificem ab audacia, ſed vnum in aliud recidere, nec vitium audaciæ prohiberi tantum à ſententia in Summum Pontificem, cum abeſſe debeat à iudicio etiam in plebeios ſuſcepto, ſed iudicio in totum interdicit eodem ſenſu, quo de occultis cogitationibus vetat lex diuina quidquam ſini-

ſtri temere ſtatuere. Neque enim temeritas tantum iudicij de occultis damnata eſt, ſed ipſummet iudicium vitio non caret. Hinc tandem concludit Caietanus, eo Canone concedi expoſtulationes audiendas in Pontificem, abſtinendum eſſe à ſententia, niſi in apertam hæreſim prolapſus illi pertinaciter adhæreat: tum enim velſemouendum omninò, aut verius ipſius hæreſis confeſſione pertinaci pontificatum cenſet ſibi abrogaſſe.

Sed contra Launoius inſurgit. Primùm conuiciis, deinde argumentis, *Reſponſionem* ait *nihil habere ſolidi, expreſſi, aut eminentis, iacere in futilium argutiarum fœtore, & litigioſam eſſe totam ſolutionem qua recitato Synodi Canone ſua ſponte diſſiliat.* Conuicia hæc, ſurda aure prætereo, Caietanum imitatus, id tantum mirari ſubit, quod cum hanc artem longiſſimo vſu didicerit Launoius, barbariem nondum potuerit exuere. Fœtor ex corruptela conſequitur, vtrumque vitium rebus craſſioribus adnaſcitur, male cum argutiis, cum rebus ſubtilioribus, & minutioribus conuenit, quæ in fumum, & in nihilum faceſſunt. Iis ſane non fœtor adhæret, & obiici ſolet: ſed Aduerſarius adeo eſt conuiciorum auidus, vt inſociabilia turbinis more conuoluendo iungat.

Verum ad rem: videndum an luculentius argumentetur, quam ſit conuiciatus. Contendit eo Canone de iudiciis commune ius ſtatui Romano Pontifici, & omnibus Patriarchis: & cum non poſſit Cajetanus obtendere omnes Patriarchas à conciliorum auctoritate exemptos, neceſſe eſt, patiatur Romano Pontifici æquo iure cum aliis viuendum, & obnoxium eſſe conciliis. Hic non diſputo, an res ita habeat: ſed an ex illo Canone id euincat argumentum Launoii: non expendo jus Pontificium; ſed vim reſponſionis Aduerſarij, quæ reuera rem propoſitam non efficit. Quatuor habet illius Canonis editiones Aduerſarius, prima ex Almaino ſolius pontificis Romani meminit: altera etiam ex Græco breuior illius tantum mentionem patriarchis omnibus tacitis facit. Tertia fuſior ex Anaſtaſio, licet ex Patriarchis aliquid attigerit, ſingularem tamen habet clauſulam de Summo pontifice ſenioris Romæ (vt vocat) in quem prohibetur audacter ſententiam dici.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [212] - 152
PUBLIC DOMAIN

Si disputationem exigamus ad has tres editiones legitimas, planè concidit argumentum Launoij, quod inuictum putabat: quia sensus Canonis legitimus est censendus, qui singularem habet clausulam de Summo Pontifice. Quare si quid virium insit argumento Aduersarij, totum est à Gratiano Canonum collectore, non admodum accurato, qui priuilegio de Summo Pontifice simile de aliis inferciuit Episcopis & Patriarchis: Sed quæro an Editioni græcæ, Almayni, & Anastasij sit tribus minus standum, quam vni Gratiano: & cum nullus sit dubitandi locus, quin plures à doctis interpretibus editiones vni à Gratiano parum accurato Collectore, aut callente Græcarum litterarum præponderet; quærendum est aliud Launoio præsidium, vt argumentum fulciat, & solâ lectione Canonis responsio Caietani dissiliat.

Sed quid argumentationi ad hominem, quâ vrget Launoius Caietanum? Dat ille ius Conciliis in Pontificem dubium & hæreticum: Ergo malè negat in Pontificem reum cuiuscunque criminis, quo abdicationem tantæ dignitatis commeruerit: qualia sunt prope infinita, imo quodlibet minimum, si ad lethale peccatum accesserit. Vt hanc consecutionem, sine dubio periculosam submoueat Caietanus; cohibet iudicium intra schismatis & hæreseos metas: id est, dubiæ electionis ex contentione competitorum, aut vnius apertæ hæreseos conuicti. Si dicas hos limites gratis & immeritò præfigi; hoc non obiici debuit à Launoio, sed oportuit impugnari plurima, quibus Caietanus has metas tutatur: nec locus est hic disputandi, cum Aduersarius censuris tantum agat, nullis argumentis. Addo duo, quæ vellem à Launoio refelli.

Primum ex traditione, aliud ex ipsiusmet Aduersarij documentis. Illud quidem ita habet: nulli Pontificum dicam à Conciliis scriptam, nisi hæresis Honorio, & apostasiæ Marcellino, vel dubiæ, id est nullius electionis, quamdiu euidentibus argumentis res dirimi non potest. Huic grauissimo ex traditione argumento aliud adiungo perinde efficax ad hominem. Adeo immane & atrox visum est, & Pontificiæ dignitati infensum crimen hæreseos, vt illius compertum Episcopum Epistola 4. pagina 24. ex Iulij Epistolâ ad Faustum eiici ab vnoquoque, &

damnari posse, vt mirum non sit, quod ex Caietano Conciliis generalibus in Romanum Pontificem hæresis conuictum ius singulare comparatum est. Atque ex his dissiliunt, quæ in Caietanum congeruntur. Ad ea, quæ fusissimè referuntur de Honorij casu, nihil opus pluribus respondere, cum omnia vnâ solutione occupata sint.

PARAGRAPHVS DECIMVS.

Ex obseruatione in superiorem Epistolam breuis responsio ad Nonam.

HANC ad Claudium Santeulium scriptam Epistolam superiori adiungo, quia idem versant argumentum, hoc solo discrimine, quod sexta Epistola Aduersarios impetat Launoius, ista se tutetur.

Nam cũ duæ sint fortitudinis partes, vna imprimat, altera sustineat impetum; & potior sit ratio fortitudinis ad defensionem, quam ad aggressionem comparatæ; in aliis lacessendis audaciorem, quàm validiorem aliis Epistolis, istâ in se tutando ignauum, & debilem experiemur; non marte, sed arte hic pugnat. Suppetunt quædam opinioni lacessitæ à Launoio, ex mediâ inter primam Ecclesiæ, & nostram ætatem monumenta quibus inustæ palpatoribus Romanæ Curiæ erroris temeritatis, & nouitatis notæ elui videntur. Quid non tentat totâ hac Epistolâ, vt iis testimoniis intercedat? Pudet referre, quæ ille corrumpendis ex antiquitate monumentis sit molitus: nulla est ex Neustrio seu gentilitio cælo insita, aut longo litigandi vsu, & studio comparata fraus & solertia, quam his testimoniis eleuandis non adhibuerit.

Satius sanè fuerat dicere Ennodio Auito, & Synodis Romanis duobus ita visum, *Romanum Pontificem extra iudiciorum aleam aut Conciliorum iudicium*, sed malè, & præter maiorum morem, præter scripturarum auctoritatem: sed maluit litigare, & falsis interpretationibus tria testimonia deprauare. Rem & disputationis statum paucis perstringo: Concilij Romani sub Symmacho

Papâ, Episcopi à Theodorico Rege, aut verius Tyranno Italiæ, & Arriano aduocati, ad Symmachi apud ipsum ab æmulis atrocium criminum læsæ-Majestatis accusati causam iudicandam, duo contestati sunt: primo malè indictum Concilium ab illegitimâ potestate principis sæcularis & hæretici, quod non posset, nisi ex ipsiusmet rei iudicandi nomine congregari: sic enim sancta Synodus: *Memorati Pontifices suggesserunt ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum conuocare; scientes, quia eius sedi primum Petri Apostoli meritum, deinde secutâ iussione Domini, Conciliorum venerandorum auctoritas, singularem in Ecclesiis tradidit potestatem, nec antedicta sedis Antistitem minorum subiacuisse periculo.*

Meminit forte Aduersarius illud Virgilianum sibi obiiciendum,

Vane ligur nequicquam patrias tentasti lubricus artes

Duo relatis verbis iura Papæ vindicare videntur Patres Synodi: primum congregandi Concilia, idque ex triplici capite confirmant: ex primatu Petri, ex institutione diuinâ, & auctoritate Conciliorum; alterum, quod inde consequitur ius immunitatis à minorum iudicio, id est, vt contextus videtur præferre, ab ipsomet Concilio; sed pessimè habent Launoium iura hæc, quibus conuellendis nihil non molitur.

Primo incusat Patres, quod nullo Theologiæ, id est Scripturæ, & Traditionis, nullo iuris Ecclesiastici principio, congregandorum Conciliorum, Summis Pontificibus asserant authoritatem Hic nolim disputare, probéne, an secus Synodus senserit; sed an re vera crediderit hæc duo ad Episcopum Romanum pertinere. Quoad primum ius licet liberalior in principes sæculares etiam hæreticos, quam in summos Pontifices Catholicos, istis auferat, illis vindicet ius congregandorum Conciliorum: hic tamen quasi puderet adeò enormis erroris, eo disputationem reuocat, *an nullo vnquam euentu possit Synodus & similis quâ de agitur, præterquam à Romano Pontifice congregari.* Sed quidquid sit de hac metaphysicâ hypothesi, satis est ius statum & ordinarium ad successores D. Petri spectare.

Sed hâc controuersiæ parte breui expeditâ, grauior impendet de alterâ ſpecie iuris, quo Romanæ ſedis Antiſtitem negat Synodus minorum ſubiacere iudicio: Launoius pagina 4 contendit, minorum nomine, intelligi ſenatum, clerum, populúmque Romanum, à quibus perperàm ait tentatum iudicium in Summum Pontificem Symmachum, quem tamen negat ſubduci poſſe à iudicio Epiſcoporum, quos Symmachus, eiuſque ſucceſſores, *Collegas*, *Fratres*, *Conſacerdotes*, *Comminiſtros*, vocant. *Hanc ait veritatem argumenta non quærere*, ſed tantum oculos, qui Eccleſiaſtica legere poſſint monumenta, vbi vel oſcitantibus, vel dormientibus id occurrat.

Sed mira promittit Launoius, & modica, aut verius nulla præſtat. Conſpicuæ veritati, quæ argumenta non quærat, probandæ tenebras ingerit, & Auerrois inſaniam ſingularem, intellectum, ſeu numero vnum per omne humanum genus diffuſum & impartitum ſomniantis, in Eccleſiam inducit, conſtitutâ vnitate de ſingularitate ſacerdotij, quod inæqualitatem graduum non patiatur: id eſt, pares authoritate Epiſcopos Summo Pontifici faciat. Quidni ſe ipſum, & ſingulos ſacerdotes, eâdem conſecutione Epiſcopis exæquet? Cum vnum per diuerſos Antiſtites, id eſt, ſacerdotio initiatos ſit ſacerdotium, minus diſtinctionis patiens, quam indiuidualis vnitas, ex Auerrois inſomniis, per omnium indiuiduorum generis humani infinitam multitudinem & ſeriem, ſine partitione diffuſæ rationalis animę.

Sed argutatur Aduerſarius, Synodi Romanæ Epiſcopos Symmacho non dixiſſe, *iudices tui non ſumus*: nec Symmachum Concilij præſulibus, ſe ab illorum iudicio liberum & immunem eſſe denuntiaſſe; nec Theodorico obiectũ in alienam meſſem falcem miſſiſſe, ſacrilegâ manu thuribulum attentaſſe, & auctoritatem congregandorum Conciliorum Pontificibus Romanis eximiam ſibi arrogaſſe. Ita eſt: ſed quid illo ſilentio euinci putat? Omnia, quæ probanda ſuſcepit. Ita eſt apud illos, quibus argumenta negatiua omnium loco ſunt demonſtrationum: quamquam nec ſilentium ſeruaſſe, ſed omni tubâ vocalius, & altius obrupiſſe cenſendi ſunt Patres, & Pontifices memorati, relatis verbis, quibus vtrumque

sus à Launoio controuersum, tribus argumentis videntur asseruisse.

Quod ad Symmachum attinet; silentium post has voces meritò putauit sibi tutum fore, satisque suæ authoritati cautum intercessione totius Concilij, cui si suam apud Theodoricum adiunxisset, visa fuisset intempestiuior, quasi conscius criminum, quibus grauabatur, iudicium detrectaret, magis metu pœnæ, quam prærogatiuâ Sedis. Adde Auitum, quem tertium testem aduocat Launoius omni exceptione maiorem, amouisse omninò periculum, quod fingit, vt inde aliquod argumentum arripiat; sic enim scribit ad Faustum, & Symmachum Senatores Vrbis, quorum nomine totum Senatum, populum, Clerumque Symmacho infensissimos, eiusque accusatores, non iudices, vt fingit Launoius eleuandis & eludendis aduersæ sententiæ argumentis, ita compellat.

Perlata est sollicitudini nostræ ex Italia in exemplaribus sacerdotalis forma decreti quam de Papa Symmacho, apud Vrbem collecti, Italia Antistites ediderunt: quam constitutionem licet obseruabilem numerosi, reuerendique Concilij reddat assensus; intelligimus tamen Sanctum Symmachum Papam, si sæculo primùm fuerit accusatus, Consacerdotum suorum solatium potius asciscere, quam recipere debuisse iudicium. His verbis maximè postremis, Auitus, omnésque Galliæ Episcopi vnius calamo, & ore loquentes, Aduersarij machinas, & technas dissoluunt.

Quis enim primum non videat, cuius meminit Auitus iudicium, non ad Senatores, sed ad Consacerdotes Symmachi pertinere: *à quibus*, ait, *solatium*, id est, innocentiæ testimonium asciscere oportuisse, non debuisse, iudicium recipere? Cur ista? Quia ex mente Patrum synodi, non putabat *Primæ Sedis Antistitem minorum subiacere iudicio*. Et cum Aduersarius hæc dicta interpretatur pagina 18 de modo iudicandi, quem improbat Auitus, non de re, id est de iudicio disputare: hæc thesis controuersa est, non tua vlla probatio. Quia ais tantum, non confirmas: sicut nec vim argumenti habent quæ subiungis, de silentio Symmachi, quod mirari potius debueras, quam trahere in noxam Pontificiæ auctoritatis.

Neque enim poterat quidquam prudentius, aut san-

ctius facere præsertim, cum eius nomine, aut saltem causâ, satis interceſſiſſet tota Synodus poteſtati ſacrilegæ Theodorici illotis manibus ſacra attrectantis. Patrum Concilij voces, Auiti Epiſtola explicatæ, non exigebant, vt Symmacho conteſtarentur, *iudices tui non ſumus, te ipſum iudica, &c.* quia ſub Tyrano Arriano quò breuior, eò efficacior & opportunior aſciſcendo inſonti Papæ ſolatio erat illorum conteſtatio; debuiſſe accuſatum conuocare ſynodum, nec iudicio ſubiacere: ex hâc enim reſponſione prudens lector intelligit, quo paucioribus rem magis perſtringebat, eò validius Aduerſarij diuinationes potius, quam argumenta refellere.

Nec felicius ſeſe expedit Launoius à ſecundo teſte, quem ipſe inducit, ab Ennodio inquam Papienſi Epiſcopo, qui Apologiam pro Symmacho, & ſynodo edidit, contra libellum hoc titulo inſcriptum, *Aduerſus ſynodum abſolutionis incongruæ*: Patrum vero interceſſionem his verbis confirmat: *Aliorum fortè hominum cauſas Deus voluerit per homines terminare.* Sedis iſtius præſulem ſuo ſine quæſtione reſeruabit arbitrio: voluit Beati Petri Apoſtoli ſucceſſores cælo tantum debere innocentiam, & ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inuiolatam exhibere conſcientiam. Eam, quæ Patres pronuntiarunt, ipſe effert, & interpretatur apertius, & elegantibus verbis, quantum patiebatur illa ætas, cuius Ennodius Demoſthenem, & Tullium agebat.

Vitilitigat Aduerſarius, eum, qui ſcribit pro ſynodo & Papa, ſupra ſynodum & Papam ſapere non debere; quod putat factum, ſi poſtrema verba, vt ſonant, intelligantur. Sed meliùs Launoio mentem ſuam nouerant Patres ſynodi, quibus vt ſcribit Sirmundus ſuis ad libellum pro ſynodo notis, adeo probatus eſt liber, *Vt eum ſynodus altera, quâ poſt conſulatum Auieni habita eſt, ſuffragio ſuo confirmauerit: atque inter quartam & quintam ſynodos Symmachianas collocari, decretique vim obtinere iuſſerit.* Hæc validè præcludunt Launoij argutationes.

Hæc ſcripta ab Ennodio in Galliâ, aut Liguriâ nato, tum tantum triginta annorum minus callente rerum Eccleſiaſticarum & ignaro, quid actum fuiſſet in causâ Damaſi, & Sylueſtri eodem, quo Symmachum ac uſationum genere appetitorum, à quibus ſe apud Impera-

torem purgare non detrectarunt: nihil horum nesciebat Ennodius, sed non sentiebat cum Launoio, iis, quæ de Damaso, & Syluestro refert, pugnare intercessionem Concilij pro auctoritate, & innocentiâ Symmachi, cui à se ascitum volebant calamitatis solatium, & innocentiæ testimonium, non latam in obnoxium sententiam. Summæ profecto fuisset imprudentiæ, iunioris Oratoris declamationes voluisse insertas synodi decretis, quæ magis sensu, quam stylo, ab illius sententiâ abhorrerent.

Hic Launoio Rethoricâ opus est, ad purgandum, quod Synodo factum imputat: nullâ cautelâ, nullâ castigatione adhibitâ, decreuisse, vt Ennodij Apologia inter acta reponeretur, ne quidem his verbis exceptis, quibus Launoius putat nedum sua, sed etiam omnium Conciliorum decreta labefactari. Quis ista capiat? Solus Launoius: quem, boni consulam suo sensu abundare, eâ lege, vt patiatur, de his suo quemque frui.

Quid contra tertium testem possit excipere, Auitum dico, nomine omnium Galliæ Episcoporum loquentem? Qui nedum superioribus assentiant, sed quas Launoius ipse eorum verbis assuit, interpretationes dispellant: Nam imprimis non suo tantum, sed totius etiam Ecclesiæ Gallicanæ sensu, & nomine ista scripsisse apertis his verbis Auitus testatur. *Quamprimum supplici prece posco, ne celeberrimo Ordini vestro pagina hæc aliquod moueat, quasi ab vno dictata fastidium: quoniam à cunctis Gallicanis Fratribus meis, ad hoc ipsum, non minùs per mandata, quam per litteras oneratus, quacunque à vobis omnes ambimus, vnus suggerenda suscepi.* Quid vero nomine totius Eccclesiæ Gallicanæ Senatui, Clero populóque Romano referendum habeat, supra retulimus. *A synodo Romanâ solatium symmacho ascitum, non constitutum iudicium, in lacessito Episcoporum vertice nutare omnium statum.*

Hæc putat dissolui Launoius distinctione iam insinuatâ, modi iudicandi, & iudicij: istud probatum ab Ecclesiâ Gallicanâ, damnato altero: sed qui Caietano *argutiarum fœtorem* improperabat, viderit ne ipse in eodem, & graueolentiori luto profundiùs infixus hæsitet: nec enim more Caietani, suam distinctionem aliquâ luce aut

eruditione locupletat, contentus nudis verbis modum, à iudicio; huius probationem, ab alterius damnatione diuisisse.

Sed quâ ratione, ait, Patribus Synodi Auito, & Ennodio probatum iudicium illud, quod à capite ad calcem damnabat, quia à Rege, à Tyranno, ab Arriano indictum est, in hominem suæ permissum, nulli humanæ potestati obnoxium? Eoque collimat Auitus, ita certo & indeflexo verborum, & sensus tenore, vt nulla vi & arte Launoij alio detorqueri possint. Hoc enim sine dubio significant relata ex ipso verba: dum ait, *in lacessito vertice nutare omnium statum, quos vna criminatio percussura sit sine inuidiâ multitudinis, si statum principis obruerit.* Id est, nihil fore tutum ab aleâ iudiciorum, abrepto præter morem ad iudicium eo, qui nulli, nisi diuino subiiciebatur.

Hunc sensum quæ sequuntur verba confirmant, *non datur facile intelligi, quâ ratione vel lege ab inferioribus eminentior iudicetur.* Gratis vero, & præter Auiti mentem interpretatur Launoius hoc, sicuti superius synodi dictum de Senatu, Clero, populóque Romano, in Symmachum contumacibus: neque enim Iudicum, sed accusatorum apud Principem & synodum partes egerunt; nec nisi magnâ horum vocum corruptelâ dici potest Symmachus à testibus, & actoribus perperam indicatus, quia nullâ lege cautum est, *ne eminentior ab inferioribus accusetur.*

Eò etiam spectat Auitus, argumento quod vocant, à Minori ad Maius: si ex præcepto Apostoli accusatio in Presbyterum recipi non debeat; quis non abhorreat in Summum Sacerdotem, & in caput Ecclesiæ tentatam sententiam; inde etiam Synodo fere succenset, quod in Symmachum inquisierit: id enim significant hæc verba. *Quod Synodus ipsa venerabilis, laudabili constitutione prospiciens, causam, quam (quod saluâ eius reuerentiâ dictum sit:) pene susceperat inquirendam, diuino potius seruauit examini. Perstringens tamen prout breuiter potuit, nihil vel sibi, vel glorioſissimo viro Theodorico Regi, de his, quæ Papæ dicebantur obiecta, patuisse.* Videtur iudicium à Synodo susceptum excusare solâ charitatis, & humanitatis

humanitatis lege, quæ iubet afflictis, & insontibus succurrere.

Ad consequentias Launoij verè inconsequentes, inde effici Synodum Papam sibi obnoxium agnouisse; quod eius causam diuino iudicio permiserit, nihil Respondeo: quia mihi sunt occultiores, quam iudicibus culpæ Symmachi diuino iudicio permissæ. An non sentit hæc dicta à Synodo, ne videretur, cum maximo Ecclesiæ periculo, Theodoricum famæ & boni Principis studiosissimum damnare, & apertâ innocentiæ Symmachi sententiâ, in se, & in omnes Catholicos, callidissimi & Arriani Tyranni iram accendere; quasi insontem nullius etiam occulti peccati, vel minimè suspectum in discrimen capitis vocasset?

Bonifacij secundi retractantis, quod obtenderat ius sibi defuncto successorem sufficiendi, consilium laudo: Sed quid ad causam faciat, aut quo pertineat, non intelligo. Gregorij primi exemplum ab omnibus corripi, & emendari animo parati, & optantis humilitatem, & modestiam commendat: sed hoc nihil ad thesim de iudiciariâ castigatione, nisi tot velit Summis Pontificibus iudices constituere, quot debent, aut possunt fraternæ charitatis officium præstare, quod omnibus licet, & à Christo iniunctum est Adrianus secundus non detractauit, nec rescidit sententiam sextæ Synodi in Honorium decessorem, latam ob hæresis crimen, in quod si contingeret Summum Pontificem prolabi, à prærogatiuâ Sedis Apostolicæ ex Caietano monuimus esse casurum.

Ad finem disputationis hanc à Launoio æquitatem efflagito, vt minus acerbe in eos qui à se de Primatu Petri dissentiunt, & moderatius agat, remittátque erroris, (aut si id à se obtinere non possit;) saltem noui erroris notam; cum quantâ, quantâ valet loquentiâ & subtilitate, ab Ennodij, ab Auiti, & eorum, qui in Galliâ tum florebant, Episcoporum, & à Patrum, qui duas Romæ Synodos generales habuerunt, non potuerit sententiâ, adminus probabilitatem aliquam abstergere. Eos omnes in hunc errorem consensisse patiar à te errorem vocari: dummodo hoc condones, ne Bellarminus, Baronius, Caietanus, aliique plures noui erroris quasi cuso-

res audiant. Atque hoc nomine quasi palpatores Curiæ Romanæ traducantur, cum præsidio Antiquitatis non destituantur.

PARAGRAPHVS VNDECIMVS.

Obseruationes in Epistolam quartam Paulo Ratuyno scriptam, & in duas postremas.

QVARTA Epistola eodem, quo duæ omnium primæ responso refellitur. Duodecim, quæ refert, & expendit sigillatim Launoius testimonia ab Vrbano IV. Diuo Thomæ missa, vt post serium examen ad se referret, quem sensum facerent, verumne ac Catholicum, an falsum, & erroneum; non quo sensu authores ea protulissent. Neque enim sapientissimus, & æquissimus Pontifex impossibilia præcipiebat: & cum testimonia libello contenta non meminissent sigillatim locorum & capitum, sed vniuersim notarent libros & authores, vnde deprompta significabantur, nec illa volumina nisi græca lingua sancto Doctori ignota, vel omnino non extarent, inique exegisset Pontifex si voluisset ad se referri sensum Auctorum, quos consulere non posset.

Quid igitur sanctus Doctor? De singulis mentem suam aperuit, testatus sibi visa vera & Catholica, semotis iis, quæ falsi aut erroris suspecta, aut comperta legerat. Quid ergo compendij ex longo horum testimoniorum examine captat Launoius ad suam causam? Putátne plagij conuictum D Thomam, quod citata testimonia iis non extent libris, vnde exscripta dicebantur? Non fuit hoc illi Pontificio imperio iniunctum, nec sibi assumpsit, quia nec potuit, nec debuit illud examen obire iis de causis quas iam retulimus. Si velit in hæresim lapsum, quòd illis assensus sit, quasi certis dogmatibus, hæresim non detrectabit.

Et si ipse quæras vera ne sint huiusmodi testimonia, aut Catholica fide credenda, vel damnanda; duo respondeo, nullius erroris Diuo Thomæ fuisse suspecta, neque Launoium vlla ratione verisimili id probasse, seu ipsa causa hoc non patiatur, seu qui hoc munus susce-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [222] - 162
PUBLIC DOMAIN

pit, eo male sit defunctus. Aliud addo, si quæ his testimoniis asseruntur, licet non extent aut legantur apud illos auctores vel libros, quibus adscribuntur, eo saltem tenore verborum, quo citantur, non facere rem indubitatam, sed non deesse ex eisdem, vel aliis auctoribus loca, quæ ista confirment.

Vnus Bernardus omnia complexus est relatis ex secundo de Consideratione Libro verbis, & vt cæteros obmittam, de his differit Cardinalis Peronius libro primo Replicæ ad Regem magnæ Britanniæ capite 25 & 26. eâ eloquentiæ & eruditionis copia, vi, & vbertate, vt in his duobus capitibus refellendis Blondellus in historia Ecclesiastica hæreticorum doctissimus ingenti volumine post octodecim annos ab obitu Perronij edito allaborarit, &, vt credibile est, toto eo tempore elucubrato; vt non credat Launoius se vna aut altera Epistola falsi, & erroris hæc testimonia conuicturum, vt quisquis contra senserit, fidem cum fronte amisisse iure pronuntiare possit.

Communis opinio est Abbatem Sancyranum, antequam in arce Vincenna detineretur, meditatum, & aggressum etiam vindicias Cardinalis Perronij aduersus heterodoxorum plures, qui in virum iam mortuum insurrexerant, vlturi quas viuus sibi plagas inflixerat, & suscepisse defendenda quæ Cardinalis immortalitate dignus scripserat de Eucharistia, & de primatu Petri ab hæreticis maxime lacessita. Id cum obaudisset Cardinalis Richelius, fertur ad id opus, quem currentem putabat, incitasse, & pollicitus si inchoatam apologiam vellet prosequi, curaturum, ne quidquam librorum, & subsidiorum deesset, quæ ad absoluendam vellet, aut forent necessaria; sed excelso animo responsum à Sancyrano non conuenire Ecclesiæ dignitati, illius caput, & mysteriorum maximum ab homine accusato, qui sui iuris non esset, defendi.

Non est dubium, quin vir acerrimi ingenii, & profundissimæ eruditionis hoc operæ pretium molitus, totus à Launoio diuersus fuisset, quia Blondellum Peronio infensus sectari videtur; & si voluisset, poterat multa ab illo mutuari; id feciisse crediderim, quamuis non ausim asserere, quia Blondellum obiter tantum attigi,

Verum certus ſum vbique à Perronio diſſentire, & ſtare à Blondello. Infinita vno capite Cardinalis complexus eſt argumenta, & ne longius abeam ab huius Epiſtolæ examine, à damnatione Chryſoſtomi ad Innocentium appellantis; illius capitis pagina 100. plurima depromit argumenta pro primatu Petri, & Sedis Apoſtolicæ, quæ Launoius totis viribus hac Epiſtola nititur eleuare iiſdem cauillis, quos Perronius validiſſime depellit, quales ſunt Chryſoſtomum non ad Innocentium, ſed ad Concilium generale appellaſſe, cuius congregandi, cum nulla ſpes alluceret, appellaſſe indiſcriminatim ad omnes Occidentis Epiſcopos, & quas ſcripſit, & quæ extant ad Innocentium Epiſtolæ, quibus rogat, *vt reſcindat* contra ſe acta præter leges, ex Palladio Dialogo de vita Chryſoſtomi poſt finem hæc ſubnecti *ſcripſimus & iſta ad Venerium Mediolanenſem & Chromatium Aquileienſem Epiſcopum*, nec conqueſtum de Chryſoſtomo Innocentium, quod prius ad Synodum generalem, & eodem tempore, iiſdemque Epiſtolis, ne mutato quidem apice, ſolâ variatâ inſcriptione nominum, ad quos litteræ mittebantur, ad illos appellaſſe.

Hac vero ex Palladio vocula *ſcripſimus iſta ad Venerium*, in qua totum ſuæ cauſæ præſidium ponit, ita exultat & triumphat, vt pagina 27. omnibus à ſe diſſentientibus his verbis inſultet, *hic exorietur variarum diſtinctionum Theſaurus, quarum auxilio perſpicaces & acuti homines ſibi videntur efficere, vt & dictum & factum ſit, quod nec dictum nec factum eſt, &c. vt fuerit quod nunquam fuit, &c. vt quod non eſt, nec forſan eſſe poteſt eſſe incipiat, & figmento applaudatur ab imperita plebe:* & poſt alia eiuſdem furfuris concludit, *ex propriis monumentis, non ex alienis Apoſtolicæ Sedis authoritatem defendimus, & periculoſis Romanæ Curiæ aſſentatoribus veram ac ſimplicem illius Sedis traditionem vt murum aheneum opponimus.*

An non miraris, Lector, verba hæc ſupra Plautinum militem ventoſa? Duo aut tria attendas velim, cuinam tot dicteriis inſultet, non Cardinali Bellarmino, qui ieiune admodum & obiter hoc ex Chryſoſtomi appellatione argumentum attigit, ſed Cardinali Perronio, qui

totis illud viribus vrget. Sed vndenam tanta fiduciâ & inuictissimo religionis athletæ insultandi audacia? Iam monui ex hoc vno Chrysostomi apud Palladium verbulo *ista scripsimus ad Venerium*, quo reperto crediderim quasi alterum Archimedem vix sui compotem, reperta quam anxiè quærebat, demõstratione Mathematica, abreptum per plateas concursasse hac voce εὕρηκα reperi telum quo Perronium, omnesque Romanæ Curiæ palpones confodiam.

Ad huius exercitationis calcem non prætermittam, quod exordio, & progressu lectionis harum Epistolarum passim obseruaui, Launoii panopliam duplici armorum genere constare, immeritorum conuiciis quos atrociter lacerat, & argumentis negatiuis aut debilissimis, quæ deuinationis aliquid habeant, vix ad coniecturas accedant, quas vult nos habere demonstrationum loco, & sibi parendi & assentiendi necessitatem indicit. Hoc scriptionis genere quandam videtur affectare Dei *Omnipotentiæ*, sicuti loquitur Augustinus, *tenebrosam similitudinem* vti apud Deum tota ratio facti est virtus facientis', & soli nihilo inædificatum orbem tribus digitis appendit, & ex Propheta Regio fundauit terram supra suam, id est nihili stabilitatem, operaque gratiæ aliqua creationis similitudine peragit, & nihil nisi forte pœnas commeritis veniam, aliaque infinita dona largitur. Non longe videtur Aduersarius à præpostera hac imitatione rerum & operum Dei, quæ mirari conueniat, non affectare, aut æmulari omni virtutum genere celeberrimos viros non desinit incusare supinitatis, ignorantiæ, negligentiæ, adulationis.

Nullum scriptoribus, maxime historicis vitium grauius potest obrepere, aut improperari, quam quod obseruauimus Launoium septimæ ad Sambœuuium Epistolæ pagina 24. impingere Baronio Annalium Ecclesiasticorum parenti, ipso immensi ac prope infiniti operis limine, proposito sibi fine & scopo non inquirendi & narrandi veri, sed Romanis Pontificibus adulandi, quam dignitatem suffragiis purpuratorum Patrum sibi iam impendentem totis viribus diu eluctarus & amolitus est & hic, si superis placet, inter Summorum Pontificum Launoij suffragio palpatores primus repo-

nendus Annales scripsit, quas hac sua censura, quasi delapso è monte lapide Babylonicam statuam omnino euersurum se putat, forte heterodoxis gratificaturus, sufficiat centurias Magdeburgensium. Annalibus Baronij meliores quod longius à Romanorum Pontificum adulatione, quam ab aperto odio absint.

Immanitatem huius calumniæ, si vlla maior & iniquior fingi queat, auget futilitas accusationis: inde enim suspectum, aut verius compertum adulationis notat Baronium, quod Epistolam millies obtrusam Ambrosio abdicatam neglexerit quærere, à quo esset auctore, veritus, ne si Damaso & Siricio ascriberetur, iura Sedis Apostolicæ ab ipso asserta euerteret: cum tamen si sepositio omni peruerso affectu in Sedem Apostolicam, legatur, nihil prorsus detrahat Romanorum Pontificum auctoritati; sed argumento tantum sit luculentissimo, qui ista scripsit Pontifici summam affuisse, & omnibus necessariam esse tanto muneri administrando æquitatem, quæ amplissimæ potestati moderaretur. Viderit Launoius, an inde iustam habuerit causam, tantum dedecus Baronio, & adeo atrocem eius Annalibus noxam importandi.

Nec æquior est in Perronium Gallicana Ecclesiæ decus æternum, qui præter cætera in Ecclesiam merita prope infinita infortunium & dedecus Possiaci colloquij fœlicitate Fonte-belleaci reparauit & deleuit: hunc vero perpetuo in his controuersiis silentio videtur abiicere, quasi sal adulatione infatuatum, quod adnihilum valeat vltra, nisi vt mitteatur foras, & conculcetur ab hominibus. Non potuit occurrere luculentior, aut opportunior locus viri cum laude memorandi, aut argumentis refellendi, quam hac quartæ suæ Epistolæ ex Palladio annotatione. Chrysostomum illa, quæ ad Innocentium scripserat ne mutato quidem apice, sed sola inscriptione Epistolæ variata monuisse Venerium Mediolanensem, aliosque Occidentis Episcopos se præter Canones & leges Ecclesiæ damnatum singulorum auctoritate, qua æquo iure valerent, absoluendum esse & restituendum.

Hunc Aduersarij cauillum validissimè Perronius loco citato deiecit, demonstrauitque harum *vocularum scripsimus, & ista ad Venerium, &c.* sensum esse eorum

quæ in se perperam gesta erant præter Innocentium, alios Episcopos certiores fecisse suis Epistolis, vt cuiusque dignitati & gradui conueniebat, non tamen eâdem verborum formulâ, nec omnes rogasse vti Innocentium *ne confusio hac omnem, quæ sub cælo est, nationem inuadat, obsecro, vt scribas, vt hæc tam iniquè facta, & absentibus nobis, & declinantibus iudicium non habeant robur, sicut nec natura sua habent.*

Et dum Aduersarius contendit eundem prorsus fuisse tenorem Epistolarum Chrysostomi ne mutato quidem apice, atque inde depromit argumentum, quo gloriatur se *variarum distinctionum Thesaurum exhausisse, &c.* præter quod ista magis meram diuinationem, quàm vllam legitimæ argumentationis speciem resipiant, vt taceam quod iam monui, illum disputationes suas solere rebus nihili astruere, malè mihi omninò videtur de Chrysostomo meritus quod virum inexaustæ eloquentiæ, & vbertatis ingenij infinitæ suo modulo metitus sit, quasi præ nimia siccitate, qualem ipse præfert, non potuerit stylum, formamque Epistolarum, sicut nec ipse suarum variare, cum hoc mediocri volumine pluries Epistolam Syriaci & repulsam Marcionis obtrudat, & Argumenta repetat nulla figurarum, aut rerum varietate iornata. At toto cœlo aberrat, si Chrysostomum crediderit aliqua sui similitudine eadem pluribus solanominum mutatione scripsisse, quoad cætera nequidem apice mutato. Atque huic quasi fundamento immoto astructis argumentis à se dissentientes damnat, quasi cæcos aut deformi obsequio palpatores: hoc scribendi genus, si veris agere liceat, ariolari & conuitiari, aut quiduis aliud quam disputare dixeris.

Sed parum est leuibus argumentis quasi inuictis demonstrationibus fidere: quid grauius in disputandi leges peccat. Nam vt causæ inseruiat, aut vt difficultates sibi insuperabiles declinet, nihil est adeo absurdum, quod refugiat. Synodi Romanæ sub Symmacho, quam Sirmundus palmarem ait cognominatam, referente ipsomet Launoio Epistola 9. Patres iura Sedi Apostolicæ singularia, ex triplici fonte, à primatu Petri, ab institutione diuinâ, à sanctionibus Conciliorum repetebant, quos Bernardum secutum supra audiuimus; & Petro-

nium pluries indicauimus idem argumentum eloquentissimè versantem. Verum Launoius nihil ista moratus primæ Epistolæ pag. 25 an ex crassâ insciti â, an fraude nolim iudicare, sed differendi ratione perito, aut sincero Theologo prorsus indigna, Leonem IX. & Nicolaum I. adeò stolidos, suorumque iurium ignaros facit, vt ille suæ sedis auctoritatem vni Constantini gratiæ & donationi, alter abdicationi Polychronij Hierosolymorum Antistitis, qui nunquam extiterit, ascribant; & his tantum duobus ambo referant accepta.

Sed audi ridicula magis, aut pejora; nullum contendit ius Sedi Apostolicæ diuinâ institutione conuenire, cuius eodem gradu singuli Episcoporum, immo & Sacerdotum (cum vnicum velit esse Sacerdotium) non sint consortes: idque putat demonstrari Epistolâ Iulij Pontificis ad Faustum IV. suæ pagina 24. relata his verbis; *Euphemium verò miror, si ignorantiam suam ipse non perspicit, qui dicit Acacium ab vno non potuisse damnari.* Atque hic statuit Chrysostomum Orientalium Episcoporum Synodo, cui intererant, aut assensi fuerant Epiphanius, Cyrillus, aliique plures sanctitate celeberrimi ius absoluendi seu cognitâ, seu indiscussâ causâ fuisse non solum penes Innocentium (quod ab ipso factum vix negare poterat,) sed penes minimum Ecclesiæ Occidentalis Episcopum, & Sacerdotem, quia omnes paris sunt ex Launoio cum Summo Pontifice institutione diuinâ authoritatis, & si quæ sint iura Ecclesiasticæ potestatis, quæ Episcoporum singulis citra impietatem, & insaniam nequeat asserere, quale est munus congregandi Concilia, quod nec etiam ipsismet Conciliis vindicare magis potest, quam vlli creaturæ sese producendi facultatem. Ne hæc prærogariua à Conciliis, & singulis Episcoporum excluſa cedat Episcopo Romano, ad principes laïcos Epistolarum vltima contendit pertinere, nequidem exceptis hæreticis: cum Synodum Romanam Symmachi causâ congregatam non sit causatus illegitimam, quamuis à Theodorico Arriano Italiæ Tyranno indictam voluerit.

Quid nos ad ista? vt paucis mentem meam aperiam, dico me non mirari Epistolæ septimæ pag. 23. interpolata Pij II. ad Carolum VII. Epistolæ verba, & loco

detractorum Sedis Apostolicæ vt mens Auctoris, & genuina lectio habet, ab Aduersario suffectum τὸ *Doctoribus* vocabulum. Vti enim aliàs de Theophilo obseruaui, Launoio hunc locum legenti idem prorsus accidit, quod solet camelo profluens lympidum trananti, aut cbibenti, vt vel aquam conturbet, vel in rabiem agatur, quod turpissimum sui aspectum, quem aqua pellucida subiicit, ferre non possit. Relatis Pius II. verbis videtur graphicè Aduersarium deformasse, & delineasse. Verissimè enim detractoris Sedis Apostolicæ, nomen à Pontifice positum, aut grauius, eum commereri dixeris, qui omnia iura Ecclesiastica paria velit; sacerdotibus singulis ex institutione diuinâ, & vnitate impartibili sacerdotij, aut si quæ nequeant ad singulos sacerdotum, aut ad Concilium pertinere, vindicet sæcularibus & hæreticis, ne reliqui quidquam faciat Petri successoribus: Sed cum sui imaginem paucis his verbis subiectam ferre non posset; in illam exarsit, & inauditâ interpolatione corrupit; quasi non ad se, sed ad Perronium, ad Baronium, ad Bernardum, aliosque ex institutione diuinâ plurium Sedis Apostolicæ iurium vindices referretur.

Præter communia his omnibus conuicia Palpatorum Sedis Apostolicæ Bellarminum epistolâ decimâ lacessit, & arguit supinitatis, quod elumbi, vt loquitur, disputandi modo originem controuersiæ de potestate Pontificiâ cum Conciliorum authoritate collatâ quasi recentem repetat à Concilio Pisano anno 1409. sub Alexandro V. quam vult ipse longè antiquiorem fuisse: Arguit etiam malæ fidei & fraudis, quòd Doctorum pro Concilio contra Pontificem stantium imminuërit numerum: cum infiniti suppetant, pauciſſimos recensuerit. Videtur hâc censurâ aduersarius cum Amesio Caluinistarum in Hollandiâ Magistro vindice conuenire, qui in Bellarminum scripsit controuersiarum volumen hoc titulo *Bellarminus Eneruatus*, quod in elumbis nomen recidit à Launoio impositum fortissimo Catholicorum Athletæ. Sed quid peccauit, quòd nouam dixerit quæstionem Bellarminus à nullo Patrum, aut Theologorum constitutam, aut agitatam? Nihil hâc obseruatione verius esse demonstrant omnium Scholasticorum quotquot ante

illud Concilium libri editi ſuperſunt, in quibus ne verbum quidem legas de hac controuerſiâ, non tacituri, ſi res ad diſputationem vocata fuiſſet, cum Scholaſtici minuta etiam quæque accuratè proſequantur.

Monſtret Launoius antiquorum monumentorum indefeſſus, & diligentiſſimus Scrutator apud Albertum Magnum, Alenſem, D. Thomam, cæteroſque Theologos comparationem ſummi Pontificis vſquam initam cum Concilio Acephalo, id eſt à capite ſeiuncto, nec Pontificis nomine congregato, nec definitione confirmato, nec per ſe, aut per Legatos celebrato: oſtendat an collatione, & diſputatione ſic conſtitutâ vllus Theologorum expreſſis verbis definiat, vtra, vtri præſtet duorum auctoritas. Cum igitur hac de re altiſſimum fuerit apud antiquos ſilentium, cur elumbem vocat diſputandi rationem Bellarmini, quod à Concilio Piſano ortam velit controuerſiam; cum nullum afferat monumentum diſputationi elumbi refutandæ eâ Synodo antiquius?

Hanc nouitatem nititur depellere ingeſtis, & millies repetitis ex Epiſtolâ Pij & Siricij teſtimoniis, aliiſque id genus, quæ ſingulis eius Epiſtolarum paginis occurrunt: atque hoc repetitionum vſu ſibi familiariſſimo, magnam à ſe probi ſcriptoris partem laudum abrogat. Quis enim legat, aut ferat toties eadem ſcribentem (& quod caput eſt) quæ nihil ad rem faciant, in quibus nec antiqui, nec recentes viderint quæ lynceis oculis ſe ſolum introſpicere gloriari poſſit? Latebat fortè hæc, quæ Bellarminum, pluresque alios effugit controuerſia aut aſſertio in his locis, quæ refert, velut ignis in ſilice, nec potuit inde emicare, dum ipſe ſummi ingenij ſubtilitate, cui conſpicua, quæ clam reliquos mortalium ſunt, admotâ velut è puteo Democriti hanc veritatem eliceret.

Nec iuſtior eſt altera reprehenſio, ex priore conſecuta, fraude, aut nimiâ negligentiâ Bellarmini, diminutè recenſeri Doctores, qui pro Concilio ſtant contra Summum Pontificem, quos longa ſerie innumeros, refert Launoius. Sed Bellarminum defendit mos receptus in ſcholis, & apud Scriptores, eos tantùm recenſendi, qui ex profeſſo libris editis rem tractarunt. At quos

conqueritur Launoius omissos (si duos excipias, Cartusianum, & Maiorem, quos tacitè notauit Bellarminus) cæterorum nullum vsus disputandi exigebat, aut patiebatur nominari. Vide Launoi quâ prudentiâ res tuas peragas; graues illustrium virorum reprehensiones temerè susceptas, nihilo meliori progressu vrges, & prosequeris. Bellarminum carpis, quòd detraxerit de numero Scriptorum, qui stant pro Concilio; & accusationem ordinis à Ioanne Victorino, qui memoriale historiarum scripsit nondum editum. Subjungis omissos Barones Galliæ apud Mathæum Parisium, qui aliquod verbum hac de re mussitant. Non est exordio fœlicior processus; & ridiculus essem, si excusandæ Bellarmini negligentiæ decurrerem alios, quos pro hac sententiâ possis fortè in numerum testium inducere, non Scriptorum, aut Theologorum, quos tantum citare potuit, aut debuit Bellarminus.

Hinc facile agnoscas, nullos magis iustis reprehensionibus obnoxios esse, quàm cusores reprehensionum: idque exemplo confirmat Launoius, qui accusationum æstu abreptus, grauissima peccat, quorum numerum non sit facilè inire: & si possem, absit vt vellem, in gratiam viri aliàs laudandi & humanissimi: Nam si hanc alios carpendi libidinem tollas, nullus mortalium Launoio melior fuerit, eóque magis dolendum, quod egregias dotes vno vitio corrumpat. Nam præter quòd qui peccat in vno, omnium reus euadit; illo contradicendi impetu in infinita prope mala delabitur. Nonnulla obseruata sunt, præter omne genus officiorum Theologi & sinceri hominis admissa; sed multò plura prætermisi: quia charitas operire nos iubet multitudinem peccatorum.

Quid enim, si quo animo & stylo alios inceſſit, & fodicat immeritos, in illum hoc solo nomine, etiamsi cætera deessent, acriora commeritum ageremus? Et ne iam obiter præstricta repetam, cum non desint noua, illum impotentiori æstu, qui suum se esse non sinat, transuersum ferri Epistolæ quartæ pag. 29. heu nimis certum & indubitatum facit, dum nonnullos Theologos, qui argumentum ex Petro à Collegio Apostolorum Samariam cum Ioanne misso, eleuant distin-

ctione Missionis quadruplicis imperio, consilio, precibus, vel origine, qualis in Verbum à Patre mysterio Incarnationis, & Spiritum Sanctum ab vtroque, infusione charitatis, vi emanationis ad nos delapsos cadit; eos inquam Theologos hac distinctione vsos incessit isto versu

Gens ratione furens, & mentem pasta chimeris.

Nemo negauerit hoc impotentius dictum, & vix vlli potuisse excidere, nisi ex vero morbo, quem aliis affingat.

An eam reprehensionem commereantur ij, quorum interpretatio, seu distinctio, tum diuinis ex Scripturâ, tum humanis ex communi vsu exemplis munita sit, quam plurimùm referat ad fidem contra antiquos & recentes Arrianos, seu Socinianos propugnandam probari? Quid vetat quin dicam, medicum ad locum balnei celebrem, ægrum principem, consilio & valetudinis gratiâ, amicum precibus, filium & seruum imperio negotiorum causâ misisse? An qui ita distinxerit, vnique vocabulo plura subiunxerit significata, rebus personisque accommodata, accensendus sit genti ratione furenti, &c. An adeo atroci censurâ dignum putares, qui à comitiis Cleri Gallicani diceret, missum Præsidem apud Regem illius nomine oraturum, idque precibus, non imperio referret, quod liberum illi sit id muneris obire? Addam quod iam insinuaui, hâc missionis ex imperio, consilio, origine, distinctione infringi, longè validius contra Verbi & Spiritus Sancti Diuinitatem Arrianorum quam quod Launoius in eos Theologos intorquet argumentum; nec minùs Socinianos illi repositurum, *gens ratione furens*, vt inde agnoscas in Launoio desiderari æquitatem, aduersus eos, quibus cum disputat, quam, vt audio, cæteris hominum præstat: quia si nimium scripturiendi, & carpendi alios æstum, & quæ illi annascuntur vitia, excipias, cæteris ferè intactus est; vt optandum sit, à disceptationibus litterariis omnino abstineat, quasi à veneno: vel sibi moderetur, maiorémque fidem & reconditam eruditionem abiectâ vulgari, protritâ, semotis conuitiis argumenta adhibeat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [232] - 172
PUBLIC DOMAIN

ARTICVLVS QVINTVS.

Quæ ſuperſunt ex Aluâ vitilitigationes in D. Thomam, eiuſque diſcipulos depelluntur.

AD Aluam redeamus, à quo videmur longiùs receſſiſſe, hac in Launoium exercitatione; quæ digreſſionis vitio non careret, niſi ambo pluribus ſimillimi in damnationem Opuſculi Sancti Doctoris contra errores Græcorum concordes incurriſſent in eius Auctorem. Non poſſum benigniùs interpretari, quàm vitilitigationis nomine, quæ ex Aluâ ſuperſunt refellenda: alij, qui minus illi vellent condonatum, æquiſſimè damnarent contumaciæ, in apertam veritatem renitentiæ, ſacrilegij, impietatis. Multa enim occurrunt, quæ vix poſſis etiamſi maximè velis, à grauioribus notis eximere, qualia ſunt imprimis, quibus elogia Sancti Doctoris à Chriſto, à Summis Pontificibus auctoribus euulgata, in dubium reuocat, ridet, arrodit, cauillis, fraude, ſarcaſmis, & omni deniqne conuitiorum genere, à quorum nullis etiam atrocioribus videtur abſtinuiſſe.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Defenduntur encomia Alexandri VII. de Sancto Doctore.

EXORDIOR has vindicias ab elogio omnium recentiſſimo & progreſſu', vix quidquam ex me ipſo depromam, contentus paucis perſtringere, quæ fuſius duo nominati ex Belgio Patres Harney & Ianſſens in Aluam ſuis apologiis ſcripſerunt. Ne aliena potiùs ſubripere videar, quam grato animo mutuari; methodum tantum breuitatis & commodiorum reſponſionum causâ inuertam, & quam illi ab antiquioribus elogiis minùs interdum ratione temporis indubitatis aggreſſi ſunt, à recentioribus, Apologiæ capiam exordium, magno compendio & fructu, ne ſuperſit vllus Lectori locus du-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [233] - 173
PUBLIC DOMAIN

bitandi, solo veri contemptu, & litigandi æstu antiqua elogia Aluam arrodere, cum à recentibus & nuperis omninò indubitatis maximo bonæ fidei dispendio abstinere non potuerit.

Quid apud illum sanctum & certum putes, *qui tamen certum quid suis libris in titulum inscribit?* Qui Breuis Alexandri VII. ad Louanienſem Academiam commendandæ DD Augustini, & Thomæ doctrinæ, scriptum præter mentem Summi Pontificis, contra apertum verborum sensum ausus sit interpretari, aut verius cauillis incessere? Quid enim ad hæc diplomatis expressa verba? *De reliquo non dubitamus quin vos pro singulari scientiæ pietatisque studio, sanam & incorruptam, qualem tot Apostolicæ sedis declarationes requirunt, doctrinam, semper amplexuri, &c sitis: necnon præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimáque dogmata sequi semper (vt asseritis,) & impensè reuereri velitis; quorum profecto Sanctissimorum Virorum, penès Catholicos vniuersos ingentia, & omnem laudem supergressa nomina, noui præconij commendatione non egent.*

Non dicam hac noua laudatione Sancti Doctoris, antiquas commemorari, ac subinde confirmari, cum has in causâ esse dicat, cur suis non egeat: ac proinde contra sensum Summi Pontificis, ab Aluâ, quasi commentitias traduci, cum præ hoc postremo elogio, quod omnium complexionem & sigillum dixeris, cætera, quæ nimia contendit Alua, penè sordescant. Quid enim ad ista, quod Stephani Episcopi, & Academiæ Parisiensis circumfertur elogium; nihil sensisse, aut scripsisse, quod sanæ fidei, & bonis moribus aduersetur? Quid noui habet Bulla Vrbani V. ad Academiam Tholosanam, præcipientis D. Thomæ doctrinam tanquam veridicam & Catholicam sectentur? Quid Innocentij VI *Commendatio doctrinam S. Thomæ præ cæteris exceptâ Canonicâ, habere proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum*, &c.

Pater Harney sacræ Theologiæ licentiatus pro suo munere, vt moris est in Academia Louanienſi, orationis in D. Thomæ laudem habendæ, occasione editionis Nodorum Patris Aluæ in Belgio peractæ, mutandum ge-

nus & ſtylum cenſuit, & ſemoto panegyrico, inſtituendam Apologiam aduerſus Patris Aluæ calumnias. Oratione itaque recitatâ 28. Ianuarij anno 1663. dicam fraudis, & doli inſcripſit Aduerſario, quod memoratum Breue Apoſtolicum anno 1660. 7. Auguſti miſſum, & anno ſequenti Bruxellis typis datum, & 7. Martij D. Thomæ ſacro ad valuas affixum, omnino prætermiſerit, primâ editione ſuorum Nodorum anno 1662 inchoatâ, & abſolutâ, cui ementitum ſuperiorem annum inſcripſerit.

Quid ad hæc Pater Alua? Fraudem occultam manifeſtâ aut falſi cõuictioni opportuniori cumulauit, cum grauiſſimâ bonæ fidei noxâ reſpondit, nec dolo, nec malo animo à ſe omiſſum Breue, quod Bruxellis anno 1663. euulgatum, non poterat niſi dono Prophetiæ reſcire, cum anno ſuperiori primam editionem Nodorum adornabat. Hanc igitur obmiſſionem defendit excuſatione ipsâ culpâ grauiori; tota mendaciis, quorum reuinci poſſit, conflata eſt reſponſio, eâque vnâ omnem ſibi fidem apud cordatos abrogat, dum ait, ſe latuiſſe Breue Pontificium Bruxellis anno ſequenti poſt ſuos Nodos primum in lucem datum. Condono illi plura apertè falſa, quorum Pater Harney reum peragit.

Quî enim fieri potuit, rerum omnium, quæ ad D. Thomam pertinent, aucupem auidiſſimum, eáque de causâ per totam Europam errantem, Bibliothecarum ſcrutatorem indefeſſum, ignoraſſe in Belgio, quod omni tubâ vocalius, & tonitru altius inſonuit, Breue Apoſtolicum Louanium per latum. Crediderim hoc fulgure percuſſum, quo ſuos nodos non tam ſolui aut ſcindi, quàm conflagrare ſentiebat, vix potuiſſe ad ſe per annum redire: atque ita, dum Deum & homines conteſtabitur ſibi ignotum Breue velim iurato haberi fidem. Sed quâ veri ſpecie editionem ſuorum Nodorum inchoatam 1662. retrahit ad annum ſuperiorem? Obſeruat Pater Harney ex eâ mutatione, & retroceſſione anni tria commoda captaſſe, primum, vt prætendere poſſet ignorantiam Breuis Apoſtolici ad Louanienſes, & Conſtitutionis de immaculata Conceptione, eodem, quem ementitum ſuæ editioni inſcripſit, anno 1661. datam, quâ cauet Sanctiſſimus grauiſſimis pœnis indictis, nè

quiſquam erroris, aut peccati mortalis aduerſam opinionem accuſet: & cum pertinaciter conſtitutum eſſet Aluæ, hanc cenſuram ferre, *quaſi immediatè intentioni Concilij Tridentini, & Spiritus Sancti aduerſaretur*, D. Thomas, ſenſit plurimum referre, ſi huius Conſtitutionis ignorationem poſſet hac mutatione editionis obtendere, vt graues pœnas effugeret. Aliud etiam commodum ex eâ fraude ſperabat; quæ res, cum ſit paulò implicatior, omittam; nec diutiùs Lectorem morabor. Sed hîc exclamare liceat verbis Ambroſij paululum mutatis, vt hominis pudori parcam, quanta in vna defenſione, aut excuſatione ſunt peccata! Sed hæc omnia indulgeamus, nec enim dubium eſt quin his technis, ſe hominum damnationem effugiſſe crederet, niſi ſuomet ore argui, & reuinci poſſet. Sed antiqui moniti oblitus, mendacem oportere eſſe memorem, ipſemet refert folio 724. ſe non latuiſſe Breue Pontificium anno 1660. Leodij typis datum. Quam poſt iſta putat apud homines ſui opinionem excitatum iri?

Sed nondum exhauſtæ ſunt hominis artes. Cum ignorantiam obtendere nequeat Breuis, illud apertè impetit, nihil facere contendit, ad commendationem S. Thomæ, quod Pontifex non ſuis, ſed Academiæ verbis, & ſubinde illius, non ſuo ſenſu pronunciet *Inconcuſſa D. Thomæ dogmata*; quia ſtatim interſerit, vt aſſerit is parentheſim quaſi Academia petierit nouam doctrinæ Angelicæ probationem, eamque negauerit ſanctiſſimus, illa duo lumina, Auguſtinum & Thomam non egere nouâ commendatione. O mirâ hominis artes! & ſi daremus perinde vera, ac falſiſſima ſunt, quæ aſſumit, nec probat, Summum Pontificem reſpondiſſe ex Academiæ ſenſu inconcuſſa eſſe D. Thomæ dogmata, non mediocris foret eius doctrinæ commendatio: maximè cum Sanctiſſimi aſſenſu confirmata ſit, reſcindenda ſine dubio, niſi veriſſimam putaſſet, aut falſi ſuſpectam habuiſſet. Sed quod omni demonſtratione validius Aluæ effugium præcludit, nullo loco Epiſtolæ Louanienſium hæc leguntur verba, vt poterit ipſe Alua explorare ex apographo Epiſtolæ in acta Facultatis relatæ.

Cum nihil ſuperſit refugij, quaſi in deſperationem actus, vlciſcendæ noxæ causâ, in facultatem Louanienſem,

sem, quæ Breui sibi infaustissimo occasionem dedit, inuehitur, *& machinationis diabolicæ incusat*; & quod mirere ex ipsomet scripto, quo Pontificis laudes meruerunt, Ianseniſmi iniquissimâ accusatione grauat: diceres Aluam, quasi rupem de monte delapsam, magno impetu in absurdiora se dare præcipitem; dogmata D. Thomæ inconcussa dici patitur, quia negare non potest, nisi in faciem restiterit Summo Pontifici, à quo definitionem de immaculata Conceptione fide diuinâ recipiendam expectat: Sed id roboris negat habere problemata, à genere dogmatum omninò diuersa, quòd adiunctam habeant interrogationem. At quid apud D. Thomam interrogationibus caret? Nonne quærit, an Deus existat? An sit Trinus? Si ergo velis ista posse labefactari, quia à dogmatibus distinguntur, quibus Pontificium decretum astruet inconcussam firmitatem; nihil planè supererit apud D. Thomam dogmatum, atque ita ex Patre Alua nihil vetat quin dubitemus an Deus sit, an sit Trinus, an sit incarnatus, quia hæc expendit additâ interrogatione, qua à dogmatibus semouet, & ad problematum ordinem depellit, quidquid disputat, aut statuit S. Doctor.

Non desinit cauillari Aduersarius, & Breuis Apostolici verba sugillare: sed timendum est ne infortunium serpentis incurrat, quem fabri ferrarij officinam ingressum, & limam morsibus appetentem rident fabulæ, quòd irrito illo labore vni sibi perniciem machinetur, dentium aciem obtundente & hebetante ferro, cuius duritiem vis illa non infringat: haud magis auspicatò Alua ad laudes D. Thomæ abolendas, & conficiendas toto impetu irruit; sed quid eo conatu effecit? Suum animum seu liuore, seu alio præpostero affectu concitatum prodit, in tuto positis, quæ arrodit, encomiis.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Defenditur elogium Pij quinti.

FVSIVS hoc postremum encomium tutatus sum, quod cæterorum sit robur, & signaculum; & quibus

ab Alua impetitum est, cauillis, agnoscat Lector, quid ab homine, qui euidentissima quæque negat, nec minori audaciâ profert quæque falsa, expectare possit de reliquis antiquioribus, quæ magis obnoxia sint exceptionibus. Illi aliud adiungo Pij quinti nihilo minus Aluæ molestum, vel cauillis oportunius. Sanctissimus Pontifex D. Thomam nouo honore quintum Ecclesię doctorem aliis accensiturus, narrat decessorem suum Ioannem XXII diuinorum albo retulisse D. Thomam duabus potissimùm de causis, nempe miraculorum signis, quibus serui sui Thomæ perpetua veræ pietatis opera nobilitare voluit, *& inexhausta Dei benignitas, & certissimâ Christianæ regulâ doctrinæ, quâ S. Doctor Apostolicam Ecclesiam infinitis confutatis erroribus illustrauit.*

Nisi expressum nomen Summi Pontificis præferret hæc Bulla, non dubito, quin in illam excandesceret Alua, & hæresis, atque impietatis damnaret, exemplo Theophili qui ob assertum doctrinæ D Thomæ nomen, *certissimæ fidei regulæ*, tacito Papâ, in quem cadebat hæc damnatio, Dominicanos grauissimæ hæresis accusauit. Hanc Amici responsionem non ausus tentare Alua, ne Summis Pontificibus auferret necessariam infallibilitatem ad Immaculatæ Conceptionis definitionem, ait hæc verba, *certissima Christianæ doctrinæ regula*, referri ad canonisationem D. Thomæ, quasi ad secundum argumentum, quo Ioannes XXII. probauit D. Thomam cælo receptum.

Ne summum Pontificem hæreticum pronunciet, ridiculum & insanum inducit. Quid enim sibi vult si illis verbis, *certissima regula*, canonizationem, non scripta & doctrinam interpretemur, cum ait, *eâ regula S Doctorem Apostolicam Ecclesiam, illustrasse infinitis confutatis erroribus?* Quis ista credat hominem sobrium, & sanæ mentis potuisse scribere? Quasi S. Doctor non scriptis, sed canonizatione post eius obitum 49. annis celebrata hæreses confutasset? Vinci potest Alua; sed vix est resipiscentiæ spes. Non desinit cauillari, iniurius magis in Summum Pontificem, quam in D. Thomam: si confutauit errores, vnde tot & tanti progerminant noui, antiqui serpunt, fiúntque viuaciores. Supersedere poterat ab illa reprehensione: Neque enim adeo rudis est

quin viderit recidere in illud, quod de Virgine cantat Ecclesia: *Cunctas hæreses sola interemisti*: si huic elogio veritas constet, inquirendum est cum Aluâ, quomodo tot errores pestiferi orbem occupent; & si dicat suum de D. Thoma cauillum, *non habere solutionem*, censet de Deiparâ argumentum insolubile.

Adde Pium V. dixisse errores non extinctos, sed confutatos, quia vi argumentorum D. Thomæ victæ sunt hæreses, non sublatæ, sed post victoriam sunt superstites: plurimum enim distant, hi tres gradus, vinci hæresim, conuinci hæreticum, & conuerti, atque ad bonam mentem redire. Esto vicerit hæreses S. Doctor, conuicerit hæreticos; more Ægypti Magorum plures in tertio signo deficiunt, & primum illique proximum gradum emensi, ad tertium non assurgunt, vt conuicti hæresim eiurent.

Sed nullus est cauillorum finis & modus. Quî fieri potest, inquit, doctrinam D. Thomæ antiquas & nouas hæreses confutasse, antequam existeret? *Ad hoc nullam*, inquit, *solutionem inuenio, nisi recursu ad præuisa merita D. Thomæ*. Quid facies isto homine, qui nolit intelligere, ne à cauillando, & calumniando cesset; nec attendit has nugas, cum Summum Pontificem impetant, non nugas esse, sed blasphemias? Quasi doctrinæ D. Thomæ sicut Redemptionis Christi præuisa merita statuat; cum præterea apertum res sensum habeat, antiquas hæreses adhuc superstites, scriptis D. Thomæ validè confutatas esse.

Duriora hæc elogia expertus, quam vt posset arrodere, toto eo suorum Nodorum decimo, nugatur initâ D. Thomam inter & Bonauenturã comparatione, & multis de causis D. Bonauenturam anteponit, hancque nouam, vt præcipuam laudat, ex quâ de cæteris iudicaturus est Lector. Præstat, inquit, Bonauentura Thomæ, quod precatio, quæ eius die festo vsurpatur, ita habeat. *Deus qui Ecclesiæ tuæ Beatum Bonauenturam Doctorem mirabilem tribuisti* Cui decedit, quæ recitatur die festo D. Thomæ. *Deus qui Ecclesiam tuam Beati Thomæ mira eruditione clarificas*. Egregiam sanè regulã statuit metiendis Diuorum meritis, precationem ex pio affectu Auctoris ad arbitrium conceptam. Præterea quid eximij habet vna

præ alterâ, cum vix differant, *mirâ eruditione, & doctorem mirabilem?* Adde precationem D Thomæ communem esse toti Ecclesiæ, & hoc singulariſſimum habere, quod nulli legitur contigisse, vt ecclesia pro summo beneficio efflagitet sibi dari, quas docuit S. Doctor, rerum intelligentiam consequi; quam verò refert Alua ex S. Bonauentura, apud Patres Minores tantùm recepta est: communis enim Pontificum adhibetur ad S. Bonauenturæ festum.

Sed quid in his nugis tempus terimus? In causâ est Pater Alua, qui nos suis Nodis, aut veriùs aranearum telis implicitos, quasi cathenis ferreis crederet, nisi effringeremus. Sed aliquid grauius & ferreum magis eo Nodo meditatur in Dominicanos vniuersim, & nominatim in Magistrum Generalem Turcum, quem per ludibrium alio loco Magnum Turcam vocat: illos quidem vanæ & ridiculæ iactationis incusat; quod in D. Thomam congestis omnium generum prærogatiuis velint ex Austriacâ familiâ natum Gloriationem hanc insulsam putat se demonstrare, breuiario sub Patre Becaria à Mõte Regali edito, in quo ait ita legi: *Beatus Thomas de Austri prosapiâ comitum de Aquino.* Non dicam, ad quamcumque familiam Diui originem referamus, plus illi gloriæ allaturum, quam inde possit accersere; non addam Aquinatum prosapiam ætate D. Thomæ fortè Austriacam æquasse: sed quasi post datum orbi, & Ecclesiæ D Thomam, non posset eius gloria augeri, oportuit illam minui, & alteram excrescere: Sed quid opus his ad depellendam vanæ iactantiæ calumniam, cum nata sit ex ridiculâ supinitate accusatoris? Sic enim habet nostrum Breuiarium, *D Thomas de illustri prosapia, &c.*

Ab hac hallucinatione gradum sibi facit ad nouam calumniam Patri Turco inferendam, quæ recidat in caput Auctoris. Iustissima est eorum pœna, qui immeritos iniquè insectantur, & falsi criminis incusant, vt in grauiora ipsi delabantur. Si huius æquissimæ Legis dubitatio supererat, eam sustulit, quam in Patrem Turcum huic decimo nodo inseruit, grauissima ironia, quales sunt Patri Aluæ frequentissimæ, dum alios videri vult laudare & reuereri. Criminatur Patrem Turcum calumniam instruxisse toti familiæ Minorum, quasi commenta sit

Pij V viuæ vocis oraculum anni 1569. editum, quo copiam ipsis faciebat recitandi officium Conceptionis à Nogarola compositum. Ista, ait Alua, Turcus falsi putabat se reuincere, duobus libellis inter Dominicanæ familiæ tabulas repertis, quibus continebantur officia singularia Franciscanæ familiæ, primûmque editionis præferebat annum 1564. alterum eiusdem sæculi annum 1585. vtrique additum erat Pij V. indultum.

Inclamat Alua apertam esse Turci in Patres Minores calumniam, cum libellus prioris editionis anni 1564. sit suppositititium, falsûmque testimonium: quia nonnisi biennio exacto, Pius V. ad Pontificatum euectus est, cuius proinde nomen & oraculum Pontificium iniquè in eo priori libello desideratum assumitur in argumentum falsati indulti Pontificij. Sed ipsemet in laqueos Turco paratos sese induit, & in hallucinationem impegit, Generali nostro obiectam. Sic enim habet vir sapientissimus. *In archiuio Religionis Dominicanæ duo exemplaria habentur huius libelli festorum Ordinis Fratrum Minorum, vnum impressum anno 1574. alterum impressum Parisiis anno 1585. vtrumque insignitum eodem oraculo vocis Pij V. anno 1569.* Qui Turco obiecerat *vno orbum oculo, altero non rectè videre*, contumeliæ & conuicij pœnam & accusatori atque censori pudendam hallucinationem passus est, affixto prioris editionis libello anno 1564. cum Turcus ex finceris actis annum annotasset 1574. quâ obseruatione euanescit accusatio, & recidit in caput autoris.

PARAGRAPHVS TERTIVS

Defenduntur encomia Clementis VIII. Pauli quinti & D. Francisci, & Concilij Tridentini.

DVo certiora præmisimus iis quæ supersunt antiquioribus, aut medij temporis, præsidio futura aduersum Aluæ impetus. Extat luculentissimum elogium Clementis VIII. quod Nodo vndecimo implicat infinitis cauillis & nugis. Sic verò habet. *Doctrina D. Tho-*

mæ teſtis eſt ingens librorum numerus, quos ille breuiſſimo tempore, in omni ferè diſciplinarum genere, ſingulari ordine, ac mira perſpicuitate, ſine vllo prorſus errore conſcripſit. In quibus conſcribendis, interdum ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum colloquentes, locóſque illi quoſdam Dei iuſſu enarrantes habuit: & quos deinde conſcriptos, expreſſa Chriſti Domini voce comprobatos audiuit. Audiſti Petre, Summum Pontificem, nedum ſuum ſymbolum ad D. Thomæ laudes conferentem, ſed alia duo celeberrima Chriſti, ac Principum Apoſtolorum confirmantem. Non dubito quin ad iſta ringaris.

Ideò excipis primò dubiæ eſſe fidei, & forte ſuppoſititium elogium: ſed extat Annalium Bzouij Tomo 14. in ordinationibus capituli generalis Romæ habiti anno 1612. ex quibus locis plures alij deprompſerunt; nec vllus ante te ſuſpectum habuit hoc Clementis teſtimonium. Quare huic primæ reſponſioni diffiſus, excipis ſecundo ad minus addita decreto hæc verba, *ſine vllo prorſus errore*; vti Salmaticenſes inſeruerunt iſta. Tantúmque aſſecutus fuit myſteriorum ſacrorum, quantum quiſque mortalium aſſequi poterat. Sed vana eſt hæc coniectura: cum apud omnes ſuperiora verba, poſteriora tantum apud Salmantieenſes legantur, immeritò ex iſtis ſtatuitur illa eſſe additicia.

Iis duabus exceptionibus diffiſus, tertiam addit aliis longè deteriorem, decretum relatum aliud nihil habere ſingulare, quàm quòd teſtetur libros D. Thomæ carere apertis hæreſibus obfirmato animo ſcriptis, eo ſenſu, quo Auguſtinus dicebat: *Errare potero & hæreticus non ero*; licet multis alterius generis, etiam formalibus ſcateant. Quis iſta capiat, aut ferat? Ergo falſus eſt Pontifex, dum aſſeruit libros ſine vllo prorſus errore ſcriptos, cùm indomitâ pertinaciâ innumeris contendat Alua erroribus infectos: vel nos fefellit: nam quod ſcripſit, haud dubiè nobis perſuaſum volebat: niſi dicat Pontificem à ſe ipſo diſſenſiſſe.

Non dubito quin hoc D. Thomæ elogium eodem ad minus loco habeat, eodémque ſenſu interpretetur, quo iſtud Poſſeuini de Scoto teſtimonium, vt ipſe vocat, *grande, quod eius libri abſque vllo erroris nœuo vſque ad hunc diem trecentis circiter annis in œcumenicis Conciliis*

inuiolati permanserint Quid enim de hoc testimonio sentis Petre ? putas ne iisdem obnoxium exceptionibus, quibus Pontificium eleuasti : aut Posseuini indubitatum, Clementis nullum esse ? Non dubito, quin hoc postremum responsum tibi magis arrideat ; nam sic comparatus es, vt tua mireris, in aliena despuas. Sed ipse videris, an tutò & saluâ reuerentiâ in Sedem Apostolicam, potior sit tibi vnius priuati hominis, quàm Ecclesiæ Capitis auctoritas.

Certe si à te obtinere non possumus, vt Clementem Posseuino præferas, ad minus vtrumque eodem loco repone : si Pontificis verba *scripsisse D. Thomam sine vlla prorsus errore*, contendas stare non posse saluâ Scripturæ authoritate, & harum propositionum generalium illæsa veritate, *omnes errauimus, omnis homo mendax, &c.* Ergo Pontificem inducis à Scripturâ sacrâ dissentientem. Et si nullam habeas Pontificis authoritatis rationem, cum tuo repugnat sensui ; quid responsurus es ad Posseuinum idem de Scoti libris testantem ? Scio te nullis commoueri rerum & rationum momentis, nisi tuo priuato affectui indulgeant, & faueant commodo.

Inde etiam vrgeo te : cum Posseuino immunitatem *ab errorum* etiam *nauo* fidem habeas tuo Scoto vindicanti, nec putes Scripturæ verbis repugnare illud elogium, aut eleuari ; videris, quâ æquitate Scripturam à Clemente idem de D. Thoma attestante violatam crimineris. Si nequeas adeò immane discrimen fingere Posseuinum inter & Clementem, vt hic in laudando D. Thoma falsus sit, ille in prædicando Scoto à vero non recesserit ; ergo tuus Scotus scatet erroribus formalibus, ne nutent generales Scripturæ propositiones, *omnes errauimus, &c.*

Dum ad hæc tua responsa præstolamur, vide, num in summum Pontificem cadat tuus in Ignatium Galum Sarcasmus : *ingens prodigium ! nunquam in tot libris fuisse lapsum D. Thomam :* ita inquis cum aliquâ impietatis specie, *ingens prodigium D. Thomam non fuisse lapsum in scholæ pauimentum.* Sic illudis Summis Pontificibus, eosque demereris, à quibus cum ambias definitionem, quæ ad fidem pertineat ; videris, an nedum eorum dignitati, sed etiam tuis rebus consulas huiusmodi

sacrilegis dicteriis. Nec à meliori, aut sinceriori animo profecta est (ne quid grauius dicam,) cauillatio in D. Thomam, immeritò a Clemente dictum diuinæ voluntatis interpretem, cum id nomen Bellarminus, quo fidei rudimenta docet Catechismo, iustius sit D. Thoma consecuturus; quòd ille necessaria ad salutem, & credenda vno libello sit complexus, D. Thomas verò totus sit in quæstionibus metaphysicis, quæ magis ad salutem impedimento sint, quàm adiumento. Quasi D. Thomas omiserit quidquam credendorum, quæ ad salutem, & fidem pertinent explicare, & aduersus impios propugnare.

Istane ausus es scribere? In nullam sine dubio sancti Doctoris noxam, quia ille in tuto, & in alto positus est; nec eò linguæ tuæ flagellum accedit: sed in tuum æternum dedecus, & Ecclesiæ hostium gratiam, quibus perinde ac tibi odio est S. Doctor, & eodem, quo tu eleuas testimonium Summi Pontificis, nomine infamant; quasi subtilia, aut futilia tantùm scripserit: illisque gratificari mauis, & assentiri, quàm Summis Pontificibus, qui nos iubent D. Thomam tanquam diuinæ voluntatis interpretem audire: tu contra tui operis titulo & progressu ad pœnam, & ad mortem deposcis, tanquam perduellem Sebam, & vis vt quasi nugacem auersemur, vix legendum, aut attingendum, si nostræ salutis curâ tangamur: quia ad illam, & ad fidem impedimento est, tum nugis & tricis futilium subtilitatum, tum erroribus formalibus, cum ad hæc duo capita reuoces, quæcumque eius scriptis continentur; vt minus tot voluminibus, quam Bellarminus vel vnico Catechismo, mereri potuerit titulum interpretis diuinæ voluntatis. An non intelligis te in vno Thoma, Augustinum, Dionysium, aliosque Ecclesiæ Patres damnare, cum ea ipse complexus sit, & explanarit vno volumine, quæ ipsi prope infinitis prosecuti sunt, nec sensu, rebus, & argumento, sed stilo, & methodo differat ab illis? Et post ista miraris tuos in Hispaniâ, & Romæ damnatos libros, quos ad hæreticorum sensum, & gustum, & ad Catholicorum, quibus S. Doctor probatur in honorationem edidisse videris?

Nec reuerentiùs habes Paulum V. Nodo tuo duode-

cimo: ægerrimè fers quibuſdam litteris hæc de S. Doctore ſcripſiſſe; *ſplendidiſſimi Eccleſiæ Catholicæ Athletæ Thomæ Aquinatis cuius ſcriptorum Clypeo militans Eccleſia hæreticorum tela faliciter eludit; honores & venerationem in dies magis, magiſque augeri, plurimùm in Domino gaudemus.* Præter dicteria, & ſarcaſmos tibi familiares, in hunc Clypeum telum vibras; *quo*, inquis, *hæretici impugnare, imò & expugnare volunt Eccleſiam Catholicam* Quodnam verò id telum eſt? propoſitio, inquit, iſta: Virgo fuit concepta in peccato originali: & inquirit an inter ſcripta S. Thomæ ſit aliquis Clypeus contra telum iſtud.

Reſpondeo illo telo fidem minimè peti; quia hactenùs, dum, quam vrges, definitio acceſſerit, ad fidem non pertinet hæc propoſitio: atque ita præter infinitos, hoc telum depellunt fortiſſimi duo Eccleſiæ aduerſus hæreticorum furorem Propugnatores Bellarminus, & Perronius Non puto te adeò tibi ignotum eſſe, vt his duobus Cardinalibus te ingenio, eruditione parem credas; vel meritis in Eccleſiam & victoriis ab hæreticis reportatis, nec de tuis Nodis dicturi ſunt hæretici, quod de his duobus inuictis Athletis, ipſimet prædicant.

Si Pergama (id eſt Eccleſia Romana) *dextrâ,*
Defendi poſſent, dextrâ hâc defenſa fuiſſent.

At illi duo viri ſupra omnem comparationem & laudem poſiti, eo, quod hæreticorum nomine Petrus vibrat telo, fidem nullâ ratione impeti docent. Cur ergo intempeſtiuè omninò (ne quid aliud dicam) in Clypeum manu Summi Pontificis porrectum, & obiectum hæreticorum telis, quo ſe tutetur Eccleſia, laceſſis & laceras controuerſiâ, quæ ad pietatis exercitationem, non ad fidei ſubſellium pertineat? Et ſi eò euectam velis, vti contendis eodem Nodo, indulgentiis à Paulo V. ad venerationem Conceptionis immaculatæ conceſſis, adeóne rerum Theologicarum rudis es, vt ignores illud genus teſtimonij probabilitatem piæ opinionis, non indubitatum fidei diuinæ aſſenſum ſancire, aut exigere; nec deeſſe S. Doctori, cùm à Pio V. addictæ ſint indulgentiæ ſacello, quo Neapoli imago Crucifixi colitur, quam pia fert hiſtoria vocalem factam, orantem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [245] - 185
PUBLIC DOMAIN

coram se Deum, certiorem fecisse D. Thomam, *benè scripsisti de me Thoma*? Nec tamen pateretur Alua, hoc argumento ab indulgentiis in fidei indubitatæ testimonium, aut fide diuinâ credendum euasisse, quod ipse totis viribus quasi commentitium reiicit à Christo vnquam dictum, *benè scripsisti de me Thoma*.

Cæterùm vana est hominis solicitudo, cùm subiungit, si stet Pauli V. de Thoma elogium; quid denique dicturi sint hæretici, nisi quòd è vomeribus Catholicis facturi sint enses, quibus nos feriant? Quid enim mali nobis aduenire potest, si D. Thomas Ecclesiæ sit loco Clypei, quem ipsimet hæretici suis telis impenetrabilem experiuntur? Sed hâc inutili curâ depositâ, ne quidquam detrimenti capiat Ecclesia ex scriptis D. Thomæ, longè iustior, magisque necessaria illi capescenda esset, ne ipse suis libris sit offendiculo hæreticis, quibus ridendam præberet Ecclesiam; cum adeò ineptis argumentis, & malis artibus piam Ecclesiam defendat: nec dubium, quin pessimè de Ecclesiâ Catholicâ sentiendi causam haberent, nisi adeò imperitos & ineptos, & sanctis, ac summis Pontificibus iniurios libros Hispania, & Roma proscripsissent.

Sed Nodo 13. ferre non potest à Parente suo D. Francisco summè commendatum S. Doctorem cuidam è suis filiis nomine Eleutherio, graui difficultate de rebus sacris & theologicis laboranti, cui euincendæ cum aliud non superesset, quàm orationis remedium, eò & ad suum Parentem confugit: oranti verò præsto adfuit humanissimus Pater, seque filio visendum præbuit comite D. Thoma, illumque digito demonstrans; sic Eleutherium allocutus est. *Crede huic, quia eius doctrina non deficiet in æternum*. Nec vana fides fuit, aut visione illusus Eleutherius; nam vbi se ab illâ recepit sui Parentis consilium secutus, D. Thomam consuluit & statim, vt Augustini verbis loquar, *omnes ab eo dubietatis tenebræ diffugerunt*, & ne ingrati animi in Diuos notam, ac pœnas incurreret, miraculum, & beneficium hoc prædicauit. Falsum verò post Vvadingum, & Theophilum Raynaudum inclamat Petrus à Dominicanis huiusmodi fabularum peritis artificibus inuectum.

Sed plurimum debemus duobus cum laude memoratis

Patribus Belgis, qui nos ab hac calumniâ vindicarunt conquiſito egregio, certoque teſtimonio cuiuſdam Canonici Regularis, ex Monaſterio Rubeæ Vallis ad Bruxellas nomine Ioannis Gielmans, qui primo è quinque manuſcriptis voluminibus ingentibus, quibus, vt inquiunt, exſcribendis vix bene longa hominis vita ſufficeret, & in eodem Monaſterio quaſi pretioſo theſauro aſſeruatis, horum, inquam, primo volumine, folio 297. cap. 86. hiſtoriam à nobis perſtrictam fuſiùs deſcribit, & Aluam in Belgio commorantem, prouocant nominati Patres ad fidem comprobandam hiſtoriæ à ducentis annis conteſtatam, quam anno 1620. calumniatur Aduerſarius à Dominicanis confictam; huiuſque ſacrilegij conuictos putabat, quod nullis ſcriptorum monumentis rem comprobare poſſent. Conſulat Ioannem Gielmans fidem noſtram liberaturum, & calumniam in Auctoris caput depulſurum.

Ex Tridentino tria accerſuntur teſtimonia ad commendationem D. Thomæ, quæ ordine referam: primum ex Baronio, notis ad Martyrologium Romanum die 7. Martij D. Thomæ ſacræ: *vix vllus enarrare ſufficeret, quot vir ſanctiſſimus atque Doctiſſimus, Theologorum præconiis celebretur, quantumque illius illibatæ doctrinæ* (quam Alua erroribus grauiſſimis ſcatere ſcripſit) *à ſanctis Patribus in ſacro-ſancto Oecumenico Concilio Tridentino fuerit acclamatum.* Aliud teſtimonium eſt à Didaco Paiua Luſitano, Tomo ſecundo Concionum de Sanctis ſermone 2. de D. Thoma: vbi refert cum parati eſſent Patres ſancire, Apoſtolos ſacerdotio initiatos fuiſſe, quibus nocte Cœnæ Chriſtus illos compellauit verbis; *hoc facite in meam commemorationem*, Epiſcoporum vnus monuit videri D. Thomam ſecùs ſentire: tum ſuſpenſa fuere ſuffragia, iuſſumque eſt deferri D. Thomam, vt conſuleretur locus, & cum aliquid præferret difficultatis, in ſequentem diem dilata eſt definitio: nec quidquam ſtatutum eſt à Patribus, donec omnibus conſtaret, à ſanctione non diſſentire D. Thomam.

Hæc omnia ſpernit Alua, & illiberalibus iocis irridet, ipſe reuera miſerandus: quem enim commiſeratio hominis, aut in illum indignatio non tangat, cum de-

prompta ex D. Thoma interdum verba, quibus suos Canones sanciunt Patres, ait eo referenda, quòd veteres Theologos complexus sit suâ Summâ, quâ vix inconsultâ quidquam posset sanciri, quasi de essent alia compendia à pluribus scriptoribus edita post D. Thomam, & ipse Breuiatoris, aut compilatoris nomen, non Auctoris laudem esset consecutus. Nec parcit Theologo, qui nomine Concilij die festo D Thomæ orationem habuit panegyricam coràm amplissimo consessu. Notat illum nomine, quo priùs D. Thomam donauit, Fratris cujusdam communis ex ordine Prædicatorum, quamuis à Rege Hispaniæ Theologus, adiuncto sibi altero perinde Theologiæ consulto, missus ad Concilium audiretur, vt solebant Iuris-Canonici, aut Theologiæ consulti.

Notant scripturæ Interpretes, Saülem odium & liuorem in Dauidem pluribus argumentis, maximè illâ sugillatione, & contemptu nominis filij Isay prodidisse: faxit Deus ne Petrus vti Saüli, affectu & animo, ita exitu & fine conueniat. Quid enim aliud resipiunt illa, quæ scribit verba, fol. 629? *Cum omnia sint prorsus gratis dicta de laudibus D. Thomæ, non erit protersiæ, illa negare, aut in aliquo labefactare gloriam D Thomæ, sed Religionis causam ostendere, euellendo à tritico doctrina Catholica introducta bolia*, id est, quæ circumferuntur laudes D. Thomæ, *fictas, falsas, aut dubias, & incertas, nullam, vel rarissimam veram, & illam in multis vitiatam.*

Sanè quibus studium litigandi, aliosque carpendi charius est ipsâ virtute, & veritate; qualem se vbique prodit, & hîc maximè Pater Alua; nihil pensi habent à grauiorum virorum sensu, & ab omni specie veri longissimè recedere. Nisi ita comparatus esset Pater Alua, reueritus sine dubio fuisset Baronij Annalium Ecclesiasticorum parentis iudicium, & testimonium grauissimum, & ad minùs totius Concilij Tridentini in S. Doctorem ipse priuatus sibi imitandam potius, quam suo exemplo damnandam suscepisset summam obseruantiam.

Quid vero ad hæc Alua? Contrà pertinaci animo contendit, Synodi definitione de peccato originali hæresis notam D. Thomæ inustam, idque totis viribus nititur

demonstrare argumento, cui jam responsum est. Sed cum sensisset hoc audax consilium castigandum grauissimis pœnis vltimâ constitutione Alexandri VII. datâ anno vno ante primam Nodorum editionem, quâ seueriſſimè cauetur, ne peccati mortalis, aut hæresis notaretur sententia D. Thomæ; vitiauit editionem Nodorum anno 1662. anteoccupato, & per fraudem operi inscripto anno superiori; vt posset obtendere, id à se factum ignoratione Constitutionis Pontificiæ, quæ omnibus censurâ D. Thomæ interdicebat pœnis grauissimis. Verum Alua cum sui impos abstinere non posset, à damnando S Doctore, anticipauit annum editionis, non solum vt impunè D. Thomam traduceret quasi hæreticum, sed etiam vt se impensissimè laudaret,

Hominis profundam calliditatem aperit Pater Harney loco aliàs citato. Certum est, vt ipse comperit eodem anno 1662. circa mensem Septembrem, curante Aluâ sub prælo sudasse Bruxellis Nodos Aluæ, & trutinam Maraccij: qui *Petrum Aluam*, tot meruisse elogia, suorum Nodorum libro, quot litteras haberet, magnificentissimè prædicabat, illud verò elogium attribui non poterat Maraccio in Italiâ degenti, cum Alua Nodos eodem tempore, eodemque loco typis daret, quo Marraccij trutina edebatur: ergo in ipsum Aluam referendum erat elogium; ridendum planè, quòd ita impensè se laudasset. Quid igitur? Auertendæ huic infamiæ ad mendacia confugiendum fuit, & annus impressionis prænertendus, vt nodos à Marraccio ex ipso falso supputo potuisse legi, iudicaret Lector, atque ita à Marraccio, non à se ipso laudatus fuisse Alua videretur.

Sed vt rem molestissimam paucis absoluam, hoc vnum te velim, Christiane Lector, vt apud te statuas, quæ fides habenda sit homini, qui tot nectit mendacia, vt suas fucare possit laudes? An putas sincerius D. Thomam reprehensurum, quàm se commendet? Aut quo loco eum repones, qui adeò altè de seipso sentit, adeò demisse, & abiectè de D. Thoma, vt se quidem plura meruisse elogia, quam satis grandis liber litteras habet, vel de se primus dixerit, aut passus sit dici, & admimus edi curauerit? De D. Thoma verò, quæ circumfe-

runtur encomia, *absolute falsa quædam, alia dubia, paucissima vera,* longo opere probandum susceperit?

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Alia sex Elogia D. Thomæ defenduntur generatim.

HActenus sex encomia tutati sumus: totidem supersunt propugnanda. Sed quæ præmisimus, præsidio sunt futura secuturis; idque duplici nomine; primum quòd cum Petrus superiorum examine fidem Græcam compertissimam nobis fecerit, ius non habeat à nobis exigendi, vt credamus, se in posterum meliorem adhibiturum. Deinde relata Pontificum testimonia vniuersim, & interdum nominatim elogia antiquiora cum laude memorant, ac subinde confirmant. Quare methodo, quâ solet omnis probè instituta disputatio, à compertis ad minus certa progressi sumus, infringendis Aduersarij machinis validâ & conuenienti. Duplici enim fraude elogia D. Thomæ aggreditur: vel in totum tollit, & negat vsquam data: vel, si id nequeat prætexere, eleuat, & nihil contendit habere eximium & singulare. Recentiora erant, quæ retulimus monumenta, quam vt posset inficiari, aut traducere, quasi à nobis conficta, cum indubitati essent Authores. Quare totus fuit in vitilitigando, & in aucupandis voculis, & litterarum apicibus, vt posset adulterare sensum. Sed contra antiquiora encomia primam admouet machinam.

Pronunciat esse commentitia, & in orbem inuecta à Bandello vnius immaculatæ Conceptionis odio. Si quæras quibus id probet argumentis? Præter negatiua aliquot, hoc vno positiuo, folio 258. id putat confectum, *Bandellus qui prius introduxit in litteraturâ Ecclesiasticâ, author est, qui in suis libris nullam veritatem obseruat, nec in toto, nec in parte*; igitur falsa sunt hæc elogia. Probabilis, non necessaria consecutio, etiam si præmissæ sint certæ: Quia mendaci potest interdum aliquid veri accidere. Sed quâ ratione probas viro grauissimo, & totius Prædicatorum Ordinis Generali Magistro impo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [250] - 190
PUBLIC DOMAIN

situm Falsarij, Sycophantæ, & Impostoris nomen ac crimen? Non aliam apud te lego probationem, quàm quòd ista elogia primus in orbem importarit. An non vides te in circulum vitiosum delabi? Antea arguebaris syllogismos, quatuor, aut pluribus terminis, collatione partûs ventris & mentis confeciſſe; cum legitimi, nec plures tribus admittant, nec pauciores patiantur. Nunc ab hoc vitio in aliud nihilominùs graue impingis; vno, aut altero termino tantum syllogismos conficis, identicis propositionibus conflatos. Quid hoc mali est, vt quidquid scribas, semper à ratione exerret? Nunc à disparatis argumenta in infinitos diffindis terminos; nunc identicis ludis, & merâ positione principij thesim in argumentum sumis.

Mendax, inquis, est Bandellus: ergo quas inuexit primus commendationes D. Thomæ prorsus abiiciendæ sunt; vnde probas mendacem? Quia has merces primus intulit. Vt obmittam te falsò hoc postremum asserere, operâ P. Bandelli primum hæc orbi encomia innotuisse; Egregiè rem propositam conficis: in argumentum arripis, quod tibi probandum susceperas; atque his ineptiis Nodos tuos nectis. Atque inde lacessis retractationem Episcopi, & facultatis Parisiensis eorum, quæ superioribus censuris viderentur vllâ ratione D. Thomæ doctrinam notare. Idem est neruus, & robur Nodi secundi contra Vrbani V. bullam ad Archiepiscopum, & vniuersitatem Tholosanæ ciuitatis, quâ iniungit, *vt D. Thomæ doctrinam tanquam veridicam, & Catholicam sectentur, eámque studeant totis viribus ampliare.* Ista, & his similia euulgauit Bandellus: ergo commentitia sunt. Et cum ferè semper contingat illa confirmari, antiquiore & potiore testimonio quale est SS. Vincentij, & Antonini, qui propiùs Bandello ad D. Thomæ ætatem accesserunt; argumentum negatiuum adhibes à D Thoma ad hos authores, cum plus vno sæculo temporis effluxerit, causaris toto eo spatio deesse testes coætaneos D. Thomæ, qui ista referant, vnde apodicticè concludis conficta fuisse à posteriotibus. Et cum aliud non suppetat telum, quod intorqueas in D. Thomam; ne quid in illum laudis redundet, nihil dubitas, eodem cum Bandel-

lo crimine mendacij DD. Ferrerium,& Antoninum notare, & inuoluere.

Non dicam genus huiuſmodi argumentorum negatiuorum,quibus totam tuam diſputationem munis,incertum ſemper, plerumque etiam infidum, & periculoſum eſſe quod inde quæritur ſubſidium, vt luculenter contra Launoium probat benè longa, & eleganti exercitatione Ioannes Baptiſta Thiers, quo vno verbo cadunt, & reſcinduntur omnes tui Nodi. Debueras habere aliquam rationem tot illuſtrium teſtium, tot Pontificum, qui rebus à te falſi accuſatis, ad minus validiora tuis argumentis teſtimonia præbuerunt.

Mirum eſt non timuiſſe ne in te recideret, quo omnem Bandello fidem abrogas, argumentum; quia author iſte, inquis, in ſuis libris nullam veritatem obſeruat. Medice cura te ipſum,legem à te conſtitutam ſubeas ipſe, oportet; *nullam fidem habendam authori, qui in ſuis libris, nec in toto, nec in parte, vllam veritatem obſeruat.* Non recuſabis eâ te lege iudicari, quâ de Bandello ſtatuis;hoc vnum inter vos diſtatis,quod tu illum mẽdacij accusâris; probâris nunquam. At ne id vitij noſtra reponſio, aut recriminatio incurreret, tumet cauiſti, ſuppeditatâ propè infinitâ colluuie falſationum,quibus tuos Nodos implicuiſti, quarum ex infinitis aliquot tibi ſyllabum dabo. Imprimis ipſomet operis limine pſalmi 57. falſaſti hunc verſum, *alienati ſunt peccatores ab vtero*; nec additamento, τὸ *omnes*, notæ vniuerſalis, timuiſti, quas Deus intentat, grauiſſimas pœnas iis, qui ſuo verbo vllum addiderint, aut detraxerint. Neque plagium excuſant, quæ aduocas ſimilia in ſpeciem Scripturæ verba, ſenſu omninò diuerſa; *omnes declinauerunt, &c.* pſalmo 113.cum iſtis, & ſimilibus locis ſcriptura de enormibus ſceleribus; à te verò corrupto de errore doctrinæ agatur, & ſi ſuperiora velis in D. Thomam, & Sanctos quoſlibet cadere; innocentiſſimum tuum Patrem Franciſcum lethalis criminis per totam vitam experrem, pluréſque Sanctos eâdem gratiâ donatos, iniquiſſimè immanium flagitiorum peragis reos.

Non recolo hallucinationes iam obſeruatas, qualis eſt ementitus editionis tuorum Nodorum annus 1661 Cùm ſequenti tantum fuerit adornata; Qualis eſt obiecta Dominicanis

minicanis vana gloriatio repetitæ ab Austriacâ familiâ originis D.Thomæ, quasi nostro breuiario scriptum esset natum D. Thomam *de austrî familiâ*, cum legatur *de illustri*. Eodem spectat, quod à viginti annis criminabaris, Dominicanos confinxisse Sancti Francisci commendationem doctrinæ D. Thomæ nunquam defecturæ; quæ tamen à ducentis annis manu scripto Canonici Regularis extet, & legatur. Eò pertinet hallucinatio Patri Turco impacta, quæ in tuum caput recidit, quasi librum protulisset Pij V. viuæ vocis oraculo munitum anno 1664. id est biennio antequàm in Pontificem eligeretur Pius, typis datum: cùm in testimonium aduocet librum anno 1574. post Pij Pontificatum editum.

Et ne videar ista repetere neglectæ sinceritatis argumenta, quasi noua nos deficiant, quibus probemus in te cadere dicam falsi Bandello scriptam; tui Libri folio 71. incusas Choquetium, quasi primus Spiritum Sanctum columbæ specie affinxerit ad aurem D. Thomæ dictantem, quæ scriberet, aut doceret. Sed contra te pro Choquetio proferuntur tapetes ab anno 1540. acu elaborati, & imagines ab anno 1497. picti, quibus eâdem formâ columbæ Spiritus Sanctus ad aurem Diuo Thomæ dicenda suggerit. Tui operis folio 117. scripseras *nihil absurdius in re scholasticâ, & à doctrina D. Thomæ deuia, huc vsque excogitatum fuisse, quàm quod P. M. Leonardi Dominicanus dixerat, interdum à D. Thoma solui argumentum, quod vocant, sed Contra*, id est, præuium ad assertionem Articulo probandam: *Eam verò responsionem vocas inauditam inter Thomistas, nimiumque distare à veritate, & miraris quomodo sui permittant, id est, Dominicani ab illo impunè dici*; quasi non extarent apud D.Thomam argumenta, sed contra, quibus respondet, quasi aduersis suæ sententiæ articulo confirmatæ. Sexdecim huiusmodi solutionum exempla relata sunt à Patribus Belgis, quibus vinci potuisti, non resipiscere, nec posteriore editione accusationem priore perperam susceptam retractare.

Si ista causeris leuiora esse, & magis seria scribenti potuisse per incogitantiam obrepere, nec creari inde vllam suspicionem neglectæ à te veritatis: præter quod multò minutiora captas ex nobis, quæ veluti scelera in maius

auges; ſuppetunt falſationes multo grauiores, & præter omnem veri ſpeciem noſtris obiectæ. Ex infinitis tres tantùm attingam, quæ demonſtrant abiectam à te curam omnem veracitatis. Nodorum folio 573. obitet, & ex profeſſo in Sole veritatis folio 808. Bartholomæum Spinam accuſas plagio, corrupiſſe locum D. Thomæ in 3. ſentent. quo à geniali culpâ Deiparam à D. Thoma eximi putas: Sed contra te, tot inſtaurantur teſtes, quot eiuſdem libri ante Bartholomæum Spinam edita fuere exemplaria; quæ nihil prorſus diſſentiunt à Spinæ editione adornata anno 1534. Non minùs atrox, & apertè falſa eſt altera accuſatio Turrecrematæ Cardinalis, de quo ita auſus es ſcribere tuorum nodorum folio 588. *Scio quando Concilium Baſileenſe diſceſſit ab Eugenio IV. propter illam propoſitionem, Concilium eſt ſupra Papam; Ioannes de Turrecremata extraxit ex D. Thoma, & tradidit Concilio, quæ habebat in ſuis operibus pro illa opinione.* Horum verborum excuſo barbariem, ſed malam fidem condonare vix poſſum.

Scio, inquis: merito Pater Harney ad hoc verbum exclamat, *ſi hoc eſt tuum ſcire*, (id eſt, ſi quaſi comperta aſſeras, quæ falſiſſima eſſe noſti, non ſolum omnium hiſtoricorum relatione, ſed ipſiuſmet Turrecrematę librorum monumentis) *quid, & quale erit tuum opinari?* Nihil apud omnes ſcriptores illius ſæculi certius, quàm Turrecrematam inuicto animo pro Eugenio pugnaſſe; vnde datus illi à Pontifice defenſoris fidei titulus, & Eugeniani cognomen illi adhæſit. Idipſum teſtantur tractatus 73. quæſtionum de authoritate Pontificis, & Concilij, quæ falſi apertè conuincunt ex Alua de Turrecrematata relata; & adhuc dictorum ſuorum fidem exiget, quam videtur omnino eiuraſſe. Eâdem audaciâ paginâ 113. in Concilio Tridentino ſcribit, laceratam eſſe D. Thomæ opinionem, de quâ ne verbum quidem, ſed innouata fuit Sixti IV. Franciſcani conſtitutio ab Alua grauiſſimè læſa, quâ ſeuerè prohibet ne vlli harum opinionum nota de Conceptione erroris inuratur.

Iam ſatis ſupérque falſationum, abrogandæ Petro fidei, quam Bandello nullo argumento detrahit: quid enim de ſe ſtatuendum cenſet apud Lectorem, cùm ne-

dum abiectam veri curam, vbique prodat, sed pœnè etiam pudorem, aut metum excussum, ne falsi conuincatur. Hoc vno præiudicio euersa sunt, quæ à Nodo secundo ad octauum vsque fusissimè scribit. Placet tamen aliqua exscerpere refellenda.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

Refelluntur obiectiones præcipuæ contra antiquiora elogia Diui Thomæ.

VERBA à Christi Crucifixi imagine D. Thomæ dicta Neapoli, *Bene scripsisti de me Thoma*, iam muniuimus Pij V. collatis indulgentiis sacellum vbi hæc colitur imago, adeuntibus, item & Clementis VIII. atque Alexandri VII. commendatione confirmauimus: quibus adde testimonium Sixti V. Franciscani æquioris Petro Alua in D. Thomam; quem in secretiori Bibliothecâ Vaticanâ cum D. Hieronymo pingi curauit, sinistrâ manu Ecclesiam gestantem, dexterâ vero, quâ scripsit, ingentem luminis splendorem euibrantem, cum hâc inscriptione: *Sancti Thomæ de Christo scripta, à Christo Crucifixo confirmantur.*

Quid ad ista Petre, nedum à Summo Pontifice, sed à Franciscano tui instituti profecta? Sed nihil hæc moratus, falsi historiam accusat, argumento negatiuo, quod rem, si vera sit, contingere oportuerit ante annum 1274. quo D. Thomas vltimum diem clausit, nec vllus tamen scripserit ante annum 1387. nec qui referunt concordant. Verum, si ad certam rerum fidem requiras æquales, vel subparium Scriptorum libros apud nos superstites, nutabit rerum pœne infinitarum persuasio, nec tuta erit Deiparæ corporis in cœlum assumptio: conuellentur innumera, traditione apud omnes recepta, quæ nominatus Author Thiers longâ serie recenset. Deinde cum in D. Vincentium referat Alua hanc historiam; vel contendit à se inuentam, vel ab aliis exceptam euulgasse. Non arbitror eò audaciæ progressurum, vt primum responsum tentet, & Diuum Catalogo Sanctorum

ascriptum, adeò enormis impostura accuset, vt quem Deus dignatus est huiusmodi beneficiis, & miraculis, falsa mentiatur: ab aliis ergo recepit sine dubio fide dignis; nisi in illum velis cadere sapientis verbum, *qui cito credit, leuis est corde.*

Sed iterum vrget Alua, si orbi innotuerat hæc D. Thomæ commendatio; cur obmissa fuit à Montesono ad suam causam vtilissima? Semper negatiuis agit: quasi Montesonus omnia sciret, vel omnium meminisset: quid si ab illâ historiâ abstinuerit, quòd ad manus non haberet acta, quibus rem contumacibus persuaderet? Si dicas D. Vincentio non conuenire cum D. Antonino eadem referenti. Sed leuissima est dissentio de circunstantiis, quas salua rei veritate contingit res certissimas narrantibus variare; & si satis idonea sit ad dubitationem inducendam huiusmodi coniectura Aluæ, multa nutabunt ex annalibus Franciscanorum. Mirum quantum apud illos Authores rerum certissimarum dubię sint circunstantiæ Si dicas ista narrari à solis Dominicanis; quot & quanta ex Patrum Minorum historiâ, à solis suæ familiæ scriptoribus celebrantur, tacentur ab extraneis? Exemplo sit sanctissima Elizabeta Hungariæ Regis filia, quam suis Diuis accensent annales Fratrum Minorum, quod tamen tacet vita à Surio suæ historiæ inserta, primùm scripta à Conrado, qui Diuæ à confessionibus fuit, primus ex nostro ordine Germaniæ Inquisitor. Putatne Alua, hoc vno silentio, seu argumento negatiuo eripiendum Franciscanæ familiæ tantum decus? Adde falsum hanc historiam à solis Dominicanis referri, illam scripsit memoratus Ioannes Gilemens Canonicus, suisque operibus inseruit.

Calumniis calumnias congeminat, quæ sacrilegio non careant. Audiuimus D. Vincentium obliquè incusarum impostura, D. Thomam innumeris fædatum erroribus; quæ omnia non solum crimine vacare putat Alua, sed eximiæ etiam pietatis, & sanctitatis operibus accenset. Satis ipse suam mentem aperit folio 575. *Falsissima est*, inquit, *impostura; quia Christus non approbauit doctrinam D. Thomæ, nec dixit illud benè scripsisti de me Thoma.* Cur ita censes contra tot Pontificum, ne quid dicam excepto Sixto V. sententiam? *Quia* (vt inquis barbatè)

quando, id est (licet) *esset certum*, & *infallibile*, *quod Virgo Maria contraxit peccatum originale*, *filius eius non reuelaret*; *quia aliàs Christus esset alter Cham filius Noé*, *frangendo præceptum*, *quod ipse seueriſsimè imperauit*, *Leuitici cap.* 8 *Ego Dominus turpitudinem patris tui*, & *turpitudinem matris tuæ non discooperies*: *mater tua est*, *non reuelabis eius turpitudinem.*

Non mirum est; Aluam implacabili animo D. Thomam insectari: cum ne quidem Christo se condonaturum testetur hoc grande piaculum, etiamsi res ita haberet vllius Adæ contagij Deiparam fuisse participem, quod non putat ab ipsomet Vnigenito Virginis potuisse dici, nisi effracto, quod omnibus, sibique imposuit, præcepto, ne turpitudo Patris, aut Matris à filio discooperiatur: & si hanc etiam fide credendam veritatem docuisset, Christus Chami maledictionem in se asciuisset. Inde etiam folio 623. eodem animo scribit *nimis durum*, *imprudens*, & *infidele videri matrem laudare filium*, *dominam seruum*, *Magistram discipulum*, & *in eâdem re*, *materiâ*, & *puncto filius*, *seruus*, *ac discipulus differmet matrem*, *dominam*, *ac magistram.*

Id velim ab Alua rescire, an illud ex Leuitico præceptum, quo vno D. Thomam reum peragit impietatis & blasphemiæ, cuius venia indignum pronuntiat Christum fore, etiamsi verum diceret, an re vera interpretandum censeat ad litteram, vel tantùm accommodatitio sensu, & per metaphoram referat ad subiectam quæstionem? Si primum contendat, ridendum se præbebit, nedum hæreticis, sed etiam doctis omnibus; quibus nunquam venire potuit in mentem, eo loco ad verum, ac genuinum sensum explicato prohiberi, ne parentes nostros in Adamo mortuos, & cum originali peccato natos fuisse mussitemus; aliàs cum Chamo maledicendi, quòd parentum nostrorum turpitudinem detexerimus. Si tantâ absurditate deterritus, dicat hunc locum de originali peccato explicatum, Christum duntaxat præcepto illigare: ineptior est priore interpretatione hæc restrictio, quasi soli Christo fini legis, eius aduentu, & morte abolendæ, legalia præcepta sint constituta. Vt hæc absurda, & impia euadat, Petro confugiendum est ad alteram responsionis partem, metapho-

ricè locum ad ſubiectam quæſtionem ſpectare, & ac commodari.

Sed perfugium iſtud præruptum, & præcipitium eſt; & hæc poſterior interpretatio, ſin ineptior, longè periculoſior eſt priore: neque enim dubitamus, quin hæc metaphorica conuenientia Petro ſit demonſtratio neceſſaria, & veluti aheneus nodus, quo nedum nos, ſed ipſummet Deum liget, tanquam naturali lege; cum verbis relatis teſtatus ſit, etſi reuerâ Deipara communi naſcentium ſorte in lucem prodiiſſet obnoxia labi, & id Chriſtus aperuiſſet; non euitaturum Chami reuelantis pudenda Noé, crimen, & quam inde incurrit maledictionem patris. Huius etiam loci ex Leuitico metaphoricâ interpretatione, putat Conceptionem immaculatam idoneam fieri vltimæ definitioni; quam totis viribus vrget, cuiuſque causâ totum orbem peragrat, tot & tanta molitur in D. Thomam præter officium & omnem veri & æqui ſpeciem, quæ tamen tam piæ cauſæ obtentu, putat quamlibet perperam facta gratiſſimum eſſe Deo & obſequium, & ſacrificium. Nec dubitandi locum ipſe relinquis Petre, quin hæc tota ſit tuorum conſiliorum ratio, & vnicus tuorum librorum finis.

Sed vide mi Petre, quàm longe à vero ipſe aberres, & alios velis abducere, ſi his metaphoricis interpretationibus Scripturæ credas omnia tibi licere, vel à Summis Pontificibus poſſe definiri. Putabam omnia argumentorum tuorum vitia exhauſta eſſe, duobus notatis, quorum vno ſyllogiſmum in plures tribus terminos findebas, altero in pauciores compingebas; ſed tertium addis ſuperioribus deterius. Cenſes accommodatitiis locorum Scripturæ interpretationibus res idoneas effici definitionibus nouis, quæ ad fidem pertineant. Quid enim certius & euidentius, quàm illud ex Leuitico præceptum, à peccato originali alieniſſimum eſſe? Inde tamen vrges definitionem de Conceptione immaculatâ. Sic enim Summum Pontificem alloqueris: *Nodum inexplicabilem præ manibus habet Sanctitas veſtra, variis aſtrictum vinculis, qui nec ratione, nec viſu percipi poteſt, quo currus ſententiæ pia ligatus manet, ne cum aliis roteț in fidei throno.* Hæc verò vincula tu diſſolui,

aut rescindi putas præcepto Leuitici, *turpitudinem Patris, &c* quo Christus ipse ligetur, & quo vno cætera, quæ mendacia, calumnias prohibent præcepta, tolli, sin verbis, certè factis significas se reputare.

Vt rem inuidiosissimam concludam; audi Petre, quam vrges definitionem fundamentis à te positis conceptu mentis, & ventris, & ex Leuitici præcepto, tu solus ex Catholicis optas, & Ecclesiæ Romanæ hostes tui voti & consilij consortes habes & socios, & si quæ prosequeris (quod absit, & horret animus cogitare) consequereris, vt metaphoricæ verbi Dei interpretationi res fide diuinâ credenda inædificaretur, actum esset de Religione Hæretici tecum votorum rei & compotes insultarent Ecclesiæ Catholicæ, si adeo caducis & ineptis, ne quid aliud dicam, fundamentis, à te toto tuo libro substratis, suas definitiones astrueret, & immoliretur. O cælites, talem auertite pestem: sed frustra hæc timemus. Indolendum magis est cæcitati Aluæ, qui hâc vnâ metaphoricâ vnius legalis præcepti interpretatione, se exolutum putat à legibus iuris diuini legitimo sensu explicatis, ne mentiatis, &c.

Hunc Paragraphum claudam, aliâ paris cum superiore momenti obseruatione. Dum opusculum contra errores Græcorum grauissimis post Launoium erroribus ait scatere, non animaduertis, Petre te consilium tuum labefactatâ authoritate Pontificia prorsus euertere: neque enim vllius erroris potest argui hic liber, quàm quòd ex Launoij opinione deceptus B. Thomas vel malâ fide Cyrilli testimoniis, quæ apud illum hodie non extant probet, iure diuino toti Ecclesiæ esse præpositum Summum Pontificem, ad quem eodem iure, rerum fidei definitio pertineat: Tres verò, de primatu Petri & Summi Pontificis sententiæ occurrunt hîc distinguendæ, extremæ duæ, & tertia media. Prima opinio cui, videtur adhærere Launoius, nullum Petro, eiusque successoribus institutione diuinâ ius concedit in alios, nisi Episcopis, & sacerdotibus omnibus commune in Laicos: altera extrema sententia summum, & plenum ius Papæ propugnat, etiam in Ecclesiam collectim, & in Concilia Oecumenica: tertia inter extremas media ius illi institutione diuinâ in Ecclesias diuisim, non collectim

in omnes confert: Huic ad minus consentiant Catholici omnes, necesse est: secundam defendunt Bellarminus, Turecremata, Cajetanus; quâ de causâ inter palpatores Curiæ Romanæ à Launoio recensentur.

Quæro, Petre, cui harum sententiarum adhæreas? Non dubito quin pedibus, manibusque in sententiam Bellarmini eas. Nam nisi plenum ius definiendi res fidei Summo Pontifici concesseris, frustrà ab illo efflagitas definitionem fide diuinâ excipiendam de Conceptione immaculatâ, cui putas, te satis idonea & solida fundamenta præstruxisse ex Leuitici præcepto. Sed si ita censeas, cur opusculum D. Thomæ contra Græcorum errores traducis; quasi erroribus grauissimis scateat: cum vnius tantùm Launoio suspectus, aut compertus sit, quòd tecum sentiat Summo Pontifici datam facultatem determinandi res fidei, à quo cùm immaculatam Conceptionem definiri efflagites, & illud opusculum cum Launoio infames, planè contra te pro Aduersario pugnas, & tuum consilium euertis.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Alij lapsus Aluæ, & in omnibus pertinacia.

A Solo Appelle pingi, & à Lysippo fingi voluisse Alexandrum, aliquâ suarum Epistolarum obseruat Tullius. Ideo sui imperij statuariis, & pictoribus seuerè inhibuit ne quisquam præter hos duos, sui imaginem moliretur, quam ab aliis non crederet pro dignitate defformari posse. Non dubito, Petre, quin Deipara ægerrimè ferat, suæ Conceptionis immaculatæ vindicationem à te susceptam. Profectò id operis nemini mortalium minùs, quàm tibi conueniebat; quia cùm huic immunitati propugnandæ quærendus esset vindex par rei, id est ab illo Adæ contagio remotior; vix vlium hactenus noui, in quem certiùs, & atrociùs, quàm in te communis ille morbus sæuierit.

Quid enim ex illo malorum omnium fonte profluxit grauius iis, quibus hanc tuam scriptionem vitiasti; nempe illâ detrahendi alienæ famæ, & te, tuaque prædican-

di cupiditate ; illâ insontibus grauia quæque, & falsa affingendi licentiâ, vel morositate in leuissimis supra modum exaggerãdis culpis, & in tuis quamlibet apertis, & immanibus cæcitate & pertinaciâ? Horum verò malorum in tuo scripto frequentiora & manifestiora extant vestigia & exempla, quàm nos tuæ salutis soliciti vellemus, aut in quibus libet, etiam nobis amicis excusare possimus. Id tantum dubium relinquis, temeritatene magis in affingendis D. Thomæ, eiusque Discipulis falsissimis, & atrocibus erroribus, vel morositate in augendis leuibus, ac nullis culpis, an pertinacia in his omnibus defendendis ac nunquam retractandis grauiùs, aut frequentiùs peccaueris.

Videris his tuis Nodis tragicomœdiam instituisse; seria & immania misces cum ridiculis : vt pro conditione cujusque Lectoris, quibusdam risum, aliis indignationem, sed re verâ melioribus tui commiserationem excites ; vt dolendum planè sit, vnius bonæ causæ prætextu tot & tanta mala potuisse tibi permittere quasi honestarentur ; cum æterna sit lex immota, *nunquam facienda mala, vt eueniant bona.*

Credebam, te vnum D. Thomam deposcere ad mortem, vti Sebæ tuo operi præfixo nomine significabas, quasi alter Ioab in hunc vnum perduellem sæuiturus, & cæteros omnes humaniùs habiturus. Sed nulli parcis, omnes spirans minarum & cædis insequeris, apud quos perfugium putas posse habere S. Doctorem. Hinc in totam familiam Dominicanam atrocissima hæc accusatio fol. 512. *Pro vno fratre sequuntur vestigia vnius Matris Ecclesia, & pro* tres-sainte Vierge *aspernantur & contemnunt tres matres, & tales matres, Mariam in Cælo, Ecclesiam in terrâ, & vniuersitatem Parisiensem.* Iam monui te, grauia ridiculis, & immania ludicris permiscere ; vt tragicomœdiam conficias, & simul nos ludibrio, & execrationi omnium deuoueas : Nec sine causa Ioabi supremi Ducis exercituum Regis Dauid personam induisti ; eo consilio, vt sicut Imperator ille sub Dauide Israelitarum militiæ tribus lanceis perduellem in Patrem, & Regem confodit Absalonem ; ita tibi assumas totam Familiam Dominicanam triplicis Matris con-

temptu vnius Fratris causâ, quasi mucrone diro triplicis lanceæ perimendam

Quid nos ad ista? exhorrescimus, & obmutescimus: sed nobis tacentibus, quas iniquissimè criminaris contemptas & cæsas, matres contra te inclamant nos ab iis sacrilegiis insontes, &, si obfirmato animo nolis credere, obtestantur nostram innocentiam suis in nos effusissime, & certatim collatis beneficiis, tanquam suæ in nos beneuolentiæ immortalibus monumentis.

Sed cùm trium matrum, in quas nos læsæ maiestatis, & pietatis reos peragis; quæ in cælo residet, potestate & munificentiâ alteram in terra militantem Ecclesiam, vti ipsa iisdem dotibus superat vniuersitatem Parisiensem ex Dominicanis satis copiosâ sobole fœcundam, materna etiam vbera Deiparæ vberioribus, quàm alterius, & huius, quàm tertiæ nos beneficiis lectarunt: Et quidquid calumnietur Petrus, nos à sui contemptus atrocissimâ calumniâ tot testimoniis & Apologiis D. Thomæ Scholam liberant, quot extant antiqua & recentia omnium ætatum in Magistrum & Discipulos immortalia beneuolentiæ monumenta; quæ non dubito apud cordatos omnes inualitura aduersus Petri calumnias, & inconditas vociferationes.

Vbi omnes generatim variis locis inuasit Dominicanos, infensiùs præ cæteris incurrit in Turrecrematam, quem cum Petro à clausa valle post D. Thomam, se maximè testatur odisse. Quam verò ob causam, vix alia occurrit, quàm quod in Concilio Basileensi omnes, illius sæculi testantur scriptores tantâ animi constantiâ pro Eugenio egisse, vt inde iam memoratos honoris titulos sit consecutus. Hunc tamen Petrus apertâ calumniâ scripsit folio 635. Eugenij causam prodidisse, cum omni certo sit certius, acerrimè propugnasse pro Eugenio contra Ioannis à Segobia Franciscani impetus. Sed Petro licet pro suo summo in omnia iure personas mutare, & quas ex sua opinione pœnas Segobia commeruerat, à Turrecremata deposcere: Hinc post exercitam in illum summam crudelitatem ob crimen confictum, vult etiam suam experiri morositatem: Iam obseruani, duplex esse calumniandi genus; vno immania & falsa insontibus affingi, altero leuissima & futilissima in ma-

jus ad odium & inuidiam augeri. Vtriusque generis calumniarum insignia voluit extare in Turrecrematam exempla: primi id est affictorum falso immanium criminum iam dedimus: audi Lector, alterius rationis accusationem.

Quinque vitia capitalia incurrisse ait Turrecrematam folio 158. quòd locum D. Thomæ ex 3. d. 3. semel vsque ad minimum apicem transcriptum, alio loco vt moris est Scriptorum, inuariato sensu sex voculis paululùm immutatis recitauerit, & cùm textus D. Thomæ habeat, *non potuit esse*, posuerit, *non fuit, nec esse potuit*: En duo priora capitalia vitia: tertium est vox *decenter* obmissa, sufficientissimè ex iis, quæ præeunt, aut consequuntur, significata: quartum est quòd, *præseruaretur*, dixerit, vbi alia lectio habet *conseruaretur*: quintum denique quod pro *incurreret culpam*, dixerit *contraxisse*. Hæc iudice Alua sunt quinque vitia non qualiacunque, sed capitalia. Sed vti Pater Harney huic peremptorio Aluæ iudicio adiungit, iuxta eos, quos nec dum planè excæcauit affectus, & qui saltem *vident homines, sicut arbores ambulantes*, ne vitia quidem sunt.

Eadem seueritate tota illi Academia Salmanticensis dat pænas grauissimas, ob similes culpas, id est prorsus nullas. Suo iuramento Academia nulli in toto orbe Christiano secunda, retulerat ex S. Antonino historiam allocutionis, quâ Apostolorum Principes se dignatos S. Doctor socio suo Reginaldo cum fide iuramenti aperiebat; & cùm elegantiæ causâ, vel libertatis honestæ ab omnibus vsurpatæ sine vlla noxa, Sapientissimi viri verba Antonini immutassent, sensu prorsus inuariato; sic in illos quasi Plagiarios seueriissimè agit Alua fol. 588. *In vna authoritate habente viginti quatuor dictiones Latinas, in additis, derelictis, ac mutatis inueniuntur plura, quàm quadraginta vitia & si aliquis de hoc dubitauerit. enumeret: & hoc*, inquit, *non est factum antiquitùs, sed modò; neque in aliquo angulo terræ, sed in insignî Academiâ Salmanticensi; nec denique ab aliquo ignoto Scriptore, sed à nouem præclarissimis Magistris, in iudicio contradictorio, & quando nitebantur excludere ab illâ insigni vniuersitate omnes Ecclesiæ Doctores.* Quæ verò

illa vitia sint ipsemet aperit nimirum, pro τὸ *rogauit*, τὸ *sciscitatur*; pro *autem* dixerunt *verò*, idemque de aliis triginta octo iudicium esto.

Sed parum erat, nisi & S. Thomas illâ Salmanticensium accusatione grauissimâ per parenthesim carperetur; dum enumerat quadraginta vitia, *Quarto*, inquit, *perueniendo ad authoritatem formalem, vbi S. Antoninus vtitur verbo rogauit, Salmanticenses excogitarunt aliud aqualitatis, scilicet sciscitatur*: Et addit Petrus; *nam S. Thomas non rogat* scilicet Apostolos, *sed sciscitatur*.

Quid nos ad ista? Videris mihi Petre, in te, Tuosque, & in Aduersarios eodem discrimine & animo comparatus, quo Caluinistæ Deum in Catholicos quasi in reprobos, & in suæ sectæ homines, comminiscuntur affectum. Istorum parricidia, incestus, quasi veniales culpas habet, & ad nullam imputat pœnam: nostras verò labeculas, motus etiam indeliberatos, quasi enormia scelera, & lethalia peccata æternis suppliciis castigat. Ad hanc iudiciorum normam tua componis, Petre: hinc tantâ crudelitate excepti à te Turrecremata, & Salmanticenses, ob aliquot vocularum immutationes, quasi ob enormia peccata. Si tibi particula, *autem*, mutata in *verò*, *præseruare* suffectum in *custodire*, & alia his similia, sunt capitalia vitia, quæ tandem leuia tibi sunt futura? Quæcumque ipse enormia admiseris prætextu piæ causæ insontibus, & de Ecclesiâ benemeritis traducendis.

Magnam de te excitasti expectationem, aduocatâ ad tuum tribunal Salmanticensi Academia; sed vix poteris sustinere, quin ridiculus euadas, aut quid peius. Scribæ olim sectæ Principes magnificentissima legatione, cum maximâ pompâ ad Christum in remotis regionibus degentem, miserunt accusatum Apostolos grauissimis de rebus, quòd Seniorum traditiones impunè transgrederentur. Quas verò tandem? Nempe quod inopiâ & fame oppressi illotis manibus excussa ex spicis ad messem maturis comederent grana omni alio obsonio destituti.

Non dissimiles sunt tuæ in nos Petre, accusationes; promittis, aut intentas capitalia peccata te probaturum,

& profers inepta & ridicula. Faxit Deus, vt à meliore animo prodeant; nec infælicem habeant exitum, quàm Sycophantarum in Apoſtolos criminationes ſortitæ ſunt, in ſpeciem graues, affectu malignæ, re ipsâ ridiculæ, & ſuis authoribus exitiales. Timendi tibi eſſent illorum caſus; à quorum imitatione non videris abhorrere.

Sed omnem ſtuporem ſuperat rua in his malis cæcitas, cui ſecunda tuorum Nodorum editione pertinaciam addidiſti; eáque omnem, nobis quidem tuæ reſipiſcentiæ ſpem, tibi verò horum excuſationem abſtuliſti. Mirum planè eſt, te in alieno oculo feſtucam deprehendere, nec in tuo trabem ſentire. Et cum tuis, quibus laboras, indolendum, & medendum eſſet malis grauiſſimis, illa foueas, tuteris, qui aliena etiam leuiſſima nec ferre poſſis, nec excuſare, & in infinitum augeas. Puto in te cadere commune illud Philoſophorum effatum de elementis, vbi ſuum locum occupauere, nullo innatæ leuitatis, aut grauitatis pondere ferri & impelli. Sic amor, & admiratio tui, aliorum neglectus, ne contemptum, & odium dicam; & quæ inde prorumpunt, cæcitas & ignoratio ſui, opinionum præiudicatarum impotens æſtus, & alia id genus vitia, quaſi innata, te inducto ſtupore effugiunt, tibique ſunt inſenſilia.

At fortè putas piæ cauſæ zelum, quidquid præter fas moliris, honeſtare; ſed neſcis damnari ab Apoſtolo zelum cæcum ſine ſcientia, & à Sanctis Patribus amarulentum, quem charitas non condierit. Nec vides has dotes in eo, quem obtendis, zelo deſiderari; nec quamlibet ſanctę & iuſtæ cauſæ ſtudium, ne dicam immanes falſationes, à quibus non videris abhorrere, ſed etiam tot moroſitates, & vitilitigationes perpetuas nec pati, nec excuſare. Si cui aliquid religionis & conſcientiæ ſit reſidui, quatuor ſuppetunt ad reſipiſcentiam, & ad bonam mentem remedia, nempe peccati & erroris, in quæ impegerit, aperta & inexcuſabilis damnatio, deinde atrocitas ſceleris, quæ ſtupidos etiam percellat; præterea priuatæ amicorum correctiones, aut obiurgationes inimicorum, caſtigationes tandem, & pœnæ maiorum, quibus in nos ſit nedum authoritas, ſed etiam imperium.

Quid horum tibi Petre, defuit, vt eorum quæ primâ editione perperàm, & apertè atque immaniter falsa scripseras, secundâ deleres, aut certè, vti omnes mirantur, & dolent te feciſſe, non augeres? Poteras causari piæ causæ studio tibi impositum, te aliorum relationibus deceptum, multa per incogitantiam non malo animo scripsisse (quamuis ægrè ad omnia quæ euulgasti, possit hæc excusatio pertinere;) hæc tibi ficulneæ folia, quibus exemplo protoparentum nuditatem tegis, abstulerunt suis apologiis Patres Belgæ. Cur non emendasti? Aut saltem non excusasti prope infinita, quæ apertè falsi conuicerunt? Vt argumenta quæ vocamus, sed contra præfixa articulis nunquam à D Thoma solui.

Si ista hisque similia, quorum aliquot tibi supra subiecimus, leuiora videbantur, quàm vt tuæ famæ noceres solemni palinodiâ, aut vt excusare ad tuam salutem interesset; cut Turrecrematæ proditionis causæ Eugenij per summam calumniam traducto, adhuc secundâ editione falsi conuictus ineluctabilibus argumentis, genuinum acrius infigis? Si leuior etiam tibi sit hæc accusatio, an eo genere repones, quod scribis, doctrinam D Thomæ 222. errorum in Angliâ, & in Galliâ à Parisiensi, & Oxonienſi facultate, & ab Episcopis censurâ damnatam, à scholis proscriptam fuisse anno 12. 6. idque ais *constare actis authenticis, hodie etiamnum subsistentibus?* Hincque nodum nectis longissimum à paginâ 161. vsque ad paginam 257. atque inde concludis passim; *quomodo autem Christus Dominus hanc doctrinam approbauerit, cum non sit errorum approbator Deus, non habebit adeò expeditam solutionem.*

Quam falsa sit hæc criminatio; omitto dicere, cùm errorum his censuris damnatorum vix vllus extet apud D. Thomam, si vnam vel alteram propositionem excipias, quæ sensum Catholicum admittant; cùm eo, quo lata fertur censura anno, vix suæ ætatis secundum attigisset D. Thomas. Deinde cum eiuranda omninò esset, & execranda adeò falsa, & atrox criminatio, vitilitigat Aduersarius folio 167. & ait vitio præli annum 1206. suffectum anno 1277 excuso mendum. Sed eandem à Petro gratiam exigo, licet non ausim sperare; simile ex prælo erratum contigit ad elogium ex Vrbano V. & loco anni

1379. septimi Pontificatus Vrbani, appositus fuerat anno 1377 Ad hæc Alua, folio 293 prorumpit in huiusmodi verba. *Tene me amore Dei, vt ex ore meo me iudices?* Et huic exordio consentanea adiungit, quibus nos nedum falsi, sed pene sacrilegij reos agit, cum in promptu esset excusatio, quâ simile, & grauius erratum vult sibi condonari, id est mendum ex prælo contigisse.

Sed quid his leuioribus, ac pene nugis collatione aliorum, quæ hic castiganda sunt, longiùs detinemur? Patres Belgæ vrgent Aduersarium; Cedo, inquiunt, *illa testimonia authentica, & originalia vsque in præsentem diem subsistentia*, quibus folio 219. ais, *omnem tolli dubitationem* de doctrinâ D. Thomæ, sub pœnâ excommunicationis quoad 222. articulos, vt erronea in fide condemnata & prohibita. Ad hæc respondet folio 192. hos 222. errores damnatos in Angliâ, ab Archiepiscopo Cantuariensi, & Parisiensi in doctrinâ D. *Thomæ inuentos vt referebatur*; atque hæc tandem est tota tua defensio, quæ venditabas testimonia authentica, &c. in vagum vulgi à te confictum rumorem facescunt.

Ex vno crimine disce omnes.

Poterásne Petre, hac 222. errorum ex doctrinâ Angelicâ censurâ aut delatione maior, grauiórque, quàm à te susceptа sit, institui accusatio? Et cum testimoniis destitueretis, quibus prædicabas munitam; poterásne magis pudendâ, aut puniendâ perfidiâ, ne vel minimo retractationis aut pœnitentiæ dato signo, quàm vulgi rumoribus eam tutari, & excusare? Post istud omninò profligatæ fidei argumentum, frustra tibi de aliis litem moueam. Addam etiam, quod te vtcunque leuare & solari possit, dictum de viro linguæ petulantiâ apud omnes pessimè audiente: Quidquid in alios effutiret, videri culpâ carere, quod nullam fidem faceret: vereor ne de se ita sentiant boni omnes, verum si nec aperta calumniarum falsitas & immanitas, nec priuatorum monitiones te à tam tetrâ editione poterant deterrere: debueras ad minus abstinere post quartum, & vltimum ad resipiscentiam remedium; nempe post damnatos Romæ, & in Hispaniâ tuos libros.

Nam si à falsationibus adeò manifestis, quibus pudor suffundi possit deploratis, & cõscientia quãlibet dura velli-

cari, vnum ſupererat ex tot malorum naufragio reliqui, quo cauſæ piæ prætextu tibi blandiebare, hoc adeo acre tuum ſtudium non diſpliciturum Romæ, & gratum futurum Hiſpaniæ, quæ præ cæteris Chriſtiani orbis regionibus impenſiùs fauet piæ opinioni, & vtramque boni conſulturum quidquid in D. Thomam, & in nos ſcriberes relictâ penès te dictorum fide. Sed cùm illud ſolatij, & excuſationis tibi præreptum ſit cenſurâ tuorum librorum latâ Romæ, & in Hiſpaniâ, quibus te probatum iri ſperabas; Quid ſupererat, niſi vt iudicio æquiſſimo acquieſceres, palinodiam caneres, aut ſaltem deſineres inſontes vexare? Sed nouiſſima prioribus peiora facta ſunt, & tuæ in nos ſæuitiæ, ne procacitati dicam, in maiores contumaciam, & in malis pertinaciam addidiſti.

Iam monui te ementito primæ editionis anno, fraude illuſiſſe conſtitutioni vltimæ de Conceptione; vt prætextâ illius ignorantiâ, quod cauebat ſapientiſſimus Pontifex, in nos ageres, quaſi impios & ſacrilegos. Sed quo nomine excuſabis tuas ſatyras & inſectationes, cùm Romæ, & Hiſpaniæ execrationi ſint, quibus te gratificaturum ſperabas? Quid tu ad has vndequaque ingruentes cenſuras? Libro à te Hiſpano idiomate edito, illas ſolo halitu difflas, quaſi quaſdam atomos, quæ ſolem veritatis à te ex nouo orbe inuectum obſcurabant, tuúmque conſilium ſatis hac inſcriptione conteſtaris, *Soplos contra algunes atomos, que ſe han leuantado, y opueſto aqueſtos dias al ſol de la verdad: por F. Pedro de la Concepcion Religioſo minimo entre los Menores el menor. Con Licencia delos ſuperiores impreſo en Vaylona anno de* 1661. *por Iacobo*, Brigh. omnia immutas, & ſus déque euertis, modo *Petri à Conceptione*, modò veterani militis Flandriæ perſonam aſſumis, vt bellum indicas tuis maioribus, illiſque inſultes ventoſis Plautini militis verbis, eoſque omnes vno tui oris halitu euertas. Si optandum nobis fuerat ab vllo aduerſario laceſſiri; poterâtne feliciùs contingere aggreſſio, quàm ab illo, qui vt Eucherij Lugdunenſis verbis vtar de morte diſſerentis; cuius inſigne tibi aſſumis: *nulli cedo tendens in nos quaſi reos, incurris in iudices dominatus ſeruis & clientibus, exardeſcis in dominos: ſæuiens in priuatos homines, proſiliſti in Summos Pontifices,*

Pontifices, quorum iudicia veluti atomos dispellis.

Huius dissertationis finem faciam monito omnium grauissimo: iniquiùs & impotentiùs nobiscum agis Petre, dum congestis omnium generum erroribus, & criminationibus in Familiam Dominicanam; addis illi congenitam in malis pertinaciam, & Scripturæ sacræ, sacrorum Conciliorum contemptum præ doctrinâ D. Thomæ cui pag. 159. per diriſſimam ironiam ais *Summum Pontificem hoc illi priuilegium dedisse, vt Scripturæ sacræ & Conciliis præponatur.* Atque hinc tuo, *certum quid*, aliis Nodis, in 6. inserto dicis, *D Thomam quæ sanctum posse, non pudere retractationis errorum quos commiserit, sed vt Dominicanum nunquam retractaturum, quia Dominicani nimis adharent suæ opinioni, & pluris faciunt illam, quàm authoritatem Ecclesiæ, & Doctorum.*

Ad ista Pater Harney. *Hæc tu dicis Pater Alua, & adhuc vis de modestiâ commendari?* Aliquam tuis dictis fidem haberemus, si vel vnum Dominicanum proferres, qui tibi ad hanc in supremam Ecclesiæ potestatem contumaciam præiuisset, aut te imitatus fuisset contradicendi audaciâ. Absit verò vt tibi vicem reponamus, tuaque priuata mala in aliquod matris tuæ Familiæ Franciscanæ conuertamus dedecus, quasi illud præposteri, & amarulenti zeli genus, & in nos odium, congenitum tibi sit, vbi primum hanc vestem induisti.

Horret animus ista etiam cogitare. Scio te sanctissimè institutum ad modestiam, ad humilitatem & charitatem, eóque te sanctissimi Parentis exempla, & leges Seraphici Ordinis vocare; sed indolem non admodum sequacem sortitum, aliò te tui affectus deduxerunt: vnde hoc maximè tuam peruicaciam auget, & cumulat, quod nedum infinita apertè falsa, & atrocia, nedum castigatus priuatâ monitione, sed publicâ etiam censurâ majorum, tui etiam instituti, quod ad omnem humilitatem & modestiam effinxerat, oblitus, secundâ tuorum Nodorum editione peccaueris; & adhuc Dominicanis contumaciam retractationis impatientem, & contemptum Ecclesiasticæ potestatis obiicies, quasi mala instituto nostro congenita? Posses aliquâ specie veri id inuidiæ, & infamiæ nobis creare,

si aliquis nostrum cum Occhamo dialogos in Ioannem XXII. scripsisset, aut cum Ioanne à Segobia Eugenium IV. totis viribus impugnasset; si ex nobis prodiissent pauperes Lugdunenses, qui odio in Sedem Apostolicam Luthero, & Caluino prolusissent.

Sed abfit vt hæc priuata nonnullorum Franciscanorum crimina in totam familiam regeram, tuæ calumniæ depellendæ etiam necessitate adactus. Scotus, Occham, Aureolus ex professo D. Thomam aggressi sunt; Nostri eorum impetus intra inculpatæ tutelæ fines sustinuerunt. Sed quis Dominicanorum corruptorium Scoti molitus est, quale D. Thomæ vnus è tuis statim post sancti Doctoris obitum edidit; cui nobis tacentibus Ægidius Romanus correptorium apposuit? Modestiâ nostrorum Patrum tua conuicia excipio; & cum vniuersim Dominicanam Familiam, quasi communi crimine, nullius etiam priuati culpâ traducis: ego Familiam Franciscanam pronuncio immunem, & innoxiam ab his, quæ tu, tuique similes in nos, & Summos Pontifices grauissimè, & frequentiùs peccastis.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Plagij librorum D. Thomæ tria genera refelluntur.

INexplebili ardet Alua Dominicanos insectandi cupiditate, quæ vno genere conuitiorum cum satiari nequeat, omnia arripit, quamuis inter se pugnantia: vt vnam videatur captare voluptatem in D. Thomam, eiusque discipulos sæuiendi. Hinc nihil pensi habet à se ipso dissentire, dum nos traducat. Imponit quæ simul stare nequeant. Primo impetu D. Thomam aggressus, deinde eius libros incessit. Nullum, nequidem Summam Theologiæ contendit genuinum esse illius opus; sed omnia vult supposititia esse, & aliis authoribus plagio subrepta. Hanc accusationem totis viribus diu prosecutus, deserit, ratus se nihil promouisse, & à Magistro in discipulos arma vertit. Quos sentit se non posse eripere Sancti Doctoris Libros, criminatur à nobis interpolatos & falsatos: nec hactenus est insectationum meta;

nouam instaurat: Demus, inquit, quæ circumferuntur opera D. Thomæ legitima esse, nec à discipulis temerata; si hodie superstes esset S. Doctor, illa retractaret. Itaque tribus insistit gradibus, & vrget nos imposturis, quæ in Authoris resiliunt caput.

Quæro, Petre! vel quod probandum suscepisti, putas confectum, & quæ ascribuntur D. Thomæ opera aliena esse; vel sentis, te oneri succubuisse: si hoc tibi postremum acciderit, fateris te calumniarum artificem: si primum contendas; ad quid vellicas discipulos, & arguis corrupisse Libros Magistri, qui nihil ad illum pertineant? More Achilleæ hastæ, & scorpii sanas vulnus quod inflixisti. Standum enim erat primæ accusationi, si veram censebas: sed dum huic alteram addis, & istam tertiâ cumulas, priores posterioribus deles, & te plagiarium prodis. Poteram hac breui, & validâ refutatione esse contentus, & tuo operi hunc versum inscribere. *Statuerunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.* Sed placet singula expendere, vt alterum eiusdem Prophetæ versum apponamus, *exinanite vsque ad fundamentum in ea.*

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Summa Theologica, & singulæ eius partes vindicantur D. Thomæ aduersus Aluam.

NVllum est homicidij, & furti genus, lege seueriùs domestico castigatum, quòd nisi cohibeatur sæuitia, & iniquitas contubernalium, nullum sit contra perfidiam perfugium, & tutissima quæque obnoxia sint prædæ, & latrociniis. Nullum opus suo authori magis assertum, & tutum fuit, quàm D. Thomæ Summa Theologica, ab eius obitu millies edita, omnium diu noctuque detrita manibus. Placuit tamen Aluæ hunc partum & thesaurum S. Doctori præripere, seu vt cupiditati detrahendi nobis indulgeat, seu vt Academicorum more, monstret, nihil adeò indubitatum, de quo non sit litigandi locus, seu fortè veriùs, vt Lectorum, pro cuiusque affectu risum, commiserationem, aut iram

prouocet, quorum hæc disputatio, cum vberrimam materiam præbeat, vnum tantum dubium relinquit, quid horum iustius, consilium Petri, & argumenta mereantur.

Videtur Zoilo inuidere, quem in Repub. litterariâ occupat locum Homeromastigis, seu ex liuore arrosoris virorum illustrium: nisi fortè ambiat illo genere superiorem. Homero Poëtarum principi honores pene diuini ab antiquis delati sunt, quòd artis Poëticæ vnus fundamenta posuerit, & supremum culmen sit consecutus, cui adeò ingenita, & singularis erat poëmatis admiranda illa elegantia, vt priùs Herculi claua, quàm Homero vel vnus versus præripi posset. Quo inter Poëtas Homerus, eodem inter Theologos loco D. Thomas reponitur. Sed an Zoilus Homero fuerit iniquior, quàm Alua D. Thomæ, non ausim dicere; hoc solùm nomine possùm excusare, quæ Zoilus solo liuore in Homerum scripserit, hunc zelo amariore, quàm charitatis suauitas patiatur, fuisse meditatum. Sixto V. seuerior, Christo non parciturus; sed Chami loco habiturus esset, si re verâ communi ex Adamo lege natæ Matris labem contractam verbo aperuisset. Quid putas in D. Thomam sibi permissurum, id falsò scribentem, cuius causâ adeo durè Christum esset vexaturus, & in illum etiam vera dicentem anathema maranata pronunciaturus?

Hac tantùm ratione Zoilo meliorem Petrum existimo, quoad cætera Zoilum planè assequitur, nisi velis vicisse; quòd hic principem Poëtarum, Alua principem Theologorum perpetuò arrodat. Ille Homerum suâ Iliade, & Odissea frui passus est, hic D. Thomæ nihil suorum operum reliqui facit. Sed rem difficilem' aggreditur: prius enim Herculi clauam, Homero suos omnes versus, quàm D. Thomæ Summam, vel suorum operam minimum eripuerit: habet enim, vt loquitur Innocentius VI *eius doctrina, præ cæteris, excepta Canonica, proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum*, vt qui hoc singulari charactere, ac certissimo criterio, & omnium sæculorum voce asserta opera neget genuina D. Thomæ, inuidiosius Zoilo nomen sit apud posteros habiturus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [272] - 212
PUBLIC DOMAIN

Nihil tamen hæc moratus Alua, per omnia compita inscripsit *certum quid* aduersus Angelicum Doctorem. Quid verò illud est? Nimirum Summam Theologicam ad D. Thomam nihil pertinere, *idque efficacissimè* (vt loquitur) à se confectum putat his quatuor argumentis, quorum duo priora vniuersim totam Summam impetunt, posteriora partibus ostendunt Summam, pleraque alia opera aliena esse ab eo. Primò ex Morelles, *in editione Romana inter opuscula, aliqua dubia, quæ plurimorum Doctorum consensu D. Thomæ doctrinam non referunt, sunt excusa*: Quidni his dubiis operibus Summam annumeremus? Deinde non constat, an iuuenis, an senex summam conscripserit: ergo ex eius officinâ non prodiit. Hactenus velitatum est; ad Triarios pugnam deducit hoc argumento: Tertia pars D. Thomæ ab antiquis Thomistis Eymerico, qui anno 1395. latissimum Tractatum scripsit, & à Girando Renerio anno 1471. de eodem Conceptionis argumento disputante tacetur, & à Bromiardo, qui floruisse videtur anno 1290. refertur quæstio ex tertiâ parte 27. in qua verba relata non extant hodie. E quibus mira dialectica tum argumento negatiuo, tum positiuo infert Alua tertiam partem dubiam, ac proinde in totam Summam, cuius est pars, à D. Thoma alienam esse.

Quartum argumentum rem omninò conficit opinione Aluæ: secunda secundæ tota collecta est à Vincentij Bellouacensis speculo morali, qui Author cum ex Garzia obierit anno 1240 vel ex Sixto Senensi anno 1256. quo vix D. Thomas ætatis annum vigesimum sextum attigerat, nec tum prima lineamenta Summæ posuisset, non ab ipso Bellouacensem, sed à Bellouacensi Thomam mutuatum esse hanc partem chronologica ratio demonstrat. Aliunde Bellouacensis professus se Compilatoris, non Authoris munere defunctum, à quo potuit hanc partem locupletissimam colligere, nisi ab Alensi, vt collatione huius Authoris cum D. Thoma post Patrem la Haye contendit Alua, qui his argumentis putat, se Sapientiam Salomonis æquare?

His argumentis, velut quadrato agmine nos Alua aggreditur; ad quæ nos dicimus generatim, omnibus duo

ineſſe vitia, falſi vbique antecedentis, & ſi vera daremus, aſſumi, fallaces omnino eſſe, quæ ex illis præmiſſis deducuntur conſecutiones Eſto, Petre, de aliquot operibus D. Thomæ dubitatum ſit ex Morelles, an eſſent legitima, incertum ſit quo tempore Summa ſit ſcripta; quâ ratione inde infers hæc dubia recidere in Summam omnium operum D. Thomæ certiſſimam? Eſto aliquid controuerſiæ de vnâ, aut alterâ parte ab otioſis aut malè feriatis hominibus ſit excitatum, quid inde tibi iuris comparatum præſumis, vt integrum opus D. Thomæ abroges, quaſi parte aliquâ detractâ, vel ambiguâ non poſſit ſibi, ſuóque Authori conſtare?

Nullus eſt auri argentique theſaurus, libris vero mentis, facultatum præſtantiſſimæ, partui comparandus, nec ſubinde furti, & latrocinij genus plagio execrabilius, quo legitimi Authores ſuis lucubrationibus fraudantur. His adde ab orbe condito nullum hactenus opus, ſi Annales excipias, quo Tacitus inertem molem appellat, magnitudine, argumenti dignitate, ingenij contentione, temporis & laboris impendio maius, aut par Summæ D. Thomæ ſuſceptum legimus, aut ad nos vſque ſeruatum; nullum pluribus, & certioribus titulis ſuo Authori aſſertum Summâ Angelicâ, quam his quatuor futiliſſimis argumentis gloriatur Alua, tanquam quid certum ſe D. Thomæ abſtuliſſe. Nec adeò immanis plagij, & latrocinij iniquiſſimi vllo ſcrupulo percellitur.

Quam vana & præpoſtera eſt huius hominis religio! cum ſit regulæ S. Franciſci, cui vim legis diuinæ alio loco aſſerit, obſeruantiſſimus; non dubito quin illi religioni foret, non dicam vnius nummi furtum, quod laxioris conſcientiæ ſæculares fugiunt, ſed etiam vſus inſcio prælato, vel contactus, quem Seraphici Ordinis conſtitutiones prohibent. Sed qui iſta timet, & cauet, nihil dubitat D. Thomam rei omnium pretioſiſſimæ, cuius collatione vileſcant, & ſordeſcant omnium regum theſauri, & infinitis titulis aſſerta, ob cauillos, neſcio quos, iure deiicere. An non timenda illi eſt reprehenſio Euangelica, *colantes culicem, camelum glutientes?* Sed adeò valida illi viſa ſunt, quæ ex eo retulimus argumenta, vt nedum conſcientiæ remorſus compeſcant, quos iniquiſſimum rei pretioſiſſimæ ſuo legitimo poſſeſſori

ereptę latrocinium, & plagium ingerere debuerat; vt sibi etiam applaudat, quasi hoc iudicio, æquitatem, & sapientiam Salomonis superarit; vt meritò dixerim, his suis Nodis copiosissimam præbere, vel risus, vel commiserationis, aut indignationis materiam.

Sed pressiùs tecum ago, Petre: Nihil afferre te dicam certi, aut probabilis, quod ad legitimam argumentationem, quæ *certum quid* concludat, aut probabilem assertionem: nihil assumis, quod vel ineptum vel apertè falsum non sit, & sæpius vtrumque, quàm alterum seorsim. Quam alieno à mente Morelles sensu, eius verba primo argumento ad tuam trahis thesim! Celebriorum Authorum nomini inscripta sunt triplicis generis opera; nempè certa & genuina, vt Virgilio Æneis, D. Augustino Libri de Ciu. Moralia in Iobum Gregorio, de Consideratione, & in Cantica Bernardo.

Ad id genus pertinet vtraque Summa D. Thomæ Theologica, & contra Gentes. Secundæ classis sunt incerta, non tamen omnino aliena ab Authorum, quibus attribuuntur, eruditione, & grauitate, vt sermones de operibus Christi Cardinalibus Cypriano attributi. Hoc loco reponerem inter opera D. Thomæ de regimine Principum, Ægidio verisimilius Authore. Tertiæ classis sunt Libri omninò nothi, quales sunt inter opera Augustini, homiliæ ad Fratres Eremi, & miracula D. Hieronymi Augustino falsò ascripta. Celebris hæc librorum partitio omnibus magni nominis Authoribus contigit, vt verba Morellis relata ab Alua, significant; vnde mira est hominis vel ridenda, vel stupenda, aut miseranda supinitas, vt ex operibus Nothis postremæ, vel incertis secundæ, consecutionem velit legitimam esse ad operas primæ classis, quo Criterio, vt modestè dicam, totius Litterariæ reipublicæ, & Librorum tum prophanæ, tum sacræ sapientiæ œconomiam, & fundamenta conuellit. Sed, quod omnem superat stuporem, illa consecutione putat se iudicium protulisse Salomonis sapientiâ dignum.

Non minùs absonum, & falsum est, quod secundo argumento assumit; dubium est, quo tempore scripta sit Summa, an à D. Thoma iuniore, aut prouectæ ætatis, ergo est supposititia. Quæ consecutio? Si dubiæ cir-

conſtantiæ, quibus variatis nihil depereat rei, incertam faciant; quid tandem indubitatum relinques? Ne quidem Euangelia; quia infinita continent, quibus nihil certius: licet quo tempore contigerint, & de aliis circonſtantiis diſputare in vtramque partem integrum ſit cuique. His adde aſſumptum omninò falſum, & Summam inter poſtrema opera elucubratam eſſe: præter ſtyli maieſtatem, ſententiarum pondus, aliud etiam certius ſuppetit argumentum, nempe retractatio nonnullarum aſſertionum, quas aliis libris docuerat, & Summæ quaſi poſterioribus cogitationibus emendauit.

Intricatiora ſunt, ſed nihilo meliora duo alia argumenta ad vitilitigandum, quàm ad theſim efficaciter probandam opportuniora: totum argumentum negatiuum eſt, & præter ingenitam infirmitatem falſa vbique aſſumuntur. Antè Eymericum tacentem tertiam partem Summæ meminit Ioannes à Monte-ſono, libello ſuo ſupplici ad Summum Pontificem, aliquot annis ante Eymerici opus euulgato: ante Girandum eiuſdem, quo floruit, ſæculi 1400. exordio quoties non citat tertiam partem Capreolus? Præterea citatione Authorum certiora ſuppetunt Criteria de Authoribus, quibus aſſerendi ſint libri, ex ſtylo, methodo, principiis, antiquis exemplaribus manuſcriptis, aut typis editis.

Quid verò horum deſideratur in hac tertiâ parte ſeruandâ D. Thomæ, de qua litem mouet gratis Aduerſarius? Non eſt ouum ouo ſimilius, quàm hæc poſtrema pars ſuperioribus conſentit; vt iurare poſſis hoc ſolo indicio, ab eâdem omnia officinâ prodiiſſe. Deinde cum infinitâ in bibliothecis extent exemplaria tertiæ partis inſcripta Sancto Doctori, idque inuicto argumento confirmet ſilentium Petri, hactenus ab illo idem (hoc ſublatâ comparationis inuidiâ dictum velim;) quod Iudæorum pertinax perfidia præbet Euangelio indubitatæ veritatis teſtimonium: ideo Auguſtinus capſarios Eccleſiæ, & librorum ſalutis baiulos vocat Iudæos; quia ab inimicis noſtris excepimus vaticinia Prophetarum, quibus nunciantur, quæ Euangelium exhibet impleta; ne cauſentur Ethnici hos libros à nobis confictos.

Idem argumentum à Petro depromimus: omnes ferè Europæ bibliothecas luſtrauit; maximo pecuniarum,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [276] - 216
PUBLIC DOMAIN

& laborum impendio, manuscripta euoluit, atque excepit, non tam eruditionis sibi comparandæ causâ quàm doctrinæ D. Thomæ corrumpendæ, quacumque id ratione posset: occurrerunt illi infinita exemplaria, omnium temporum, tertiæ & secundæ partis Summæ Angelicæ. Si vel vnum reperisset, ne dicam diuersi Authoris nomini inscriptum, sed quod vel D. Thomæ nomen tacuisset, per totum orbem cum Archimede inclamasset, *inueni* quod quærebam, id est argumentum negatiuum, & meâ opinione inuictum, quo D Thomæ plusquam dimidiam partem Summæ eripiam. Sed profundum Petri hac in re silentium, omni tubâ & tonitru altiùs inclamat, nihil tale repertum in totâ Europâ, ac proinde insertam omnibus exemplaribus à primo ad vltimum inscriptionem nominis D. Thomæ, illi asserere tanquam genuinum opus totam Summam Theologicam, & Petrum hac suâ lite quid peius cauillatoris, & veteratotis nomine commereri.

His tamen nondum acquiescit Aduersarius: sed argumento negatiuo adhuc ineptiori vrget ex Ioanne Bromiardo, à quò plus noxæ, quàm adiumenti sit percepturus. Intricata res est, hinc illi gratior, quia Nodos tantùm quærit; sed plane infidum à Bromiardo auxilium futurum est, quo eius consilia euertantur; videtur illum aduocare, vti febre laborantes gelidam expetunt, & ebibunt, quæ sitim, & æstum ad tempus temperet, statim intolerabiliorem factura: Bomiardus, inquit Alua, Author subpar D. Thomæ, ejusdem sæculi Summa prædicantium scripta circa annum 1290. refert nonnulla de sanctificatione Deiparæ, ex tertiâ parte quæ non extant in eâ, quæ hodie legitur, vt sanctificationem Deiparæ factam nec ante, nec post animationem, sed in ipsa coniunctione animæ cum corpore: vnde duo commoda captat Aduersarius, corruptum esse locum quæstionis 27. ex 3. parte, & ipsammet commentitiam esse, & falsò D. Thomæ ascriptam.

Hac argutatione vnum nesciens, & imprudens demonstrat Aduersarius, suo exemplo, & damno, nihil impotentius esse, & in maiores laqueos inducere præjudicatæ opinionis studio, & piæ opinionis prætextu. Nihil clarius, & apertius loco Bromiardi; nihil ineptius,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [277] - 217
PUBLIC DOMAIN

& ab omni similitudine veri alienum magis consecutionibus, & assumptis Aduersarij, quæ stupendam, nec vllo modo ferendam præferunt cauillandi libidinem. Quis fuerit Bromiardus incertum facit nomen multis commune: probabilius est plures fuisse eiusdem, aut similis nominis, & subparem D. Thomæ, quem consultum iuris faciunt nostri Historici, diuersum ab illo, qui Summam prædicantium scripsit, post D. Thomam Cathalogo Sanctorum relatum: quia vbique sanctum nominat, quod summâ cautelâ tacuit Petrus: quia inde sibi sensit perire multa commoda; hinc enim euanescit totum argumentum à testimonio huius scriptoris, quasi antiquissimi, qui primus hanc partem retulerit; cùm Capreolus qui vnus infinitis Bromiardis præponderet, millies hanc partem citet.

Præterea quem non capiat indignatio, aut commiseratio hominis, cum ita argumentatur: verba ex Bromiardo relata non reperiuntur in tertiâ parte: ergo ea, quæ nunc extat, non est D. Thomæ? Magnâ, fateor, oportet munitos esse patientiâ, quibus cum hoc scriptore disputandum. Bromiardus vbique D. Thomam Sanctum compellans, posterior est Thomistis eandem partem referentibus, & ipse concionatores instructurus, negligens verborum, sollicitus sensus, & breuitatem captans, triplicem distinctionem sanctificationis, ante animationem post factam vnionem, & in ipsâ coniunctione, in duo membra contrahit, & secundum cum tertio, vt contingere solet, ad alia properantibus, in vnum compingit. Quid potest hinc expiscari certi Aduersarius? Inde demonstratum putat inuicto argumento, suppositiam esse totam Summam, falsarios & interpolatores esse Dominicanos, denique quid non? O mortalium fœliciſſimum! dum de his consecutionibus sibi applaudit, triumphum extruit, & parem Salomonis sibi arrogat sapientiam: Quid aliud dicam? Non dissimilem videri illi, qui quotquot appellebant portum Athenarum naues, opibus refertissimæ, ad se pertinere somniabat, & ægerrimè tulit curatione morbi, hoc perenne gaudium sibi ereptum; non puto me ingratiorem operam Aluæ hac nostra responsione nauare; quamuis ad meliorem mentem reuocandus sit, nisi deli-

riis, & his chymeris pasci pro summâ fœlicitate ducat.

De secundâ secundæ parte acriorem pugnam instaurat Alua. Sed è pluribus argumentis de librorum criterio, & à quo sint Authore, omnia stant pro S. Doctore : vnum in speciem tantum Aduersario fauet ab incerta, aut veriùs falsâ chronologiâ. Si obtineret opinio Garciæ, Bellouacensis mortem ad annum 1240. vel Vascij, & Sixti Senensis ad annum 1253. adnotantium, quos sequutus est Bellarminus, non potuit Bellouacensis hanc partem exscribere ex S. Thoma, cum iuxta priorem chronologiæ rationem, sexdecim tantum annos, & iuxta posteriorem viginti sex natus, adhuc Summæ Theologiæ prima lineamenta vix posuisset. Hæc ratio temporum apud Aluam certa, omni demonstratione certiùs rem ex illo conficit, D. Thomam hanc partem à Bellouacensi, & hunc ab Alensi mutuatos : sed Bellarminus *nullo modo credibile* reputat, quod venditat Alua quasi certum *S. Thomam, Summæ suæ secundam partem, eamque nobilissimam, ex alio Authore scripsisse.* Quare censet Speculo morali Bellouacensis, quasi posthumum additamentum, ab alio hanc partem insertam, vel Speculi moralis non eundem esse Authorem, qui cætera compilarit. Denique quiduis aliud placet sapientissimo viro, quàm quod certum scribit Alua.

Sed nihil opus eò confugere. Ex chronologicâ argumentatione, nedum incertâ (quod sufficeret euertendo consilio illi Salomonico,) sed etiam apertè falsâ : indubitatum enim est Bellouacensem diutiùs opinione Garciæ, & Vasci vixisse. Claruit quidem anno 1240. vt scribit Trithemius, & hinc fortè Garzias intulit eodem tempore obiisse. Sed ipsemet testatur se multis annis superstitem, cum Speculi naturalis lib. 32. cap. 101. meminerit sancti Ludouici à Saracenis capti, & dimissi anno, vt notat, 1250. & speculi historialis liber 33. totus est de rebus post illum à Garzia suæ mortis notatum annum gestis, ibique narrat S. Petrum Martyrem ab Innocentio IV. Diuorum albo relatum, quod eiusdem sæculi anno 58. contigit. Constat etiam peruenisse ad annum 1260. quia tum primogeniti filij defuncti morte S. Ludouicum afflictum solatus est Epistolâ, cuius Annales nostri meminerunt. Quid si addas, quod

tradunt multi, inchoata illa & prouecta opera S. Ludouici munificentiâ, absoluisse liberalitate Philippi paternæ potentiæ & virtutis hæredis, qui Patri succesſerit anno 1270? Et cum eo tempore superstes fuerit Bellouac. quis dubitet non potuisse hanc partem mutuari à D. Thoma? Et si potuit, non oportuisse? Nam, si Bellarminus recensendis libris S. Doctoris, eodem, quo Hieronymus S. Cypriani opera prosequitur elogio, scripsit, *sole clariores esse, vt superuacuum videatur eorum indicem texere* (quem Alua incertissimum asserit) non passus est hanc partem ab aliis seiungi, quasi ab alio, quàm à sancto Doctore censeret non potuisse scribi ob rerum dignitatem, & summam cum aliis partibus cognationem, quæ ab eadem manu exaratas omnes, etiamsi cætera tacerent, latrat, vt Lucretij verbo vtar: quid dicturum putas, si chronologiam attentius explorasset?

Hinc obiter Aluæ fraudem obserua, qui Bellarminum pro se stare gloriatur, quo nullus illi capitaliùs aduersatur, cùm etiam errore ex chronologiâ deceptus, inducere in animum non potuerit, hanc partem à D. Thoma non prodiisse; multoque æquior Alua maluerit, toto speculo morali Bellouacensem fraudare, quàm vel minimùm suspicari D. Thomam quidquam à Bellouacensi mutuatum fuisse. Nouerat, vir Sapientissimus (& vt paucis eius elogium complectar) eruditione, candore animi, aliisque dotibus, Aluæ dissimillimus, minùs D. Thomæ, ne dicam partem ex Summâ insignem, sed vel vnum articulum eripi posse, quàm Herculi Clauam, aut Virgilio Æneidem, Iliadem Homero.

Quare sic disputo: non est dubium, quin à D. Thoma hanc partem Bellouacensis mutuo acceperit, si chronologiæ ratio id patiatur: cum cætera omnia id persuadeant, & euincant; atqui iam demonstratum est chronologiam consentire, & probabilius etiam sit, Bellouacensem vixisse D Thomæ superstitem: quid ergo vetat quin à D. Thoma hanc partem mutuam suo inseruerit speculo morali, cum plurima testetur se à D. Thoma excepisse relato ipsius nomine lib. 26. speculi naturalis c. 74. nec solùm ex cõmentariis in sententias; sed etiam quæstionibus disputatis post commentationes in sententias, paulò ante summam elucubratis? Et cum speculum

naturale, quo hæ disputationes citantur, primum videatur opus à Bellouacensi editum, aut certè præiuerit speculo morali; videtur Bellouacensis eodem ferè ordine cum D Thomæ libris sua specula cudisse, eóque ferè tempore illum speculum naturale, quo D. Thomam quæstiones disputatas molitum, & procedente labore speculum morale adornasse, cum D. Thomas Summæ partes aliquot elucubrauerat. Hinc Theologi Vedastini ex familiâ Benedictinâ, de republicâ litterariâ & de Ecclesiâ optimè meriti, editione Bellouacensis, Aluæ etiam sicuti Bellarminus dissimillimi annotant, *siue dubio primam partem, & secundam longè ante obitum D. Thomæ, inter discipulos eius communiter habitam*: vnde addunt *Herueum, & Ægidium eius auditores ex his partibus quadam adducere, sicut alij amuli qui doctrinam eius etiam ipso superstite impugnarunt.*

Videntur sapientissimi viri alludere ad Guillelmum Lamarensem Authorem corruptorij, cui diximus Ægidium correptorium apposuisse. Ille visus, sui instituti Aluæ præiuisse ex 2. 2. sexdecim loca impugnauit; sed nondum illi in mentem venerat plagij, cuius D. Thomam accusat Petrus, quamuis cum recentissimum esset opus, oportunius erat accusationi, si illius furti reum suspicatus fuisset Lamarensis. Atque hoc silentio damnat Pettum, quasi se longe audaciorem, qui litem moueat, dubia ferat, aut potiùs certa, & indubitata ad noxam in controuersiam, D. Thomæ vertat, quæ ilius decessor, & prodromus in hoc munere, Thomæ mastigis in tuto posita, quod voluisset maximè, se non posse arrodere sentiebat, tum cum prætexti à Petro, & suâ opinione certi plagij; si verum credidisset, in promptu haberet argumenta, quibus probaretur.

Sed contra Bellouacensis, cuius prætexitur ius in hanc partem, quasi furto sublatam læsum, accusationem sui causâ susceptam depellit, cum fatetur pluries, se non authorem agere, sed collectorem, & ideò cap. 9. prologi in speculum naturale ait, *tertiâ parte speculi moralis non potuisse vitia describendo omnium librorum moralium, etiam quæ in promptu habebat, omnes flores in vnum colligere* & alibi, *audiat me Lector, non per modum authoris, sed excerptoris vbique procedere*; ergo præter ipsius men-

tem Alua facit Authorem huius partis, quæ ſtylo, & eruditione Bellouacenſis reliqua opera longè vincit. Quod verò ad ſuſpicionem attinet, hanc partem ab Alenſi elucubratam Bellouacenſem, & ex illo D. Thomam excerpſiſſe, vt tanti operis decus ad ſuos deriuet Alua; vana omnino eſt iactantia & gloriatio, quam fucat potiùs, quàm confirmet à Ioanne De la haye, collatio aliquot locorum Alenſis cum D. Thoma adeò improbabiliter inita, vt Lectorem, qui hæc expenderit, admiratio ſubitura ſit huius conſilij, & conatus, ſuos Authores non puduiſſe. Sed quid non tentat liuor, aut gloriæ cupido, ſi præter vim ſibi inſitam accedat fucus ex causâ piâ, cuius prætextu putat Petrus ſibi omnia licere, & honeſtari quidquid in D. Thomam, quem Chamo deteriorem habet, molitus fuerit? Quid non mortalia pectora cogis zeli & famæ ſacra fames! quamuis futiliſſima ſint, quæ hactenus in hanc rem protulit Alua, non dubitat tamen ſcribere folio 521. *Nihil affirmamus niſi quod demonſtramus, nihil dicimus, niſi quod oſtendimus, nihil perſuadere nitimur, niſi quod conſtat ex inſtrumentis authenticis*; debuerat certè aut pauciora polliceri, aut plura præſtare.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Catena aurea, aliáque opera minutiora D. Thomæ vindicántur.

CErtum quid & *iudicium Salomonis* ſeorſim & tacito Authore contra Angelicum Doctorem editum; deinde 16. loco Aluæ nodis 2. editione inſertum, catenam aurea à D. Thoma manifeſto plagio ereptam contendit *Pontio Carbonello Franciſcano, præceptori S. Ludouici Regis Francorum*: idque inclamat Alua, non quomodocumque, *ſed efficaciſſimè probatum.* Verum præter plura, quæ diſputationem pro ſecunda ſecundæ muniebant, & hanc etiam iuuant, nempe conſenſus præteritorum cum noſtro temporum vnanimis, monumentorum, & exemplarium, quæ in omnibus Europæ Bibliothecis huius Catenæ antiquiſſima extant conteſtatio; duo hîc ſuppetunt ſingularia argumenta, primùm à Chronologiâ, quæ in

speciem superiori disputatione fauebat Aduersariis, hîc pro nobis tota stat, cum ex Alua Carbonellus totis triginta annis, quatuor nonagenario maior mortuus anno 1290. superstes fuerit post absolutam Catenam à D. Thoma ad minùs in Euangelium Mathæi, nuncupatam Vrbano IV. anno eiusdem sæculi 64 viuis exempto, quam proinde à D. Thoma Carbonellum potuisse mutuam sumere, ratio temporis euincit.

Ità verò factum omni demonstratione efficacius probat ipsamet præfatio S. Doctoris ab Vrbanum IV. quem ita alloquitur ac compellat: *vestræ Sanctitati placuit mihi committere Mathæi Euangelium, exponendum: quod iuxta propriam facultatem executus sollicitè, ex diuersis Doctorum libris prædicti Euangelij expositionem continuam compilaui*: & in alios Euangelistas, quam mortuo Vrbano prosecutus fuerat, expositioni, præfixâ dedicatoriâ Epistolâ ad Cardinalem Hannibaldum ait, *se ad id operis inductum mandato Vrbani IV. & cum eo ex hac vitâ subtracto tria Euangelia exponenda supereſſent; ne opus quod obedientia inceperat, negligentia imperfectum relinqueret, cum multo labore diligens adhibuisse studium, vt quatuor Euangeliorum expositionem compleret; atque vt integra esset sanctorum expositio, curasse, vt quædam è Patribus Græcis in latinum transferrentur.* Potuitne D. Thomas saluâ veritate, nec nisi grauissimè læsâ, ne dicam sanctitate, sed etiam modestiâ & conscientiâ, ita præfari ad opus alienâ industriâ elaboratum, & quasi à se elucubratum falsò obtruderet venditare? Sed parum pensi habet Petrus, D. Thomam nedum à legitimo in suas elucubrationes iure, sed etiam à certâ sanctitatis opinione, & quasi à cœlo ad infernum deiicere, virúmque sanctissimum, vt sæpius loquitur, nugiuendidulis accensere, dum suo zelo indulgeat, & falsò scribentem de Conceptione Deiparæ vexet, qui Christum vera etiam dicentem, si D. Thomæ accineret, reponendum Chami loco scribere non dubitarit folio 575.

Ad hanc ex præfatione secundam argumentationem, nisi D. Thomam inter reprobos reponamus, non video aliud posse responderi; quàm præfationem commentitiam esse. Sed contra illud effugium præter infinita catenæ exemplaria antiquissima, statim post obitum S. Do-

ctoris, vel certè antequam Sanctorum Cathalogo accenseretur, quæ Fratris Thomæ nomen præferunt, in quorum nullis desideratur hæc præfatio, seruatur in Bibliothecâ Vaticanâ hoc ipsum exemplar, quod Vrbano IV. obtulit S. Doctor eadem præfatione munitum; de quo Vadingus gratulabatur Patribus nostris, magnum *eos in Vaticano thesaurum habere*. Ad ista nisi iam multis experimentis nossem Petrum, non crederem ausurum contrà verbum hiscere: sed quibus alij deterrentur difficultatibus, ipse audentior euadit, nec immeritò sibi *veterani militis* nomen sumpsit, suóque libro inscripsit *Flatus contra atomos*; hæc enim, quibus muniuimus catenam, præsidia validissima sunt, illi atomi vno halitu à se difflandæ.

Omitto Carbonellum nullo testimonio Magistrum dici S. Ludouici Francorum Regis apertâ hallucinatione loco nepotis S. Ludouici Episcopi Tholosani in Cathaloniâ pro Patre obsidis, cui facile ex eâ gente Carbonellus contingere potuit præceptor, Patruum S. Ludouicum Regem esse suffectum. Totius disputationis, quo rem confectam clamat Alua, neruus iam succisus est: Carbonellus viginti octo annis maior natu D. Thoma, & sexdecim superstes, in vtrumque testamentum octo edidit volumina stylo, & methodo catenæ aureæ, quam in Euangelia cuderat, Carbonello legitimo authori à D. Thoma plagio subreptam demonstratum quasi certissimo Salomonis iudicio putat inde, quod annis vicerit D. Thomam, idem argumentum tractarit, & duo, aut tria extent exemplaria, in quibus desiderato nomine D. Thomæ, Carbonelli sit inscriptum. Sed quæ consecutio? Quis tuæ argumentationis, Petre, vitia enumeret?

Inprimis quæ præmittis illationi, nutant te vno teste confirmata, cui pessimè cum bonâ fide conuenire pluribus demonstratum est: & ne superiora recolam, aut dicenda occupem, hâc controuersiâ luculentum præbes nobis argumentum, eos velle decipi, qui tibi etiam iuranti credant. Antè D. Antoninum asserebas nullum Cathalogo operum D. Thomæ cathenam auream inscripsisse; cùm tamen S. Thomæ scripto librorum indiculo Summi Pontificis iussu à Raynaudo perpetuo S. Doctoris

Doctoris socio sit inserta. Cur igitur rem inexploratam ita temerè asseris, vel, si consulueras Raynaldi cathalogum, potuisti ne saluâ conscientiâ, & veracitate, negare anteAntoninum à nullo Catenam auream fuisse inter legitima D.Thomæ opera annumeratam?

Sed istud tibi condono erratum; do etiam extare, quæ refers, tria exemplaria, quibus Carbonelli, non D. Thomæ nomen præfixum sit; *prius mel de Petrâ, oleúmque de saxo durissimo elicies*, quam ex illo assumpto probaueris subreptam à D. Thoma Carbonello catenam ex eo opere laboriosissimo in totam Scripturam exarato: quasi non potuerit suo marte, & exemplo D. Thomæ hanc commentationem in Scripturam contexere, illique adiungere catenam in Euangelia absolutam D. Thomæ operâ, qui se hoc labore leuarit, & animum addiderit, vt in vtriusque testamenti libros reliquos idem commentationis genus prosequeretur. Sed non conuenit, inquies, senem à iuniore doceri; quasi annis metienda sit eruditio, & scientia: nec D.Thomas *super senes intellexerit*, & paucioribus annis plura scripserit Carbonello, nec ex illo thesauro inexhausto potuerit Carbonellus mutuari hanc catenam, quæ ad eius institutum maximo vsui futura erat.

Quid ergo habet Alua, quo sibi applaudat de iudicio Salomonis, quasi Regis sapientissimi, vindicata Carbonello cathena aurea, æquitatem ac prudentiam superarit? At contrà paucis demonstro, nullum esse iudiciorum vitium, quo expers sit illud quod tanti facit, vt sibi inscribat, *& ecce plusquam Salomon hic.* Iudicium eo iniquius nullum est, cui legitima desit facultas iudicandi, si partium studio laboret, maléque apud omnes audiat, quasi omnia gratiæ, & odio, nihil det æquitati. Conuenio vos Petre Alua & Pater Gueuara! quis vos constituit iudices in hâc causâ grauissimâ; & quam obtenditis potestatem, à quo excepistis? Deinde quamuis daremus, vos iudiciariâ authoritate, quâ omninò caretis, munitos; quis non suspectos habeat in eâ causâ, quæ inter vnum è vestris & D.Thomam agitatur? Si præterita tempora, & exempla recolatis, meministis è vestris vnum D. Thomæ vix adhuc terris erepto, & in cœlum recepto, dicam multarum falsitatum libello, cui corru-

ptorii titulum dedit, inscripsisse, quam alij longâ nec interrupta vnquam serie sunt prosecuti, & vos tandem excepistis; & in hac causa actores, partes, testes, delatores, non potestis, nisi abdicatis per summam iniuriam iuris solemnibus, iudicis personam sustinere, aut munere defungi.

Et ne videar ad catillos & apices iuris vestro iudicio detrectando confugere; quis non videat vos in hac controuersiâ omnia iura conuellere? Vnicum aut alterum exemplar catenæ aureæ solo vestro testimonio notum, cui desit nomen S. Thomæ, ascriptum sit Carbonelli è situ & puluere bibliothecæ nescio cuius ostentatis ad pompam, nec reipsa monstratis, quod vnum infinitis vultis præponderare, quæ D. Thomæ, nedum nomen præferant, sed habeant etiam præfationem ipsius S. Doctoris, quâ contestetur à se summâ diligentia elaborarum opus: nec contenti hunc manuum suarum fructum præripere; si stent vestra iudicia, non Sanctum, sed, Sycophantam fuisse probatis: nec post ista dubitatis hoc vestrum iudicium Salomone dignum, aut eius sapientiâ maius. Non puto vobis cæteros hominum assensuros, & iam video diuersissimas fore de hoc vestro iudicio sapientum opiniones: multi risu & cachinnis excipient, alii vix ferendum, & censuris grauissimis castigandum dicent; reliqui lachrymis & commiseratione prosequendum esse pronuntiabunt. Postremo huic iudicio assentior, nec dubito quin omnes mecum qui vel sapiunt, vel studio & voto pacis his Ecclesiæ dissidiis indolent, & torquentur.

Vti ex versibus Ennii, quasi ex stercore margaritas Virgilius legere se dicebat, ita ex Aluæ inconditis, ne quid aliud dicam, sermonibus aliquod excerpimus commodum. Gloriatur passim se magnum ipse librorum heluonem, se Europæ bibliothecas ferè omnes rimatum, & manuscripta deprompsisse cudendis armis, quibus D. Thomam, eiusque discipulos, quasi quibusdam tormentis quatiat, ad deditionem cogendos, & nisi victoris nos permittamus arbitrio, extrema quæque denuntiat esse experturos. Pluribus nos impetit manuscriptis, quæ apud se habere gloriatur magno pretio comparata, quorum proinde fides sit penes ipsum actorem, iudi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [286] - 226
PUBLIC DOMAIN

eem, testem omnia denique. Quam verò fidem mereantur, quæ *vt quid certum*, venditat nec nobis comperta esse possunt, aut nota, nisi eius ore & testimonio; ipsemet docet nos luculento exemplo cuiusdam manuscripti, quo munitus, ita scribit, *Expositio supra salutationem Angelicam nullo modo est S. Thomæ, neque supra Orationem Dominicam, & idem dico de Opusculis, de articulis fidei, de Ecclesia Sacramentis, atque super symbolum. Hæc enim quinque Opuscula sunt Innocentij Papa III. qui mortuus est antequam Angelicus Doctor nasceretur.*

Vnde verò tibi Petre, ius arrogas D. Thomæ abdicandi hæc Opuscula, omnium opinione, & editionibus innumeris operibus D. Thomæ accensita, & Innocentio III. vindicas, quorum tamen inter illius Sanctissimi Pontificis opera nullum extat vestigium, & aliunde stylus hoc ipsum inclamat? Iudicium hic Salomonis audiamus, omnibus reclamantibus, quod pronuntiauit Alua, *constat*, inquit, *ex quodam originali manuscripto apud D. Martinum Louanii, littera O num. 7.* Quæcunque manuscripta illi originalia sunt, si eius affectui faueant, & studio detrahendi S. Doctori: leuissimæ, & futilissimæ coniecturæ sunt illi demonstrationes inuictæ, si inde incautis & ignaris illudere possit aut imponere. Et ne quis hominis lacessendi causâ à me gratis dictum suspicetur; exemplo & argumento sit totum huius iudicij momentum ex hoc manuscripto. Sic enim inde argutatur; ad eundem authorem pertinent septem, quæ vno codice, & volumine continentur Opuscula, cui illorum primum ascribitur: at primo loco, & voluminis limine extat interpretatio in septem Psalmos pœnitentiales authore Innocentio III. cui ante Pontificatum Lotharij nomen inerat, ipsi codici inscriptum: cætera ergo, quæ consequuntur, Opuscula Innocentij Authoris sunt, & falsò D. Thomæ ascripta.

Plurimùm debemus Patribus Belgis, qui hoc manuscriptum explorarunt, & plagium, quod inde molieba-tur in nos Alua, in ipsius caput detorserunt, adeò manifesto argumento fraudis, vt meritò dicant, hinc de dolo, & malâ fide conuictum Aluam, nullam in posterum mereri ea quæ narrat de libris à se visis, cùm de hoc

Martiniano codice Lectoribus manifestè impoſuerit. Certum quidem eſt, vno volumine ſeptem Opuſcula contineri, quorum primum, nempe Commentarius in ſeptem Pſalmos præferat Innocentij, ſeu Lotharij nomen, cætera nullum omninò deſignant authorem, nec vllâ ratione ad Innocentium poſſunt referri, niſi hâc leuiſſimâ coniecturâ quòd hi omnes Tractatus eodem codice inuoluantur, quo primus, qui ſine dubio ad Innocentium pertineat: ſed hanc diuinationem potiùs, quàm argumentationem vanam, & falſi conuincit penultimus in Orationem Dominicam Tractatus, qui S. Thomæ ipſo limine nomen præfert his verbis, *Pater Thomas de Aquino, non Dominus, quia amari appetit, non timeri.*

Hinc colligere eſt, quo animo ſit excipiendum, quod Alua ſcribit ſecundâ editione, *ego qui manuſcripta exemplaria Madritenſe cum aliis, quæ in Belgio ſunt, contuli, aliquam fidem præſtare poſſum.* Poteras ſine dubio, vti debebas, præſtare ſinceriorem, ſed re ipsâ vbique nihil Græcâ, & punicâ meliorem præſtitiſti, vt demonſtrat Pater Harney pag. 49. ex ipſomet loco de quo tibi credendum ſuades. Meminiſti tantùm ſecundâ editione manuſcripti Madritenſis, illud ſanè primâ non taciturus, ſi vidiſſes; cum etiam non viſa, & falſa obtrudas, nec primam inter, & ſecundam editionem, quod interceſſit, tempore Belgio diſceſſiſti. Quâ ergo ratione potuiſti Madritenſe manuſcriptum cum Belgicis conferre? Nullam ergo fidem potes exigere, cùm eadem, qua te præſtare poſſe gloriaris, collatione à te facta exemplarium ſuſpicio ſit vehementiſſima, ne quid aliud dicam, tibi non admodum religioni eſſe læſam veracitatem.

Sed hæc ſunt leuiora; ad Martinianum codicem redeamus, cuius vnius fide, quod ſeptem complectatur opuſcula, quinque ex illis aufert D. Thomæ, hâc ſolâ coniectura futiliſſima, quòd conſequantur ad primum ordine, cui Lotharii nomen inſcribitur: ſed cum eodem codice, quo propiora primo obuoluatur interpretatio in orationem Dominicam, quæ D. Thomæ eripi nequeat, cuius nomen præfert; viderit Alua, quo iure certum aſſerat, nihil ad D. Thomam, quæ antecedunt,

pertinere. Viderit etiam, quam fidem mereatur de iis, quæ eminus posita sũt Bibliothecis, quas ait se explorasse, nec à nobis comprobari possint: cum de his manifestè imponat, quæ sunt ad manum, quorum indagine possit apertæ fraudis peragi reus. Ipse quidem folio 629. contestatur: *Cùm quæ de D. Thoma circumferuntur elogia, vel ipsi ascribuntur volumina, sine vllo fundamento excogitata sint, proteruia non esse, illa negare, aut in aliquo labefactare gloriam D. Thomæ, sed religionis causam ostendere, dum omnibus vnicuique quod suum est, iustitiæ zelus tribuit, euellendo à tritico doctrinæ Catholicæ introducta lolia.*

At si illo, quod obtendis, religionis & iustitiæ suum cuique seruandi ius studio temeraris; nonne tibi religioni esset, non modò futilissimis coniecturis (quod satis graue contra iustitiam peccatum fuerit) sed crassissimis etiam mendaciis certissimâ tot librorum possessione D. Thomam deiicere, iudicio, quod, licet tot vitiis corruptum, audes Salomonis iudicium appellare? Dum excutis bibliothecas, si occurrat codex manuscriptus, aut typis editus, qui vel minimam dubitationem ingerat, quâ D. Thomæ gloriam obscurare possis, auidissimè arripis. & tibi demonstrationis loco est, & omnibus iubes esse. Occultas verò, &, si tibi liceret, flammis absumeres quidquid eius nomini fauet; & hæc tu zelum iustitiæ vocas? Negabis te ita affectum. Sed Pater Harney apertiùs id demonstrat, quàm vt tergiuersari possis. Cur tacuisti, quæ sine dubio Martinianæ bibliothecæ libros excutienti, & rimanti angulos occurrerunt littera E. num. 7. quæstiones quodlibetales, & tota Summa, id est, quas ereptas volebas, secunda secundæ, tertia pars, ad cuius quæstionem 90. adduntur hæc verba, *explicit Tertia Pars Summæ S. Thomæ de Aquino, quam ipse morte præuentus incompletam reliquit, Deo aliquid melius de eo disponente: quam Petrus de Auernia Doctoris Sancti sequens vestigia ex quarto scripti eius super sententias consummauit. Deo laus.*

Quid Petre, vnquam iudicio, ne dicam Salomonis, sed hominis frugi, & Ethnici, es de D. Thoma constituturus, cum contendas non solùm Tertiam Partem, sed neque etiam Supplementum illi additum quidquam

ad D. Thomam pertinere, *& certißimum dicas, Henricum Gorrichem Benedictinum, aut Albertum à Brixiâ compleuiſſe*, cùm verbatim ſit extractum ex commentariis in 4. ſentent. de quibus hactenus litem D. Thomæ non moueras? Quid ſimile vnquam Zoilus in Homerum tentauit, qui morositate, & detrahendi libidine minore tuâ Theologorum Principem laceſſendi, inuidi & detractoris nomen atque æternum dedecus ſibi comparauit? Cur ſimilem pœnam, & infamiam non times, qui videris prætergreſſus hominis in detrahendo licentiam?

Eadem morositate, & mala fide (qui tibi zelus iuſtitiæ eſt) eripis S. Doctori quæſtiones Quodlibeticas, & *eſſe alicuius ſui diſcipuli* fol 734 ais *ſatis liquere, ex quâdam authoritate Patris Ioannis de Tabiena, in Summâ, verbo Feria num.* 13. Vbi ne verbum quidem legitur de quæſtionibus Quodlibeticis, ſed antecedenti proximè num. 12. citantur, tanquam indubitatum D. Thomæ opus. Deum immortalem! Poſt euictas tot fraudes, præ pudore aut conſcientiæ remorſu, ſi quid tibi horum bonorum ſuperſit, planè emoriendum eſſet. Non es æquior erepto S. Doctori compendio Theologico, quod legitimum eſſe illius partum, præter S. Antonini teſtimonium euincit præfatio ad fratrem Reginaldum, quam Pater Ianſſens teſtatur non deſiderari in manuſcripto Abbatiæ Parcenſis, quod nomen fratris Thomæ præfert in argumentum ſuæ antiquitatis indubitatum, quaſi ſcriptum antequam S. Doctor Diuorum Cathalogo aſcriberetur.

Eodem zelo iuſtitiæ non ſecundum ſcientiam negas commentaria in Machabæorum libros eſſe D. Thomæ opus legitimum, quamuis contra ſtet Ægidius Romanus D. Thomæ diſcipulus, qui in 4. ſentent. diſtinct 45. ita habet ex Sampaio: *ſicut in expoſitione Machabæorum Reuerendus Præceptor noſter Thomas tradidit*, nec Petrus negat; ſed ait, leuem coniecturam eſſe hoc Ægidij teſtimonium: miror non damnaſſe falſationis & mendacij. De hoc plagij genere ſatis, quo peccauit Alua ſine dubio plurima & grauiſſima, ſed præ omnibus maximè, quòd cum vix potuerit iniquiùs de D. Thoma, eiuſque operibus ſtatuere, iudicij tamen Salomonis ſibi æqui-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [290] - 230
PUBLIC DOMAIN

tatem, & sapientiam arrogarit cum iustitiæ zelo. Videndum, an secundo Plagij genere verius, ac sincerius agat.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Vindicantur Thomistæ à secundo Plagij genere, seu à falsatione librorum Diui Thomæ.

PLAGII nomen & crimen à gemino sensu, iniuriæ homini sui iuris in seruum vendito aut empto illatæ, vel domino, cui vernæ & mancipia vi, fraude, aut qualibet alia ratione inuito præter fas subripiuntur, ad libros translatum, accommodatitio perinde ac genuino significatu multiplex est, & varia vitiorum genera complectitur, flagro & pœnis seruorum digna, vnde commune Plagij nomen habent. Horum omnium Dominicanos Alua accusat; & vbi S. Doctorem grauissimo notarit, id est Furto librorum, quos suis Authoribus ereptos sibi per summam iniquitatem, & parem impudentiam vindicasse contendebat, diffisus se tanti sceleris virum sanctissimum etiam suspectum fecisse, potius quam immanitate adeò execrandæ accusationis deterritus, noui Plagij accersit discipulos, quasi Magistri, quos tentauit, nec potuit eripere, librorum temeratores & interpolatores, in vnius Conceptionis immaculatæ odium; neque enim aliud diu noctu illius animo obuersatur. Si id ab vllo nostrum tentarum sit, non solum Plagij, seu Flagri constitutas seruis pœnas, sed nec rogum, & ignes, condignum impiis supplicium deprecamur. Verum ipse viderit Petrus, quid commereatur, si falsò insontes sit criminatus, nec, quæ obiicit enormia, euicerit.

Quâ verò ratione Dominicanos Plagij reos probas? ipsâ, inquis, confessione Dominicanorum, quos Pius V. præfecit editioni operum D. Thomæ Romanæ, qui hæc præfantur verbis, quæ velis auro exscribi, quasi huic sceleri probando tuâ opinione efficacissima, *Curauimus itaque* (hi ex Alua temeratores & Plagiarij) *vt quam emendatissimè omnia, amotis etiam ex iisdem commen-*

tariis, atque ex punctis omnibus locis iuxta nostri Ordinis sanctiones, qui post decreta Tridentina Synodi, lectorem poterant detinere dubium, aut suspensum: quos videlicet, vel ipsemet commentator (Caietanum hoc nomine significant) *viuens emendauerat, & si viueret, emendasset; vel, vti diximus, falsariorum, & impiorum perfidia temerauerat.* Ne cuiquam dubium superesset, aut vitiligandi ansa eriperetur Aluæ, hæc de Caietani commentariis, non de D. Thomæ textu scripta, adiunxerunt exemplum loci pessimè deprauati, & à se restituti ex commentario in articulum 4. quæst. 122. ex 2. 2. Quamuis apertissimus sit horum Theologorum sensus, & videantur omnes Aluæ cauillos quasi præsagâ mente præclusisse; ipse tamen triumphat, quasi hac præfatione nihil superfit reliqui D. Thomæ suorum operum, quæ certò sibi possit vindicare, vel ex textu ab eius discipulis non temeratum.

Mirum est sanè Dominicanos tantum scelus nedum ausos tentare Romæ ipso Summo Pontifice spectante, sed etiam conscio ac iubente admisisse; & quæ sanctissimus Pius V. regiâ liberalitate ad augendam Sancti Doctoris reuerentiam & maiestatem curauerat edi opera, illis omnem abstulisse fidem, & authoritatem. Quis non malit Aluam morosiorem, & litigiosum, ne impostorem dicam, credere, quàm adeò malè Summum Pontificem suo, & S. Doctoris honori consuluisse; & tam immane Plagium eius consensu & iussu molitos viros doctissimos, & Religiosissimos, teste toto orbe Christiano, & quorum correctioni præfecti fuerant, libros deprauasse corruptelis grauissimis, quarum tot testes contra se stare non dubitabant, quot D. Thomæ nedum editiones præcesserant, sed infinita manuscripta omnibus Christiani orbis bibliothecis seruabantur? Certè si ista impunè ferat Alua, nescio quid tandem falsarij crimen commereatur, aut sit daturum pœnarum. Viri Sapientissimi aliud nihil testantur relatis verbis, quàm quod reipsa præstitere, & quæ omninò curant, qui editiones adornant quorumcumque librorum etiam sacrorum, vt quæ irrepserunt menda, & errata prioribus editionibus, seu ex prælo, seu Correctorum negligentiâ, seu sciolorum temeritate, quantâ fieri

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [292] - 232
PUBLIC DOMAIN

poteſt diligentiâ virorum eruditorum, & collatione recentiorum exemplarium cum antiquis, emaculata fiat editio.

Si hæc vocet Petrus Plagium, & corruptelam librorum, vnde inferat nihil operum D. Thomæ ſupereſſe certi & genuini, nouerit, ſe eandem calumniam importare omnibus omninò libris ſanctorum Patrum, & vtriuſque Teſtamenti; quia certum eſt non alia ratione eorum editionibus allaboratum eſſe ab iis quibus à Regibus, Summis Pontificibus demandata eſt, & à viris doctiſſimis, & integerrimis ſuſcepta eſt cura, non corrumpendis, ſed emaculandis, & certæ fidei faciendis librorum editionibus. Quod verò Alua de Caietani commentariis veriſſimè dictum detorquet ad ſenſum & textum D. Thomæ; adeò manifeſta eſt horum verborum deprauatio, vt ſi aliud nihil peccaſſet, omnibus ſuis Nodis hâc ſolâ interpretatione, poſſet ſibi vitilitigatoris, & quodlibet aliud grauius nomen & crimen parare, cùm ipſimet Theologi mentem ſuam explicarint, tum commentatoris nomine, quod in Caietanum cadit, non in D. Thomam horum librorum verum Authorem, tum exemplo correctionis commentarij in vnum ex 2. 2. articulum.

Explicatâ mente, & ſinceritate generatim vindicata eorum qui editioni Romanæ operum D. Thomæ præfuerunt, cadunt aceruatim falſationes nobis affictæ, & horum verborum falſæ interpretationi aſtructæ. Conqueritur grauiſſimè eâ editione ſublatam ex lect. 6. in cap. 3. ad Gal. quæ decem editionibus poſt annum 1529. inſerta erat exceptionem Deiparæ ab originali contagio, & eadem fraude eraſam à commentario in illud Romanorum 5. *Omnes in Adam peccauerunt*, & ab Opuſculo in Salutarionem Angelicam; vnde infert Petrus ab his tribus libris ſublatâ exceptione potuiſſe ſimili ſacrilegio in tertio ſentent. diſt. 3. & in quæſt. 27. 3. partis hanc clauſulam intrudi, nec antè, nec in ipsâ infuſione factam Sanctificationem: quod tamen Bromiardus aſſertum ex hac 27. quæſt. retulit.

Dum obſcurandæ S. Doctoris gloriæ totis viribus ad-

laborat Petrus, omnes excutit bibliothecas, & editiones inquirit, mirum in modum illam auget. Si libris, & authoribus vix maius possit decus accedere, quàm ex editionum frequentiâ, plures commentariorum D. Thomæ in Paulum ab anno 1529. adornatæ sunt, quàm Scoti à quatuor sæculis; & cum Aluam pessimè habeat, D Thomam omnium manibus teri, vbique terrarum illi præla insudare: suos vero *Nodos*, aut *Solem Veritatis*, & *Naturæ portentum*, &c. nunquam, nisi suis expensis, typis data, aut danda esse: hinc ira, hinc lachrymæ. Sinceram, & accuratam editionem operum D. Thomæ molituri, hi Patres noua exemplaria inter se, & cum antiquis, & vetustis MSS. contulerunt, & cum exceptio inferta esset editionibus nouis aliquot, quarum antiquissima esset anni 1529. & ab antiquis omnibus abesset, vti à MSS. quæ potuerunt explorare, hinc eradendam sibi persuaserunt. His conuellitur diuinatio potiùs, quàm coniectatio, aut veriùs calumnia, iniectam negationem sanctificationis primo instanti commentariis in tertium sentent. & in quæst. 27. 3. partis. Idque primum à Spina tentatem editione quam moliebatur anni 1554.

Hæc omnia accuratè purgant pari diligentiâ Iansens & Harney: hic vltimus addit elegantiam arguti styli, & planè Lipsiani, quem gentilitium, vel à naturâ, vel studio, & imitatione viri clarissimi sibi Belgæ effecerunt. Legendus omnino est à paginâ 51. ad 60. vsque, & obmissis cæteris, quæ perinde diserta sunt, ac fortia, mirè & æquissimè exagitat quintum Aluæ argumentum, quo Dominicanos falsarios probat ex Petro à Clausa valle Diatribâ 6. Cosmam Morelles quasi corruptorem D. Thomæ 1. sentent. dist. 44. his honorificis Epithetis compellante: *teneo te, falsarie effrontissimè adulterator, impudentissimè; sic D. Thomam dehonestas*, vt puriſſimam Virginem violes? Miratus Alua tot conuiciis pulsari Morelles immeritum, *quia editio Antuerpiensis ab Morelles curata integra est, & conformis antiquis originalibus*, consuluit Petrum à Clausa valle *amicum suum, sicut*, inquit, *doctissimum ita integerrimum, vt sciret, quo fundamento hoc scripsisset: & respondisse se hoc non ex proprio capite dixisse, sed sic delatum comprobatúmque iuridicè in Curiâ Romanâ.*

Sed quî id fieri potuit, ſi Morelles editio integra fuerit, & omnibus antiquis conſentiens? Niſi velis (quod fortè Petrus à Clausâ-valle obliquè obtendebat traducendæ Curiæ Romanæ, & cenſuris ſuorum librorum vlciſcendis) quæ perinde, Petrum à Clauſa-valle, ac Morelles inauditum & inſontem damnaſſet: nec fraus illa in Curiam Romanam occulta, & aperta in Morelles calumnia deterrere potuit Petrum Aluam, quin ipſammet calumniam arriperet in quintum, & poſtremum, id eſt omnium validiſſimum argumentorum, quo Dominicanos reos faceret falſationum: nec, compertâ hac Petri à Clausâ-valle ſycophantiâ, dubitauit *integerrimum, vti doctiſſimum*, de bonâ fide, ac ſinceritate in ſuperlatiuo collaudare, adeò, inquit Harney, *nihil ſinceri nihil integri eſt à ſimilibus expectandum*. Contra calumniam etiam in Spinam importatam, quaſi primus omnium falſarit Articulum 3. diſt. 3. ex 3. ſentent. ablatâ exceptione, Patres Belgæ referunt manuſcriptum ex Abbatiâ Parcenſi anni poſt S. Doctoris obitum octaui, id eſt 1282. ita habere ex diſtinct. 3. art. 3. ad quæſt 2. *Sanctificatio B. Virginis, non potuit eſſe decenter ante infuſionem animæ: quia gratiæ nondum capax erat. Sed nec etiam in ipſo inſtanti infuſionis, vt ſcilicet per gratiam tunc ſibi infuſam conſeruaretur, ne culpam originalem incurreret*, &c.

Huius manuſcripti vetuſtiſſimi fides, quam ſine dubio explorauit Alua, firmata manu publica Notarij, omnes Aluæ cauillos conuellit; ſic enim argutatur, ſi exceptio ſublata fuit è tribus D. Thomæ locis contra decem editionum teſtimonium; quidni potuerunt eâdem manu, & fraude irrepere in 3. ſententiarum hæc verba: *ſanctificatio non potuit eſſe decenter ante infuſionem animæ?* Sed vt primùm ad aſſumptum, ſeu antecedens reſpondeamus, cur taces, aut diſſimulas, Petre, antiquiores editiones, & manuſcripta omnia illam habere? Quamuis Patauinum neſcio quod & Sfortianum aliud diſſentire ab aliis obmurmures; quid enim duo incerta, id eſt tuo tantum teſtimonio nota, ad tot & tanta compertiſſima, & multis bibliothecis ſeruata? Adde editionem, in quâ primùm legitur hæc exceptio, adornatam fuiſſe anno 1529. quam ſecutæ falſatam aliquot poſteriores non poſ-

sunt inualescere contra cæteras tum antiquiores, tum recentiores, ad minùs numero pares, & authoritate, ac iure potiores, cum ratione antiquitatis, tum consensu cum manuscriptis.

Quod ad suspicionem Aluæ pertinet; interpolari potuisse locum tertij sentent. eadem audacia, quâ temerata fuere alia Diui Thomæ loca, præter quòd futili astruitur fundamento, & iam euerso; conuellitur testimonio manuscripti Parcensis, quod in tuto ponit plures huius commentitiæ interpolationis accusatos. Illam Syluester de Saauedra referebat in Thomam Nerium; sed cum huius editionem præcessisset altera antiquior curata à Bartholomæo Spinâ anno 1534. quæ nihil dissentiebat à Neriana, visum est Aluæ huius corruptelæ inuidiam à Nerio in Spinam deriuare: & cùm nec stare posset hæc calumnia, quòd Turrecremata hunc ex 3. sentent. locum retulisset opere edito anno 1437. eodẽ tenore verborum, quo in posterioribus operâ Nerij, & Spinæ editis commentariis legebatur. Hinc à Spinâ in Turrecrematam inuehitur, quasi primum interpolatorem. Sed Turrecrematam ab hâc calumniâ vindicat Capreolus, qui suis in 3. sentent. commentariis locum refert omninò consentientem posterioribus editionibus, & citationi Turrecrematæ, quem accusare debuerat Alua Capreolum, quasi primum huius falsationis authorem cum præiuerit Turrecrematæ. Nec sanè huius criminationis futurus est finis; dum retrocesserit ad D. Thomam ipsius libri primum Scriptorem cum manuscripta Turrecrematæ, & Capreoli libris antiquiora, & vt annotaui, octauo ab obitu Sancti Doctoris anno exarata habeant verba, quæ fraude inserta à nostris Alua calumniatur.

Si alia non suppeterent malæ fidei Aluæ argumenta, præter hoc postremum calumniæ corrupti sententiarum loci primùm in Thomam Nerium, deinde in Spinam, tandem in Turrecrematam congestæ, quam Capreoli commentarij, & S. Doctoris plura Manuscripta refellunt; indignus planè habendus est hic scriptor, qui de Dominicanis obloquens audiatur. E pluribus accusationum capitibus, si vel centesimum apertæ fraudis euincatur, cætera hoc vno planè labefactantur; quid de accusatore nostro statues cum ex mille obiectis criminibus

nullum hactenus verisimili aliquâ ratione, ne dicam probare, sed ne fucare quidem potuerit; & aliunde innumera, quæ improperat, compertissimè falsa esse demonstrauerimus?

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Tertia criminatio Aluæ depulsa, & totius Sectionis conclusio.

HOc differt maximè accusatio in flagitiosos, boni publici causâ, & iustitiæ zelo susceptа, ab eâ, quam ex liuore, vindictæ cupiditate, aliisque turbidis affectibus in insontes moliuntur mali; vt eundo vires acquirat, & grauia crimina grauioribus cumulet: altera verò progressu minuatur, & tandem euanescat, aut in caput authoris redundet. Hunc habuit exitum magno boatu, & hiatu susceptа in D. Thomam, eiúsque scholam criminatio Aluæ. Contendebat primùm omnes D. Thomæ libros supposititios, & aliis fraude abreptos; sed æstu, & impetu primæ accusationis remisso, secundâ quatuor aut quinque ex illis selecta sunt loca, quæ corruptelæ vel comperta, vel certè suspecta esse volebat. Sed cùm ne id quidem à se confectum nisi apertâ fraude sentiret; tota accusationis moles in hanc tandem suspicionem recidit; multa ex libris D. Thomæ legi retractanda, quæ, si viueret, ipsemet corrigeret. Postrema accusationum minima, cùm maximam esse oporteret ex criminationum, seu calumniarum lege, cæteras refellit, monstrátque nihil in D. Thomæ scriptis potuisse acerrimum Aduersarium bono animo, aut etiam vllâ veri specie carpere.

Illud satis mirari non possum; cum omnium nostrum sit mos, aut morbus, vt alios nostro modulo metiamur, & pro suo quisque affectu de singulis statuat: Aluam sibi persuadere, D. Thomam, si licuisset per tempus, emendaturum multa, quæ scripsit; cum ipse, ne dicam dubia, & incerta, sed ne quidem falsi apertè conuicta propè infinita, quæ priori editione (sciens, an imprudens, nolim iudicare) effutierat; alterâ editione noluerit, aut

fortè non potuerit præ nimiâ in præiudicatis opinionibus pertinaciâ reuocare : quamuis ad hoc insuperabilia vrgerent rationum momenta : & nunc omnium retractationum ipse impatiens, pronum ad retractationem futurum, aut esse oportere D. Thomam, sin qua Dominicanum quòd illius instituti velit omnes deploratæ salutis ex pertinaciâ in malo, saltem qua Sanctum, inclamat. Optimum sine dubio bonæ & sanæ mentis est argumentum, nedum resipiscentia à peccato, & errati ingenua confessio & emendatio, sed multò certius, ad meliora & certiora contentio, relictis minùs bonis, aut minùs certis, quibus adhærebat : in D. Thoma hoc etiam postremum admirari licet, sed in Petro vtrumque desideramus hominis frugi operæ pretium.

Equidem S. Doctor, graues & crassos errores, quales Petro innumeros obrepsisse demonstratum est, retractare non potuit, cum nullos illius generis vnquam incurrerit : sed si quando veritas illi clariùs, aut, quid melius eluxit, quæ priùs scripserat, posterioribus curis emendauit. Atque huius modestiæ singularis plura extant exempla, etiam de rebus minimis, quæ suâ vtrinque probabilitate non carerent ; atque ita quam secutus fuerat in 1. dist. 11. art 4 opinionem : duos spiratores, perinde ac duos spirantes, Patrem & filium dici, & constituere, retractauit primâ parte quæst. 36. art. 4. ad 7. *Sed melius*, inquit, *dicendum videtur, quod sint duo spirantes, non duo spiratores.* Eadem modestiâ in 4. distinct. 5. quæst. 1. art. 3. assensus Magistro Sententiarum admittenti creaturam vt instrumentum ad creationem, primâ parte quæst 45. art. 5. in aduersam sententiam discessit.

Hoc etiam exemplum præbet Theologiæ tertiâ parte quæst 9. art. 4. correctâ, quam in 3. distinct. 14. art. 3. docuerat, opinione : Christum nullam sibi propriis actibus scientiam comparasse : eiusdem partis quæst. 70. Item corrigit, quod de Circunciſione in 4. distinct. 1. quæst. 2. art. 4. scripserat : gratiam Circunciſione collatam nihil iuuisse contra concupiscentiæ motus, *sed diligenter consideranti*, inquit, *apparet hoc non esse verum.* Item in 3. dist. 14 quæst. 1 art. 2. & 1. 2. quæst 68. art. 4. hoc inter dona Spiritus Sancti constituerat discrimen, vt intelle-

ctus, & sapientia speculatiuam rationem, consilium verò, & scientia practicam partem perficerent. *Sed diligenter intuenti* (inquit 2. 2. quæst. 8. art. 6.) *donum intellectus non solùm se habet circa speculanda, sed etiam circa operanda.* Ex hoc vltimo retractationis exemplo elegans eruit argumentum Pater Harney paginâ 39. quo euincit Bellouacensem excepisse à D. Thoma secundam Theologiæ partem, quia refert quod habet D. Thomas loco citato ex 1. 2. lib. 1. parte 4. distinct. 1. ad 4 & deinde eâdem parte distinct. 6. ad 3. retractationem ex 2. 2. inserit, quod potuit contingere Vincentio exceptoris & collectoris tantùm munus obeunti, D. Thomæ nunquam; quia cum Authorem ageret, vno loco non posuisset, quod altero videbat eruditionem.

His exemplis præter eruditionem non contemnendam, agnoscere licet tum modestiam D. Thomæ, quem tantum abest, vt pudeat, quin glorietur etiam à se dicta reuocare, tum seueram in sua scripta censuram, ac pænè nimium rigorem, cum probabilia, quæ excusari possent, castiget, nec velit audienda esse minùs probabilia, cum primùm probabiliora illuxerint. Atque hinc refellere licet audaciam Petri in lacessendo S. Doctore, & in suis malis pertinaciam. Conueniebat certè magis imitari, quàm insectari D. Thomam. Ille verisimilia, nec falsi comperta è suis libris volebat deleta, cùm probabiliora innotescebant. Petrus verò nequidem errores, quos nisi cæcus, & vecors excusare nequeat, etiam monitus, etiam correctus nec vult, nec præ nimiâ contumaciâ potest abiicere, multo minus autem scripto reuocare. At si D. Thomas in suos libros adeo sollicitè inquisiuit, & deletum omninò voluit, quidquid minùs probabile secundis cogitationibus censebat; quis credat, vel ausit scribere, nisi Petrus Alua, & à Clausâ-valle, reliquisse errata, quæ neglexerit corrigere, ad quæ cæcutierit, & quæ emendaturus, si licuisset, erat? Emendauit leuissima; quî fieri potest, vt grauiora prætermiserit? Id mihi certissimè persuasum est, nunquam id facturum vllis vtriusque Petri argumentis: leuiora enim sunt, quàm vt illa tantus Doctor moraretur.

Atque hæc est tandem meta longissimæ sectionis, in quam plura videmur coniecisse, quàm breuitas &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [299] - 239
PUBLIC DOMAIN

ueniens differendi ratio patiatur. Excusare possem prolixitatem hanc, & à scopo exerrationem æmulorum importunitate, qui cum in accusando S. Doctore nec finem faciant, nec modum habeant, terram denique cœlo, & infinita genera diuersissima misceant: hi suum mihi vitium affricuerunt. Quamuis hactenus dicta non sint omninò aliena ab huius sectionis scopo de fide & reuerentiâ in Deiparam: nam cum Alua (quod vnum contendit tot libris) vtramque à nobis criminetur grauissimè læsam, vindicatione opus fuit, quæ à sectionis huius fine non recedebat. Sed vtinam hoc vno, aut certè præcipuo nimiæ prolixitatis argueret, longè grauioris criminis me reum puto. Quodnam verò id est? Retulisse quæ vterque Petrus horrenda, & immaniter falsa in D. Thomam scripserunt. Neque enim non potest non vergere in maximum Ecclesiæ & Religionis dedecus, hæc adeò enormia à Religiosis & Theologis in Diuos scripta: vt penè me puderet referre etiam necessariò refutanda. Sed quid facies istis hominibus, qui nec laboribus, nec expensis parcant, edendis, spargendis his calumniis, quas videaris maiori scandalo agnoscere, nisi refellas?

Hic ad finem duo addam: memini me Capreolum nescio quo ex quæstionibus in primum sentent. loco legere, soluto quodam argumento Aureoli, quo ad grande aliquod impium, & absurdum ex falsâ interpretatione nostræ sententiæ rem deduxerat; hæc modestè adiunxisse Capreolum: ex nostrâ responsione patet hanc obiectionem Aureoli profectam esse ex *peruerso intellectu, quidquid sit de affectu.* Hoc dictum volo, atque eâ moderatione accipi, quidquid hactenus vel in posterum Aluæ responsum fuerit; de affectu nolim iudicare, de intellectu ne Capreoli verbis vtar, iurarem, quæ profert, non esse digna titulo quem sibi vindicat, *certum quid, iudicium Salomonis*, & apud me ita à vero, à sensu communi & à regula hominis frugi aliena esse, vt credam Ecclesiam & Religionem, sed ipsammet rationem, & naturam graue inde damnum, & dedecus pati; meúmque laborem ipsâ necessitate iustæ defensionis excusari non posse, quin apud Deum me grauissimi sceleris reum peragendum crederem, nisi ex animo vouerem, vt huius

lus mei libri post decennium nullum omnino supersit vestigium; ne posteri vnquam doceantur Theologum, & Religiosum piæ causæ, aut alicuius boni prætextu tot mala ausum scribere, & cudere; vt videri possit omnem fidem & pudorem, omnem veri, & honesti curam eiurasse.

Atque in hanc rem mihi maximè placent, quæ ante me vsurpauit Pater Harney verba: *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne forte lætentur filiæ Philisthim, nec exultent filiæ Incircumcisorum.* Quid enim dicturos putas hæreticos, & impios, cum ista legerint ab Alua conficta, & obiecta nobis, quæ æquo & forti animo ferremus, vel aspernaremur semel, aut iterum dicta; sed cum superioribus sæculis cusa, & millies reposita, nostro Potza instaurarit; à cuius imitatione, nec censuræ Romanæ grauissimæ in illum latæ, nec responsa Grauinæ, aliorúmque Scriptorum doctissima deterrere potuerint Petrum à Clausâ-valle, quin eadem, & noua, atque iniquiora protulerit, nec huius pœnæ à foro sacro, & sæculari indictæ Petrum Aluam moderatiorem effecerint, quin portentosa in nos congerat, & iteratis editionibus euulget, & spargat; si his calumniis referendis, aut refellendis desipuimus, quod præ atrocitate calumniarum non negamus: culpam eluet aut eleuabit Apostoli verbum, & exemplum, *Insipiens factus sum, vos me coëgistis.*

SECTIO TERTIA.

Fides, obseruantia, & Pietas Dominicanorum in sedem Apostolicam vindicantur à calumniis secundæ Diatribæ.

PRIMIS secundæ huius Diatribæ verbis, magno hiatu in Dominicanos latrat Petrus, & vrsorum more, quos gentilitios ac penè collactaneos in syluis & montibus Sabaudiæ habuit, præsentem videtur mortem, aut

quid peius morte, hæresim scilicet, vel saltem hæresi proximum errorem, nobis minari, & intentare. Sed bene est, quod suæ infirmitatis, vel nostræ innocentiæ conscius mansuescat, & post obiectam hæresis accusationem, quam se posse ne dicam conficere, sed ne quidem prosequi diffidit, asserat, Dominicanos minus grato & reuerenti animo in Summos Pontifices fuisse. Gratulor nostro Theophilo, & gratias habeo, quod nonnullam bonæ mentis & resipiscentiæ spem præbeat, & aliquam palinodiæ speciem canat. Ab hæresis nota absolutis aliquam ingrati animi labem aspergit. Galliarum annales referunt summum maris Præfectum exclusum gratia, qua apud Franciscum primum maxima & diuturna valuerat, Regi, conscientia seruatæ fidei, liberiùs respondisse; se hunc casum nec meruisse, nec timere, si in suam vitam inquiratur. Hac fiducia & animi constantia offensus Princeps, permisit illum iudicio Cancellarij, qui post exactam inquisitionem, cum nihil morte vel pœna dignum inuenisset, ne videretur omnino absoluere contra Principis sensum aut voluntatem, sententiam in illum tulit, non tanquam rebellionis aut proditionis reum, sed quasi beneficiorum regiorum immemorem. Hæc damnatio fuit rei defensio, omnium sapientum sensu, qui nouerant in ingratos hæc iudicia non exerceri. Theophilus ius vitæ & mortis in Dominicanos, & supremam iudicis aut Cancellarij Ecclesiæ authoritatem sibi arrogat, & odio actus, inuidiæ oculis in illos inquirit: sed quamuis his affectibus caliget & cæcutiat, adeo tamen aperta veritas & accusatorum innocentia in illos incurrit, vt coactus sit mutare, aut mitigare sententiam, & ad mortem damnatis tantum ingrati animi notam inurere: illam tamen facillimè mox diluemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Summa Diatribæ, consilium Authoris, & breuis refutatio ipsius.

SED id primum moneo, non tam nostram quam Pontificum causam agi, in quos Petrus (an sciens

& prudens nolim iudicare) certe per ſummam cæcitatem, aut temeritatem, huius accuſationis inuidiam deriuat. Si vera ſunt quæ de nobis narrat Petrus, profecto vecordes, rerum ſuarum & totius Eccleſiæ ignari, & negligentiſſimi fuerunt; quod Dominicanos nedum beneficiorum obliuioſos, ſed infidos, proditores, ineptos, & ridiculos, non minus quam improbos, ad grauiſſima quæque negotia adhibuerint, vt præter officia ſtata Inquiſitorum, &c. creauerint ex illis 50. Cardinales, pluſquam 600. Archiepiſcopos; Epiſcoporum vero (vt quidam ſcriptor Franciſcanus ait) vix numerus iniri poſſit; & præter iſta officia Ordini, aut ſingularibus perpetuum addicta, legationes honorificentiſſimas, & difficillimas ad Reges, aduerſus hæreticos & Turcas obire iuſſerint Dominicanos. Prodigij omnium maximi fuerit, tot Pontifices ſapientia, ſanctitate illuſtriſſimos, non potuiſſe per 500 annos reſipiſcere, conſulere ſedis Apoſtolicæ dignitati, reiectis Dominicanis, muneribus indigniſſimis, quibus præficiuntur, & in Summos Pontifices ſacrilegis. Sanè ſi vera ſint, quæ obiicit Petrus, nulla maior fuit vnquam cæcitas tot Pontificum, qui adeo præpoſtero affectu, & iudicio immeritos Dominicanos fouerunt, & promouerunt; ſin vero falſa narret, nulla eius calumniæ, par eſſe poteſt.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Aperitur conſilium Petri & euertitur.

CYriaci inquit, *priores in donis, maiores in imperio, præcipui ſunt adminiſtri Pontificum in pleriſque tribunalibus, non abſque pingui annuo cenſu; & ſpe infularum aut purpuræ, inſignibus prærogatiuis exornati, ſupra omnes religioſos; ac etiam ſupra clericos. Quare videtur eſſe extra dubium, quod Cyriaci debuerint ſtare ſemper pro ſede Apoſtolica.* Eâdem Diatribâ parum abeſt, quin infallibilitatem, quam vbique probat, abſtulerit à Ioanne XXII. quod nimio in Dominicanos affectu Ochamum impulerit in ruinam, & multa Eccleſiæ mala crearit. Horum tamen beneficiorum videntur Dominicani obliti,

longè à reuerentia, & obsequio in sedem Apostolicam recessisse: Imò illi etiam conflasse inuidiam, iniquâ librorum censurâ, vel inquisitione crudeliùs exercita, vel inuentis fabulis, qualis est illa, inquit, Martini Poloni de Ioanna Papissa: vnde ad finem diatribæ concludit (quod totius libri vnicus scopus est;) *malos male perdendos esse*, & quæcunque per quadringentos, & amplius annos, quasi hæreditario iure à Patre nostro excepimus, & seruauimus officia; qualia sunt Magisterij sacri Palatij, inquisitionis in hæreticos, aut in libros malæ, vel suspectæ doctrinæ, ad alios transferenda esse, qui *ferant fructum temporibus suis.*

Verum adeo aperta est, mi Theophile, tuæ sententiæ iniquitas, vt nullum, ne quidem te ipsum iudicem recusemus, dummodo per affectus, qui continuo perstrepunt tuis auribus, liceat nos audire. Religio Dominicana sic à Parente suo est instituta, vt is ipse qui fundamenta iecit, penè absoluerit, & patrimonium reliquerit amplissimum, quod filij seruarunt tantum, non auxerunt: Quid enim habemus, quod Parens noster in suum Ordinem non induxerit, si vnam excipiamus Angelici Præceptoris doctrinam? Quare vt omnia paucis complectamur etiam illis donis quibus ægre fert Theophilus, nos aliis anteponi, Dominicana familia à suo Authore instituta, & à Thoma ornata, videtur aliquam Paradisi terrestris imaginem præferre: Nam vt ille locus deliciarum vno fonte rigabatur in quatuor fluuios copiosissimos diuiso; sic planè Prædicatorum Ordo, capite, & institutione vnus, partibus quadruplex, Rosario, Magisterio sacri Palatij, inquisitionis officio, & sanctissimi Thomæ doctrina, veluti quatuor fluuiis, totum ambit, & irrigat orbem Christianum, & qua potest, fœcundat. De singulis dicere nihil attinet, certum est, quod de Rosario sapientissimus & piissimus dixit Doctor Martinus Nauarrus, *patrimonium esse Ordinis Dominicani*, idem nomen reliquis partibus conuenire. His ergo veluti quatuor elementis coalescit Religio Dominicana, atque his ad Paradisi similitudem accedit. Longius me comparatio hæc abriperet, nisi in materia copiosissima mihi temperarem.

Sed istis obiter notatis, ad nostra veniamus. Qua de causa, mi Theophile, hac Diatriba, & reliquis omnibus;

ita impotenter in Ordinem Dominicanum inueheris ? Quare ad finem tui operis concludis , auferenda nobis, quę apud Summos Pontifices officia obtinemus ? Nec dubium eſt (id enim ſatis apertè præ te fers) quin , ſi per te ſtaret, Religio noſtra humiliatorum loco eſſet. Verum compeſce paululum iram, & odium, quo in nos flagras , & illos affectus, ſemoue , qui te ita excœcant , vt æquitatem inſpicere nequeas. Itane indignè fers , tuum *pro peſte de martyrio* librum improbatum , vt in illius pœnam delicti , cuius immunes ſumus, velis nos expelli à patrimonio , laboribus , & meritis in Eccleſiam à Parente noſtro , & ab eius filiis comparato ? Demonſtra mihi, ſi poſſis , nedum in Eccleſia , ſed etiam in toto orbe poſſeſſionem ab vllâ familiâ iuſtius initam , aut diutius, vel moderatius , ſine vllo detrimento, vel augmento ſeruatam ? Tardius , mi Theophile, è Sabaudiæ montibus delapſus es , vt ius illud antiquiſſimum poſſis conuellere. Inſpice originem, attende perennitatem.

Dubitas ne Dominicum ſuis in Eccleſiam meritis ſibi, & filiis hæc officia comparaſſe ? Diceſne ad illa artibus nuperis , eius ſæculo ignotis , corruptela , & ambitione obrepſiſſe ? Vel immoderata Summorum Pontificum gratiâ euectum fuiſſe ? Neutrum ſanè potes aſſerere, quin diris deuoueare , vt ſacrilegus , aut vt inſanus omnium cachinnis excipiare. In vna familia tot ſæculis hæc miniſteria ſeruata , cur ad alios peruenient ? At , inquis, læſerunt Dominicani reuerentiam ſedi Apoſtolicæ debitam, non fuerunt grati in eos, qui ſe tot beneficiis deuinxerunt ; fateor , mi Pater , te nos eadem prorſus ratione tibi demeruiſſe , qua ſibi Herodes , quos trucidauit , infantes aſtrinxit ; plus odio profuiſti nobis , quam poſſes vnquam obſequio. Sapienter ille , qui ad emendationem, vel ad gloriam , aut optimum amicum , aut acrem, & peſſimum inimicum requirebat ; ita Dominicani Ordinis hoſtem infenſum te toto tuo opere profiteris ; vt illius , & meo nomine tibi gratias immortales agam , quòd cùm totis viribus conatus ſis non ſolum nos inumbrare , ſed etiamſi licuiſſet , ab Eccleſia delere , verè tua opera inclareſcimus. Profer mihi, ſi poſſis, è toto orbe familiam , quæ quadringentis & amplius annis Regiæ, aut Pontificiæ dignitati inſeruierit , & quæ leuius , aut

rarius peccarit, quam noſtra, etiamſi admitteremus vera eſſe, quæcunque in illam collegiſti: quamuis omnia, vel futilia ſint, vel falſata, id eſt te collectore, & te authore digna.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Summa calumniarum quibus generatim reſpondetur.

ATQVE vt propius ad rem accedamus, Dominicani in his officiis, quæ te præ liuore rodunt, duo ſibi obſeruanda maximè ſtatuerunt, ne ſcilicet à Patris exemplo, & à Summi Pontificis fide, atque obſeruantiâ recederent; & hoc egregiè præſtiterunt, quod ex te ipſo probo; quamuis enim corrogaris vndequaque quidquid in nos fingi poteſt, quid tandem affers, quod hanc receptiſſimam de Dominicanorum in ſedem Apoſtolicam obſeruantia opinionem, vel minimè lædat.

Pro magno ſcelere reputas, Sotum montem pietatis improbaſſe, & aliqua labe, aut ſuſpicione vſuræ aſperſiſſe, licet Leo X. in Concilio Lateranenſi confirmarit. Nec minus tibi videtur graue, quod idem Soto, & Cano cum aliquot è Thomiſtis negent abſoluendum moribundum, qui nullum doloris ſignum editit licet ediditſe teſtentur alij. Tertio Pater Combefiſius, & Riccardus auſi ſunt caſtigare Martyrologium Romanum à Baronio correctum, & à Gregorio XIII approbatum. Quarto Thomiſtæ aſſerunt, nec Conceptionem immaculatam, nec quicquam aliud contra D. Thom. definiri poſſe: cum tamen de voto ſolemni, & de irregularitate ex homicidio, ſecus quam ſentiat, ſit à Gregorio XIII & à Bonifacio VIII. ſancitum. Quinto Canus in confirmandis Religionum Ordinibus negat Summis Pontificibus infallibilitatem, & in illis deſiderat prudentiam.

Sexto cum pertineat ad honorem Summorum Pontificum, etiam vt priuatos homines immunes eſſe ab omni hæreſi, Combefiſius, & Canus illos multis implicant erroribus: ac proinde, ſi cuiquam Pontificum vt priuato, aliquis per ignorantiam error obrepſit, idem accide-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [306] - 246
PUBLIC DOMAIN

re cuique poteſt. Tandem Dominicani inique agunt, & perſonam potius, quam meritum cauſæ inſpiciunt, quia vni homini Germano grauiſſimam litem mouerunt, quod theſi publica negarit de fide habendum, vt Chriſti vicarium hunc, qui ſedes ſingularem Pontificem, quam opinionem Turrecremata, aliique Dominicani plures, editis libris docuerunt.

Hæc ſunt veluti capita ſeptem Hidræ, quam Theophilus nobis obiicit, & quam debellandam ſuſcipio. Fateor primo, nos plurimum debere diligentiæ, & odio huius hominis, quod è tot ſcriptoribus noſtris, in quos acriter inquiſiuit, qui per quadringentos annos ſuas lucubrationes ediderunt, & nullam ſacræ doctrinæ, qua latiſſime patet, reliquere partem intactam, è plurimis pauciſſimos in re nullius momenti, quæ omnia, præter ipſius ſenſum ad fidem non pertinent, proferre potuerit. Reſpondeo ſecundo, niſi ſola defenſione contentus, expoſtulandi, vel accuſationem reponendi facultatem mihi abſtuliſſem, duplo, & decies plura poſſem è Societatis Scriptoribus repræſentare, qui longè magis aliena ab obſequio Summi Pontificis, & à communi pietatis ſenſu docuerunt. His addo Dominicanorum plures, quos traduxit, hoc ſolum nomine peccaſſe, quod prophetiæ dono caruerint, nec potuerint ſcire, quæ futuri Pontifices decreta eſſent edituri, longè eorum ſcriptis poſteriora, quæ ad ius poſitiuum pertinent, & ad arbitrium Pontificum quotidie nihil mutari vetat, interdum etiam ratio, & vtilitas Eccleſiæ requirit. Dico tandem nihil eorum quæ affert, ad dogmata credenda ſpectare, quæ certis fide regulis conſtituantur, ſed ea, in quibus ordinandis ipſimet Pontifices ſolis probabilibus ducuntur, & aliis liberum probabilitatis vſum, & iudicium permittunt: imo boni, & æqui conſulunt, Theologos aliquando à ſe diſſentire. Verum Theophilus hæc omnia confundit, aut per ſummam ignorantiam aut malignè, vt imponat, & illudat incautis, & calumniis, quas noſtris hominibus inſtruit, aliquam mali ſpeciem affingat. Sed dum ipſe omnia, quæ Pontificis nomen præferunt, vult nos habere nullo diſcrimine quaſi regulas, & fundamenta fidei, ipſam fidem, & authoritatem Pontificiam fundi-

tus euertit. Itaque, vt quas ille tenebras offundit, dispellamus.

Id diligentissimè notatum velim, Religionem à Christo institutam his tribus partibus, nempe Legibus diuinis, Sacramentis, & Dogmatibus constare; Leges agenda præcipiunt, dogmata, quæ sunt credenda, continent, Sacramenta vires præbent, quibus mysteria credamus, & præscriptas leges impleamus. Præ multis dotibus, hæc est eximia singularum partium, quod omnes sint originè diuinæ: Nec vllum Angelorum aut hominum, sed Christum vnicè authorem habeant; ipse vnigenitus Patris, quæ ex sinu ipsius hauserat, mysteria nos docuit; ipse Leges diuinas sanciuit, & Sacramenta instituit. Quid iuris, quid potestatis dedit in has Religionis partes Petro, & Summis Pontificibus, qui auctoritatem Apostolicam sortiti sunt? Dum vis, Theophile, Dominicanos conuincere, contemptæ potestatis Pontificiæ, nisi calumniatorem agas, hæ, quas recensuimus partes Christianismi, erant tibi diligenter expendendæ, & monstrandum quid in quamque possent. Verùm illi nunquam id sibi assumpserunt, vt Sacramenta condere, Leges diuinas statuere, aut mutare, vel noua dogmata facere putarent se posse, aut vellent. Quid igitur sibi à Christo datum agnoscunt? Quod omnes pij fatentur, nempe summum Pontificem posse instituere Sacramentalia, non Sacramenta, interpretari legem diuinam, non sancire, posse scribere Canones, non libros Canonicos, nec dogmata condere, quæ noua reuelatione egeant, sed ea deducere, & declarare, quæ verbo Dei, aut scripto, aut traditione excepta, implicitè, aut virtualiter continentur. Has sibi metas præscriptas nouerunt, & præ se tulerunt Concilia œcumenica, & Summi Pontifices.

Hæc sunt Religionis Christianæ elementa. Si illa ignores, Theophile, non es dignus ne dicam Theologi, sed nequidem Christiani nomine: si noris, & dissimules, aut confundas, inique agis. Quidnam illorum, quæ confusissimè proponis ad fidem pertinet? An omnia certa? An omnia probabilia? Aut partim hoc, partim alterum putas? Tu, vt nobis inuidiam pares videris omnia fide certa statuere, hoc solo, quod Pontificis nomen

præferant, etiam in Rituali. Sed qui ita temere omnibus fidem astruit, omnibus abrogat, & qui vbique vult habere, nullam habet. Possem iure meo à te exigere, vt antequam ad hæc capita responderem aperires nobis, quo loco singula reponeres. Sed hoc à te frustra expeterem. Quia reuera melius Luciani Dialogos, & Satyras scribere nostis quam, ne dicam D. Thomæ, quem nullo loco habes, sed neque Augustini, neque Ecclesiæ Theologiam. Certè, Theophile, tacuisses ex iis plurima, quibus librum tuum inferfisti, nisi hæc solidissima principia, quæ in tuto ponunt, quos gratis lacessis, te latuissent.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Cultus Dominicanorum in Sedem Apostolicam sincerus & perpetuus.

NON miror, Petre, te adeo infensum Dominicanis: Causa est in promptu; nempe summa morum dissensio. Illi æquitati student; tu nihil, nisi gratiæ & odii causa agis; ideo ipsi maiores suos, & Summos Pontifices colunt obsequiis legitimis & sinceris, quæ longissime absunt (vt monebat ethnicorum prudentissimus) à deformi obsequio, & à prærupta audacia: tibi vero cum ignota vbique sit, media illa sedes virtuti propria, iis duobus vitiis te laborare argumento sit Pater Nicolaus Riccardi, quem singulis tui libri paginis mordes & dilaceras, quem alio à sapientum sensu Monstrum, harpiam &c. eiusque verba baubatus vocas: is ille est, quem Magistrum sacri Palatij, adhuc superstitem, dum Romæ degebas (vt à fide dignis accepi;) præ metu, & fictâ reuerentiâ, demissis in terram oculis, vix audebas adire.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Exempla obsequij Dominicanorum.

NOn *sic* Dominicani, *non sic*, quos suus pater exemplo, & institutione supra omnem spem, & metum posuit, quos docuit vno Deo contentos, *vnâ gloriâ*, nempe *testimonio conscientiæ frui*; quos Sedi Apostolicæ, à qua tot beneficia, & ornamenta receperat, æternum addixit, hoc quasi voto, vt nullum ipsius causâ detrectarent, periculum & obseruantiam exhiberent, qualem infra Deum summa dignitas exigebat, *rationabilem*, legitimam, sinceram, quæ non minùs ab assentatione, quàm à temeritate abesset.

Hoc non solum Familiæ nostræ, sed Ecclesiæ Annales singulis sæculis prædicant: neque vllum tempus potest Petrus designare, quo huiusmodi officiorum exempla apud celebres autores desiderentur. Omissis propemodum infinitis, quis vnquam atrociùs & periculosiùs Ecclesiam infectatus est Federico II. & Ludouico Bauaro? Vndenam grauius malum Pontificis authoritati impendit, quam à Concilio Basileensi, quod supremam sibi potestatem in Ecclesiæ Caput arrogauit? At his omnibus fluctibus, qui naufragium naui Petri minabantur, se se intrepide obiecerunt Dominicani, vt ab Ecclesia depulsi in proprium caput redundarent; & pro summa gloria duxerunt perire incolumi sede, naui, & authoritate Apostolica: cuius causa, Federicus II. quotquot intercipiebat Dominicanorum, capita, in crucis figuram dissecabat: quod contra se belli sacri præcones vexillum Crucis sustulissent. Nihilo mitior Ludouicus Bauarus omnibus suis ditionibus Dominicanos expulit, eorum domus euertit, & bona diripuit. Nec minus intrepido oportuit Dominicanos animo esse aduersus Concilij aliquot Basileensis; qui vbi sessione trigesima tertia Eugenium in ordinem coegere, sequenti sessione, quâ licuit, in Dominicanos sæuierunt. Neque præter antiqua exempla, recentiora desunt, vt Seraphini à Porecta, cuius inuicta in Sedem Apostolicam fides emicuit, tum

cum Respublica Veneta in Paulum V. bellum meditabatur: sed Apologiam scribo, non historiam; ideò à pluribus exemplis referendis supersedeo: nam quæ commemorata sunt, satis demonstrant inuictos aduersus omnia pericula & mala Dominicanos, pro Sedis Apostolicæ defensione vsque ad sanguinem decretasse.

Sed fortè infracti metu, in deforme obsequium delapsi sunt, & assentationibus hunc cultum corruperunt. Verum non pauciora in hanc partem, quam in alteram extant veræ libertatis Christianæ exempla. Multi nostrorum Theologorum, vt Turrecremata, Ioannes à Monte nigro, Caietanus, aliique Scriptores acerrime pugnarunt pro Monarchia Ecclesiastica, penès Petrum eiusque successores à Christo constituta & seruata, pro iure definiendi res fidei controuersas: sed nulli etiam liberius, & sincerius limites à Deo huic potestati præscriptos designarunt: aut sicubi inde recesserunt, maiori libertate, ac reuerentia monuerunt. Nonnulli Doctorum, bono fortè animo vtramque Petro, eiusque successoribus hæreditariam, in totum orbem nedum Christianum, sed etiam Gentilem potestatem plenissimam datam contendunt. Atque hinc Hispaniarum Regem totius Indiæ Orientalis dominum ab Alexandro VI. iure constitutum fuisse. Sed Bannes quamuis Hispanus & summè Catholicus, non putauit sibi licere Regi suo & Pontifici hac in re adulari. Itaque negauit re ipsa datum hoc Imperium à Pontifice in Ethnicos, aut iure dari potuisse, illique Bellarminus, aliique Theologi maxime ex nostra Schola assentiuntur vni veritati addicti; neque inclamant *vocem hominis, vocem esse Dei*, nec quicquid pronuntiatum fuerit, vel approbatum de quæstionibus facti, aut iuris naturalis, aut Philosophiæ moralis, quæ reuelatis non continentur, nec illis connectuntur, nisi fortè aliqua consecutione probabili, aut humana coniectura, nec certo sciri possunt vlla antiquarum reuelationum, nisi noua accedat: horum inquam à me relatorum, quidquam hactenus fide definitum fuisse, nec eorum definitionem tentatam esse, nec posse dari, sentiunt plures Theologi, idque boni consulunt optimi Pontifices, qui magis sibi cauent à deformi

obsequio aulicorum & adulatorum, quàm à præruptâ audaciâ hæreticorum.

Certè si cui Pontificum gratificari & assentari oportuisset Dominicanos, is erat maxime Ioannes XXII. non minus prudentia, aliisque animi dotibus, quam diuturnitate Pontificatus paucis decessorum aut successorum inferior; quem vbique carpit Petrus, & accusat nimij in Dominicanos affectus; quos quamuis demeruisset innumeris beneficiis, relato in Diuorum album sancto Thoma, assumptis tribus ad purpuram Dominicanis & toti Ordini his duobus verbis *lucere & ardere* in insigne datis; obtinere tamen non potuit, vt à traditione recepta in eius priuatas opiniones abirent Dominicani aut fauerent, si vellet suum sensum antiquæ Patrum sententiæ anteponere. Hinc illa Durandi Episcopi Meldensis, hinc Thomæ Valdensis (quem vbique carpit Petrus) inuicta constantia, & libertas, qua Pauli exemplo, sicut hic Petro, ita ipsi restiterunt successori Petri, quod vterque reprehensibilis esset; neque ab hoc officio deterreri potuerunt tot beneficiis, & ingrati animi suspicione, neque metu carceris, quo iniectus est Valdensis; atque hanc Dominicanorum libertatem, non solum boni omnes probarunt, sed ipsorum etiam hostis acerrimus Ludouicus Bauarus, non potuit non laudare & admirari. Nam forte suspicatus Dominicanos sibi infensos fuisse & Sedi Apostolicæ addictos spe præmiorum; vbi audiuit, neque etiam Ioanni XXII. à communi Patrum sensu aberranti peperciisse, exclamasse fertur, Ordinem Prædicatorum, *Ordinem esse veritatis*, cui vni se deuouit. Assentires huic Imperatori, Petre, nisi tenaior cæcitas, quam ipsum & acrius odium in nos transuersum agerent.

Nec dicas recentiores Dominicanos discessisse ab auita illa virtute: recole animo, quæ à Bartholomæo à Martyribus, quæ à Pio V. sub nomine Cardinalis Alexandrini dicta, gestaque celebrantur à florentissimis omnium gentium & linguarum scriptoribus; maxime historia Gallico idiomate nuper edita Bartholomæi à Martyribus, quæ omnium manibus excipitur, omnium ore laudatur, & vix secundo postquam euulgata est anno, quarta eius editio adornata est: adeo illius Domini-

cani virtus primis Eccleſiæ ſæculis, quam noſtro propior ſadeo libri ſtylus elegantiſſimus, *omnium iudicia rapuit*; quod maius cenſet Seneca, *quam meruiſſe.*

Sed quis ab illo Luſitaniæ Primate ſanctiſſimo, in Concilio Tridentino, vel Romæ dicta, ab omni adulatione remota cum ſummâ in Sedem Apoſtolicam reuerentiâ, non miretur? Agebatur in illo conſeſſu Patrum de moribus omnium Eccleſiæ Ordinum corrigendis nec vllus audebat Cardinalium gradum vel vno verbo attingere. At Bartholomæus à Martyribus, omnibus tacentibus & trepidantibus, in hanc vocem nunquam perituram Apoſtolicâ libertate erupit, *Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Cardinales vti loco ſupremo ſunt, ita omnium primi egent Illuſtriſſimâ & Reuerendiſſimâ reformatione, ad quam veluti ad exemplar reliqui Ordines inſtaurentur*: Quæ & quanta Pium IV. ſua ſponte & conſilio ſanctiſſimi ſui nepotis Borromæi in ſe propenſiſſimum, eorum quæ ad officium Summi Paſtoris pertinent, ſepoſito omni humano reſpectu admonuit?

Deduxerat illum Pius ad hortos Pontificios viſendi causâ locum amæniſſimum & magnificentiſſimum Palatium, quod ab aliquo deceſſorum inchoatum, abſoluebat: quærenti Pontifici, an huiuſmodi Palatia Bragæ extrueret, Reſpondit Bartholomæus, *ſe non eſſe iis natalibus, aut eo loco, vt ſe Palatia decerent; & ſi forent ſibi paranda, nunquam paſſurum extrui bonis alienis, multominus ſpoliis pauperum exornari.* Vrgente Pontifice quid de toto ædificio cenſeret: *Meum eſt*, inquit, *Beatiſſime Pater, operis, quod dignaris mihi oſtendere, partem obſeruare, nihil vero de illo ſtatuere aut iudicare*: cum vero inſtaret Pontifex, ſuum ſenſum aperiret, & præ ſe ferret ſibi placiturum, quicquid diceret: *Quandoquidem iubes, Beatiſſime Pater, quæ ſentio aperire, ne libertate mihi conceſſâ abutar, dicam ſinceriſſime ita me comparatum, vt nequeam cogitare de adificiis, quæ tempus vel Dei Filius vltima mundi conflagratione abſument. Poterit forte illud Palatium ſummâ arte confectum architectum commendare: ſed nihil ad tuam laudem confert, neque te dignum puto, quia Deus te præfecit viuis ædificiis ſibi parandis, quæ vltimo mundi incendio non ſint conflagatura; picturas etiam nihili facio,*

niſi quæ deletam peccato ex animis Dei imaginem & ſimilitudinem inſtaurant. His humaniſſime exceptis, repoſuit Pontifex ſe primum hæc ædificia non fuiſſe molitum, ſed ab aliquo deceſſorum inchoata proſequi mediocribus expenſis: & ſibi viſum minus mali eſſe abſolui, quam imperfecta, impedimento magis eſſe quam vſui. Tum ſubdidit Archiepiſcopus. *Non dubium, Beatiſſime Pater, quin abſolvi conuenientiſſimum ſit & neceſſarium, quæ inchoari oportebat: ſed non auſim aſſerere Deum hoc ædificium accenſurum bonis tuis operibus, quæ æternâ mercede compenſabit. Iam video*, inquit Pontifex, *mirè tibi cum Nepote meo conuenire, & vtrumque nihil penſi huiuſmodi res habere, nec diſſimilia fore ædificia, quæ tu Bragæ, ille Mediolani moliemini.*

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Alia hujus cultus exempla.

HÆc quidem ſummâ ſapientiâ & grauitate dicta fateor, & ſcio illius vitæ libro nuper Gallico idiomate elegantiſſime ſcripto, cum omnium applauſu & admiratione fuiſſe excepta. Verum ſi voti reus fuiſſem, & quod vrgebam, obtinuiſſem, vt quo prodierat ſtilo Bartholomæi à Martyribus, eiuſdem inſtituti ſcriberetur vita Pij V. agnouiſſet prudens Lector Bartholomæum à Martyribus non minus Pio V. virtutibus & rebus præclare geſtis, quam Braccarenſem Romano Pontifici Sedis dignitate decedere; nec longe ab inſtituto aberrabit duorum Dominicanorum eâ de re, quam præ manibus habemus, comparatio paucis perſtricta.

Ex Bartholomæo relata video zelum planè Apoſtolicum reſipere, & Lectoris potius rapere quam mereri iudicium. Verum decidet aliquid illorum admirationi, ſi Cardinalis Alexandrinus (ſic enim ante Pontificatum Pium vocabant:) in conſeſſu purpuratorum Patrum audiatur. Multa de hoc argumento collegit elegans & pius ſcriptor Ioa. Antonius Gabutius libri primi vitæ Pij cap. 7. cui hunc titulum inſcripſit, *de ſenatoria ipſius in dicenda ſententia libertate.* Hoc primum videntur

distare hi duo Dominicani, quod Bartholomæus compertum haberet, quæ à se dicebantur, non fore ingrata Pontifici, qui se prouocabat vt sensum suum sine vllo fuco aperiret. At Cardinalis Alexandrinus multis experimentis nouerat, suam in ferendâ sententiâ libertatem eidem Pio IV. molestissimam, odiumque parituram veritatem, à qua tamen euulganda, ac defendenda, nullis vnquam minis aut pœnis deterreri potuit.

Ex multis quæ referunt historici inuicti animi exemplis, hoc vnum attingam. Mantuæ & Etruriæ duces suum quisque filium, adhuc teneræ ætatis pueros, in Cardinalium cætum adoptari ambibant, eorumque votis annuebat Pontifex. Anniuersario itaque die suæ in Sedem Apostolicam electionis, post grande conuiuium, quo Ecclesiæ Principes & legati Principum quolibet anno excipiebantur, (quem morem Pius V. abstulit, erogatis in pauperes mille nummis, qui in huiusmodi sumptus conuiuales expendebantur :) Pontifex ratus opportunam occasionem, Cardinales qui eo conuenerant, de his pueris Principibus suo collegio aggregandis, sententiam rogauit. Quamuis omnibus nedum tempus electionis post prandium, sed ipsa de pueris facienda summe displiceret: omnes tamen in speciem repugnante conscientia eam, laudabant; nec vllus ausus est illi intercedere, præter Cardinalem Alexandrinum.

Vbi enim ex ordine dicenda fuit illi sententia; nihil eorum qui se præcesserant, orationem moratus, omni humano affectu, aut respectu sepositò, grauissimè disseruit, gratificandum quidem Principibus, qui loco clypei & teli sint Ecclesiæ; non tamen seruiendum more mancipiorum, quasi eorum quæ rogant vel ambiunt, etiam minus iusta & honesta, non sit ius aut locus recusandi. Hanc puerorum in cætum sacrum inaugurationem, nec ipsis quorum causâ petitur, nec eorum parentibus, nec Ecclesiæ, nec tempori, nec Collegio grauissimo conuenire: Eò aduocandos ex toto orbe Christiano Sapientissimos, non pueros ignaros & ineptos, fraudaturos Ecclesiam suffragiis hominum prudentissimorum, quorum præmia & locum occuparent.

Inde anſam hæreticis dandam, decreta Romana quaſi puerorum ridendi & traducendi. Hanc creationem nedum hæreticis ludibrio, & piis ſcandalo, ſed maximè Tridentinæ Synodi Patribus adhuc congregatis iniuriæ dedecori & offenſioni fore grauiſſimæ, quod decreta de diſciplina Eccleſiaſtica, de Paſtorum eligendorum ætate & moribus ſancita ipſis ſpectantibus, ſubſannantibus hæreticis, conuellantur tam præpoſtera & intempeſtiua puerorum electione. Eccleſiam Paſtoribus & Patribus egere, non pueris: nihil dilatione ad maturiorem ætatem creari iſtis damni, quia non ſunt illis defuturæ dignitates, ſi natalibus merita adiungantur & reſpondeant; ex illâ verò feſtinatione, præter obſeruata, plura damna & pericula impendere. Et illud præ omnibus timendum ne immaturæ ætatis in biuio poſitæ, & ad malum quam ad virtutem magis pronæ, purpuram vitiis maculent, aut cum aliquo contemptu abiiciant, vt contigit Cæſari Valentino, aliiſque eadem ætate promotis. Addebat non conuenire legendorum Cardinalium locum, qui ex more in eorum publico conſeſſu legi conſueuerant; nec tempus, quoniam cum illicò ſit à prandio (quod plurimum exaggerauit,) maximos hominibus ſermones id daturum erat.

Hæc ab Alexandrino inuictâ conſtantiâ dicebantur, cum indignatione paucorum, cum cæterorum omnium admiratione audiebantur: vnde ſolutâ concione, hæc vox excidit Cardinali Sancti Angeli, pudendùm plane, inter tot proceres ſummo loco natos, auſum neminem verbum hiſcere, præter hunc nouum hominem, quem non dubitabat Deum breui largè remuneraturum, & ad ſupremam Sedem prouecturum, quâ ſe vnus dignum probauerat: & ſummam viri libertatem ardenſque ſacræ diſciplinæ ſtudium admiratus, dicere ſolebat ſe libenter quemcunque vel pretioſiſſimum theſaurum habere vnquam poſſet, impenſurum, ſi huiuſmodi, quæ nemo alius dicere auſus fuerat, ipſi ad Pontificem verba facere datum fuiſſet.

Audiſti, Theophile! quâ libertate, quâ grauitate, & omnium Sapientum admiratione, agere ſoleant Dominicani cum Principibus ſummiſque Pontificibus: quâ tantùm abeſt, ſicut tu falsò criminaris, vt læſerint reuerentiam

reuerentiam Sedis Apoſtolicæ, quin potius eâ ſe dignos omnibus ſapientibus, etiam æmulis comprobarunt, & iis veluti gradibus ad id faſtigium conſcenderunt. Nec credas velim, Pium V. recuſaſſe, aut ægrè tuliſſe, aduerſus ſe exercitam, quàm in commonefaciendis Pontificibus præ ſe ferebat opinandi libertatem. Exemplo ſit ipſemet Pontifex, qui Cardinalium nullos honorificentius habebat quam qui ſuæ aduerſarentur ſententiæ: & domeſticorum vno coram ſe impenſe laudato ob egregias dotes, adiunxit illi deeſſe ſibi omnium gratiſſimam, quod nimio placendi ſtudio ſuæ ſententiæ numquam obſtitiſſet.

Rem feciſſes, Theophile, tibi honeſtiſſimam, & omnibus vtiliorem, gratioremque, ſi à Dominicanis ſapienter dicta factaque collegiſſes, quorum copioſiſſimam meſſem notiſſimæ ſuppeditaſſent hiſtoriæ, quam illa farragine gerrarum, ineptiarum, quas ipſe commentus Dominicanis affingis. Si illis excidiſſent, non conueniebat cartis mandare; cum id genus ſtultiloquiorum, ſpongiâ egeat non ſtilo. Quis igitur excuſet iſta ſuo ingenio fingentem? Quis hæc ſua commenta ridicula ferat aliis falſo aſcribentem? Quis omiſſis quæ ſuppetebant prope infinita, acute ſapienterque dicta, condonet libros nugis referciſſe?

Si dignior Theologo labor placuiſſet, poteras ſeriem longiſſimam texere huiuſmodi Apophtegmatum, exorſus à Iordane II. poſt parentem Dominicum Ordinis Præpoſito Generali; cuius innumera memorantur dicta, de quibus dubites acutius ne, & amoenius ingenium, an ſanctum & intrepidum viri animum reſipiant. Præluxit ille Bartholomæo & Cardinali Alexandrino, liberâ & acri caſtigatione Imperatoris Federici: ille huius nominis ſecundus, multas magnaſque dotes imperatorias maioribus vitiis corruperat; & licet Herode forſan nihilo melior, eodem quo iſti Ioannes Baptiſta, Iordanes erat illi loco & veneration, qualem eximia virtus & ſanctitas ab improbis & aduerſariis interdum extorquet. Itaque Cæſar humaniſſime & honorificentiſſime Iordanem ſe adeuntem habuit. Sed vir ſanctus iſtâ humanitate non magis à corripiendi illius conſilio deductus, quam minis & ſæuitiâ deterreri potuiſſet,

Prophetæ Nathan Dauidem increpantis solertiam imitatus, post aliquot colloquia, miror inquit Cæsar, te rerum quæ toto orbe geruntur adeo incuriosum, vt nihil illarum quæras à me, qui possim certissima narrare, & compertissima, ac visa mihi visitandi Cœnobia Ordinis causâ, per varias Prouincias decurrenti.

Respondit Fredericus, se omnia excipere per cursores veredarios,& quos haberet legatos apud Principes.Tum Iordanes: quamuis omnia ex vero noſces, (quod vix crediderim, cum ministri Principibus blandiantur & imponant:) conueniebat te Christum imitari, quem licet nihil lateret, sciscitabatur tamen à Discipulis, quem se homin es esse dicerent & crederent. Si quid simile à me quæreres Cæsar, non ita promptum esset, rem expedire: quia innumera & immania sunt quæ de te euulgantur. Audis enim quasi hostis non filius Ecclesiæ, quasi bonorum prædator non Princeps legitimus. Diceris causam Reipublicæ Christianæ prodidisse turpi cum infidelibus fœdere, permissâ illorum tyrannidi Hierosolyma, quam poteras vi recuperare: ferunt te omni vitiorum genere laborare, & fauere Sarracenis, à nulla superstitione, ab auguriis, & magicis incantationibus non abhorrere Hæc Iordanes apud Federicum nedum libere & fortiter; sed etiam impune, & cum ipsius Imperatoris stupore, qui satis mirari non poterat hominis constantiam, & charitatem: Sed ex illis erat de quibus scribit ex Euangelio Augustinus, *mirabantur & non conuertebantur.*

Ita Dominicani exemplis domesticis imbuti, agunt cum Principibus. Sed quos induxi ea summâ libertate & constantia sententiam ferentes, pretiosum nouerant à vili separare, mores à dignitate, vitia à potestate secernebant, & increpatis acriter vitiis Principum authoritatem ex animo reuerebantur. Posterioris huius virtutis non aliunde repetenda sunt exempla, quam vnde superiora assumpsi. Duo pulcherrima præbet Bartholomæus à Martyribus, quæ historia Lusitana referuntur. E Synodo Tridentinâ cum Romam pergeret reuerentiæ Summis Pontificibus præstandæ causâ, vbi ab aliquot milliaribus primùm in conspectum venit ciuitas, delapsus equo, totoque corpore humi prostratus, cum omni

comitatu & famulitio, obortis & fluentibus præ ſenſu pietatis lachrimis, cæpit altâ voce compellare Sedem Summorum Pontificum, quibus ipſe Hiſpaniæ primas ſe obnoxium conteſtabatur: *Salue*, inquit, *parens, ſanctæ Chriſtianæ religionis magiſtra, columna & fundamentum veritatis: vnde ortum eſt lumen toto orbe diffuſum, quo mortalibus verum numen, ſummumque bonum innotuit. Salue puleherrima Ciuitas, cuſtos fideliſſima ſacratiſſimarum Apoſtolorum Principum reliquiarum, quæ tealtius, quam imperatorum victoria extulerunt.*

Hæc aliaque plura locutus, ſe ſe erigens, reliquum itineris pedes proſecutus; ſuos ſic inſtituebat: ingredimur filij Ciuitatem ſanctam, Caput Chriſtiani orbis, totius doctrinæ & ſanctitatis originem, vnde & mundus hauſit decreta Fidei & Religionis quam profitemur, & exempla virtutum. Quam calcaturi ſumus, terra ſancta eſt, & pluſquam ter centorum millium martyrum ſanguine conſecrata: ſi ille ſit numerus martyrum, quis & virgines, quis & confeſſores recenſeat? Recogitemus, nos vbicunque veſtigia ponemus, Martyrum & Sanctorum cineribus imprimere, & ſi offenſa in Deum vbicumque admittatur, grande ſit piaculum, quis caperet quam immania futura ſint peccata, ſi quod abſit à nobis, vllum in hoc ſanctiſſimo loco perpetraremus.

Sed aliud illuſtrius reuerentiæ in Summos Pontifices, pari libertati adiunctæ, refert eadem hiſtoria Luſitana. Bartholomeo è Tridentinâ Synodo ad ſuos reuerſo, nihil prius aut potius fuit, eo decreto quo Primatibus & Archiepiſcopis indicit ſancta Synodus, quam primum ad ſuas Eccleſias redierint, Concilia habeant prouincialia: atque vti primus omnium, litteris Pontificiis Epiſcopos ex toto orbe Chriſtiano Tridentum euocantibus, paruit, eoque inter primos licet remotiſſimus acceſſit; eâdem feſtinatâ obedientiâ Epiſcopos ſuæ Sedi adiunctos aſciuit, & decreta Synodi Braccarenſis condidit, plurium, non omnium conſenſu: quæ à diſſentientibus quaſi ſeueriora apud Pium V. ex multis capitibus impugnabantur. Ea vero Pontifex diſcutienda tradidit Epiſcopo Cameracenſi.

Vbi hoc reſcriptum reſciuit Bartholomeus, Epiſtolam ſcripſit ſe dignam, in quâ eminent dotes, quas in

Dominicanis desiderat Theophilus, quasi totis vel ad præruptam audaciam ex insolentiâ, vel ad deforme obsequium comparatissimi. Calumniam depellunt Dominicani litteræ ad Dominicanum, in quibus nescias quid prius mirere, an scribentis animum intrepidum, an reuerentem, an in dicendo libertatem, an obsequium promissum & præstitum. Quid liberius & generosius his Epistolæ verbis, *Rescripto tua sanctitatis, quo totius nostri concilij examen vni committitur Episcopo, turbatus sum, & obstupui quasi dubio mihi penitus incredibili. Quî enim fieri potuit vnquam à feruentissimo pastore, huiusmodi decretum in manifestam Synodorum Prouincialium exauthorationem, ne dicam vilipendium, emanaturum?* Et post multa. *Absterge maculam hanc à tempore tui Pontificatus.* Quid illis verbis liberius? Sed quid etiam iis quæ adiungit, demissius & in Sedem Apostolicam reuerentius? *Nostri Concilij expurgationem ad tuam limam reuoca: sub tuâ expurgetur, mutiletur, & si dignum sit, in totum abrogetur. Tamquam enim de cœlo allatam vt par est, tuam censuram qualemcumque excipiemus.*

Ita Bartholomæus in Sedem Apostolicam domesticâ disciplinâ institutum se probauit, id est, reuerentem & intrepidum, perinde ab adulatione, & à temeritate alieniſſimum. De Pio V. referre quid attinet, quæ in Sedis Apostolicæ reuerentiam egerit, cuius, virtutibus eximiis omnium gentium, aut venerationem aut terrorem ingessit? Exemplo igitur huius paris Dominicanorum, eiusdem ætatis & virtutis, agnoscat Theophilus Dominicanos duplici spiritu à suo parente donatos, libertatis & obseruantiæ, vt quos officij causâ reuerentur, nec ex adulatione colant, nec vllius periculi aut damni metu.

Sed alio illustriori exemplo, diuersæque virtutis genere, aperuit sanctissimus Pontifex, quam immane authoritatem inter & mores, seu priuatam & publicam Principum personam, discrimen constitueret. Bona mens non minus subtilitatibus distinctionum, quam acuta abundat & indulget: vtramque dixeris vim habere fulminis, quod illæsâ vaginâ ferrum infringit, & integris ac ferè intactis carnibus comminuit ossa, & subtilissimo mortis genere exanimat. Hoc differunt Scholæ

& virtutis subtilitates, quod illæ aptę sint acuendis ingeniis, & indagandæ veritati, istæ opportuniores sint ad eximia virtutum opera.

Ne te diutius morer, erudite & pie Lector, mirare id distinctionum genus à Pio nostro adhibitum. Eius Pontificatus initio, nebulo quidem euulgato maledico carmine ipsum petulanter incesserat, & subinde comprehensus, ac in quæstionem traditus, criménque confessus, ex lege ab aliis Pontificibus præscriptâ, seueriſſimo mortis genere pœnas daturus erat. Antequam iure in illum ageretur, iussit Pius coram se sisti, & carmen suum recitare: quod vbi agnouit in se vt priuatum hominem scriptum, hanc æquissimam sententiam tulit: si tu mihi vti Summo Pontifici maledixisses, non ferres impune; at verò quia in Fratrem Michaëlem, in Monachum humilem in Cardinalem Alexandrinum conuicia iactasti, abi liberi quo velis: ego humilitatem generis, vitæ, & habitus mei semper animo retinebo & præ me feram, erôque vilis & abiectus in oculis meis: & si quid vnquam à me minus rectè factum obseruaris, mone me, & ad emendationem paratum comperies. Has in Familiâ S. Dominici & D. Thomæ scholâ edoctus distinctiones, ad vsum reuocauit, & in exemplum omnium. Ita Dominicani solent libero & reuerenti in Principes, & in omnes seuero & beneuolo, cùm æquitatis ratio patitur, animo esse.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Concluditur argumentum.

HISTORIAM scriberem, non apologiam, si referre vellem quæ legimus à Dominicanis eiusdem generis gesta, dictáque, à probis omnibus summè laudata, quæ summis etiam Pontificibus placuerunt; qualia sunt ipsamet, quæ damnat Petrus quasi ab ingrato animo & contumaci, profecta, vel hæresi proxima. Quid enim impij & sacrilegi tuo iudicio, Petre, futuri sunt Dominicani, quod asserant & scribant, probabilia, quæ ad Philosophiam naturalem pertinent, Ecclesiæ & Sum-

morum Pontificum definitionibus non esse idonea ; & rationibus debere expendi, non decretis sanciri ? Hæreticos ne putas, quod ad idem genus reuocent quæstiones facti, & multa alia, quæ Martyrologio, Rituali & Catechismo Romano continentur ? Dominicanorum mores longè ab adulatione absunt, & Bartholomæi à Martyribus, Cardinalis Alexandrini, Thomæ Valdensis sin assequuntur, saltem imitantur constantiam ; neque vnquam vitia palpant, vel erroribus, aut minus tutis opinionibus assentiuntur.

Vnus è Summis Pontificibus postremis, multis sanè virtutibus, & præ aliis prudentiâ & moderatione singulari commendandus, sibi à confessionibus delegerat Franciscanum vnum à suo Patre minus degenerem. Is cum animaduerteret affectum Pontificis in suos cognatos singulis diebus exardescere, & illis ditandis magis, quam ferret æquitas & ratio incumbere, conuenit ipsum, & his verbis de vtriusque communi periculo admonuit: *grauis noxa foret mihi, Beatissime Pater, si æternum damnarer, nec minus dolendum, si ipse eamdem damnationem incurreres: sed omnium grauissimum puto, si vterque nostrum in communem casum, & ruinam pariter præcipites nos daremus. Igitur vt hoc maximum & impendens periculum à nostro capite auertam, denuncio effusissimas in tuos largitiones bonorum Ecclesiæ me suspectas, periculo plenas, atque illicitas habere.* Nihil hâc libertate offensus Pontifex, admonitionem gratissimam habuit, & cum hinc huiusmodi largitiones essent illi religioni, & aliunde ab illis ægrè posset abstinere præ innato in suos studio, aduocauit ad consilium Theologos celebriores, qui Confessarij monitũ expenderent: sed visus est nonnullis paulo morosior, ac conscientiæ strictioris, vel forte angusti iudicij: Et post longum examen, sin saniori, certe maiori parti placuit hæc sententia, licere Pontifici dare in singulos annos cognatis trecenta millia aureorum. Quidam ex ipsis Theologis celeberrimus (cuius nomini parco;) rationem adiunxit ipsa definitione deteriorem ; adeo graue & intolerabile, administrationis Pontificiæ onus esse, vt nullus sit illi ferendo humeros subditurus, nisi posset, aliquâ suos ditandi voluptate laborem hunc leuare.

Certè nihil dici poterat à Theologo alienum magis;

puduisset Epicurum ita sentire. Memini apud Tullium de finibus bonorum, & malorum, Manlium qui Epicuri partes agit, & sententiam explicat sanioribus consiliis imbuere Principes & Magistratus. Iubet enim eos ad Rempublicam accedere, eámque administrare semoto omni alio emolumento, præter voluptatem de omnibus bene merendi. At Theologus ille ad suscipiendum aut leuandum munus Pontificium nullo loco reponebat animarum salutem, obsequium Christo exhibitum, virtutem ipsam, quæ sibi est maxima merces, neque vitam æternam, quæ nos manet. His enim cogitationibus, & præsidiis instructos, censebat non posse ferre laborem Pontificiæ administrationis, nisi suos locupletandi voluptas accederet.

Ista nunquam docuerunt Dominicani: neque prætermisisset Theophilus, si ab illis tradita legisset. Bene est, quod nos nullius assentationis suspectos, solum morosos arguat, quod probabilia, quæ interdum eligunt Pontifices, non excipiant vt indubitata, & fide certa: quod Martyrologio, & Rituali Romanis non asserant vim librorum Canonicorum, quod negent Summum Pontificem definire quæstiones facti, vel iuris probabiliter principiis reuelatis tantum connexas, vt fide certissimas, nec debeant, aut possint, se solis, inconsultis Doctoribus, & Theologis, non expensâ controuersiâ nullo Scripturæ, & traditionis examine res dirimere, & sancire; quasi his opinionibus, ne videamur in deforme obsequium delabi, abripiamur in præruptam audaciam. Sed iam demonstrauimus nos vtroque vitio carere, quod sequentibus responsionibus ad singula accusationum capita euidentissimè patebit.

Articvlvs Secvndvs.

Respondetur ad tria accusationum capita.

Licet quæ vniuersim ad totam Diatribam dicta sunt superiori Articulo, omnes depellant Petri accusationes de læsâ reuerentiâ sedis & Maiestatis Pontificiæ, sine tanti criminis vel minimâ suspicione laboremus, si-

gillatim singulis capitibus respondebo. Esto vera sint quæ quæ obiicis tribus prioribus Articulis de Monte pietatis Vsuræ accusato à Dominico Soto perperam, de absolutione negandâ moribundo contra Ritualis Romani decretum; Esto malè Combesisius: quid inde contra totam Scholam, & Familiam Dominicanam infers incommodi, & absurdi, quasi in verba Soti, & aliorum iuraueri-mus, quasi singulos Dominicanos assereremus immunes ab omni errore? Quamuis peccauerint hi priuati Doctores, cur communem vis nobis omnibus esse illorũ singularem lapsum? Si velles nos eiusdem erroris conscios esse, tibi probandus erat omnium nostrum consensus in illam Soti, & Combesisij sententiam. Hæc dicta sint per summam indulgentiam; etiamsi, quæ vis improbata à Thomistis perinde certa essent, ac illa, quæ reuelatione, & traditione diuinâ accipimus. Sed longissimè absunt ab illo certitudinis gradu; nam pleraque eorum ad quæstionem facti pertinent, qualia sunt quæ Martyrologio continentur: quæ verò de absolutione moribundi Rituale Romanum statuit, vel de pecuniâ mutuo acceptâ ex Monte pietatis (de qua Leo decimus) hæc omnia spectant ad ius naturale, de quibus nihil certum fide sanciri potest, citra nouam reuelationem, quam nusquam Concilia, aut Pontifices legi obtendisse se habere vt controuersa cum hæreticis, aut dubia apud Catholicos dirimerent. Sed ea omnia decreuere ex verbo Dei scripto, & tradito, nec alium eis asseruerunt, aut voluerunt à nobis adhiberi certiorem assensum, quam iuxta connexionem cum reuelatis necessariam, aut probabilem, vt paragrapho sequenti accuratè imus demonstratum.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Distinctio quæstionum facti & iuris.

VT ex intricatissima disputatione de iudice controuersiarum, & iure rerum definiendarum in Ecclesiâ delibemus, quæ necessaria sunt soluendis obiectionibus prioribus; id apud omnes receptum est, rerum quæ ad

fidem pietatémque Christianam pertinent, duas posse quæstiones institui, nempe facti & iuris, easque definiendi, vt materiæ ratio patitur, aut requirit vtilitas Ecclesiæ, collatam à Christo Conciliis œcumenicis, & Summis Pontificibus, non minus plenam quam necessariam facultatem. Præterea eorum decretis, seu iuris, seu facti quæstiones dirimant, parendum esse summâ reuerentia: hoc tamen discrimine, quod cum res iuris ad doctrinam spectent, & sint vtplurimum reuelatæ, aut reuelatis necessariò iunctæ, vbi declaratæ, aut sancitæ sunt, certum à nobis assensum exigant; & ipsa dubitatio si voluntaria sit, errore, aut erroris periculo non careat. Res vero facti, cum magis ad sensum pateant, quam reuelatione diuinâ innotescant, si quid de illis statuatur, reuerentia & obsequio sic prosequenda sunt earum decretæ, vt dubitationem omnem non excludant.

Rem obscurissimam hoc exemplo illustrabo, cum à Deo rerum omnium auctore, & sub ipso à parentibus originem & vitam hauserimus, adeo arcta inter ipsos cognatione principij, vt quidam parentes, à quibus primo geniti sumus, eleganter vocent *Deos nostros aspectabiles*', Deum vero *Patrem inaspectabilem*, ac subinde Theologi vnam specie virtutem, nempe pietatem constituant, quâ vtrumque vitæ nostræ principium æternum, & temporarium colamus: id tamen discriminis est vt certissima sit origo à Deo, & si quis dubitet, se ab illo existere, Atheus omnino sit: à Patre vero natiuitas paucis comperta est, neque de illa dubitatio officium pietatis lædit, aut minuit. Quis neget patri parendum & obsequendum; etiamsi dubites de tuis ex illo natalibus? Eodem animo, eodémque discrimine rerum facti, aut iuris decreta à Summis Pontificibus profecta excipere, & distinguere nos oportet. Peccamus semper contra officium, nisi ea reuereamur; etiamsi factum, de quo statuis, sit incertum, & de illo iure, sicut interdum de natalibus dubitemus.

Hæc decretorum & quæstionum distinctio depellit quas Petrus offudit tenebras de Monte pietatis vsuræ accusato à Soto, de Martyrologio Romano, quod Baronius accuratè correxit, & Gregorius XIII. probauit, & Combefisius arrosit. Sed putásne Baronium, & Gre-

gorium potuisse has tabulas Ecclesiasticas ita suo labore & decreto emendare, vt omnia sint indubitatæ fidei; cum res facti, quales sunt res fere omnes, quæ illo libro continentur, non exigant certitudinem fidei, nec etiam patiantur? Si licuit Baronio, quod præteritis sæculis in Ecclesia Romana legebatur Martyrologium à Summis Pontificibus probatum, infinitis prope locis emendare; cur hæresis aut temeritatis arguas Antonium Caraccio-lum è Theatinorum familia, quod integrum opusculum scripserit eorum, quæ in Martyrologio limam & correctionem requirunt? Certè si quod sit crimen, eius particeps est Sacra Congregatio Rituum, quæ quotidianas Martyrologij Romani emendationes edit.

Et adhuc post tot exempla Combefisius audiet, quasi temerator aut sacrilegus, quod aliquando Baronij aliorúmque in edendo Martyrologio diligentiam requirat? Potuitne modestiùs loqui, quam cum ita scribit? *Nullâ Ecclesiæ Romanæ, vel Pontificum culpâ, sed eorum tantum, qui ad huiusmodi libros componendos ab Ecclesiâ adhibiti, vel præscientiæ tenuitate, vel præ humanæ industriæ inefficacitate cespitarunt: vnde nouæ subinde correctiones affulgente pleniore luce, aut maiore examine adhibito.* Putâtne Petrus, quemcumque librum extra aleam positum, nec posse vllâ ratione, aliquâ sui parte improbari, aut corrigi, si præferat aliquod diploma Pontificium? quandoquidem hoc solum nomine ponis in tuto Martyrologium Romanum, quod à Gregorio XIII. probatum sit. Fateor, si nullius nomen in hos sacros fastos referretur, nisi prius in vitam & mores cuiusque eâ diligentiâ & curâ fuisset inquisitum, quam solent adhibere Summi Pontifices, cum aliquem Diuorum catalogo ascribunt Canonisationis ritu, certè tum reputarem temerarium dubitare de sanctitate, aut æternâ fœlicitate cuiusquam eorum, quos Martyrologium celebraret; quia multi existimant (licet alij contra sentiant;) huiusmodi solemnibus decretis Diuorum sanctitatem fide sanciri vt certam; sed quotus quisque est, quos Tabulæ Ecclesiasticæ nominant, qui eo examine & ritu, in huiusmodi fastis relatus sit, maxime ex antiquis Martyribus, qui Martyrologio ascripti sunt, manu & fide alicuius Notarij, quem non est dubium fallere & falli potuisse?

Neque adeo grauis & pudendus error esset, si Martyrologio Prædicatorum Eusebius Cæsarienſis obrepsisset, (quamuis nullibi apud nos extitisse probet Theophilus,) cum pari negligentiâ in Martyrologium Romanum immissa fuerint nomina Luciferi Caralitani, & Fausti Regiensis, qui hæresis suspecti aut comperti erant. Nec verius est, quod ad finem illius accusationis de fide Martyrologij Romani à Combefisio eleuatâ, addit illi impactum colaphum à Nicolao Riccardio repudiante, quod in illis tabulis 28. Februarij traditur de Martyrio Sanctorum Alexandrinorum, qui ministerio peste laborantium immortui sunt. Hæc querimonia est ex sui per pestem Martyrij censurâ, quam non potuit hactenus concoquere. Sed adeo Riccardius abfuit ab eâ, si quæ sit, culpa, vt huiusmodi Sanctis Alexandrinis asseruerit gloriam martyrij, hoc ingenioso argumento, quod obsequium peste languentibus tum temporis impensum, esset quædam fidei Christianæ publica professio, cum hoc charitatis exemplo Tyrannis probarent se Christianos esse. Hæc de Martyrologio Romano: Inde vero videntur inualescere duæ priores ex Monte pietatis, & ex Rituali Romano repetitæ accusationes: nam si ea sit iuris & facti quæstiones inter differentia; vt harum definitiones assensum pium exigant, non certum & indubitatum, qualem videntur requirere iuris definitiones; quâ ratione excusamus Sotum, alioſque Thomistas, qui Pontificum & Conciliorum decreta carpunt, quibus statuunt Montis pietatis inculpatum esse commercium, & moribundo impertiendam absolutionem; qui votum Confessionis testatus se habere, confiteri non potuit; hæc enim ad quæstiones & definitiones iuris pertinent, quibus non solum reuerenti animo parendum; sed etiam indubitato assensu diximus esse adhærendum?

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Triplex genus quæstionum & definitionum iuris; vnde respondetur ad primum caput ex Rituali, & ex Monte Pietatis.

SVPERIVS argumentum vrgeret maximè Thomistas, si vno tantum genere iuris quæstiones, & de illis Pontificiæ sententiæ continerentur. Verum diuersæ & propemodum infinitæ sunt earum quæstionum species, quas, vt disputatio sit expeditior, ad tres classes reuocamus: prima sit rerum omnium, quæ sub immediatam Dei reuelationem cadunt pari gradu, sed dispari euidentiâ; huius generis sunt libri omnes in Canonem relati, quamuis de quibusdam nulla, de aliis aliqua intercesserit contentio & dubitatio: eâ tamen Ecclesiæ decreto submotâ, paris sunt omnes libri sacri apud pios authoritatis, quod vi eiusdem diuinæ reuelationis immediatæ recipiantur. Ita Euangelium Ioannis, & Apocalipsis eodem sunt apud nos loco, etsi primum opus indubitatum vbique fuerit, de altero acriter sit disceptatum.

Ad idem genus pertinent, quæ communibus Scripturæ verbis, vt singularia speciei notione continentur. Si certum fide sit, Christum causâ omnium hominum fuisse passum; certum est singulos hominum eo numero comprehendi, nec quenquam saluâ fide excipi posse. Ad eam primam classem nonnulli satis commodè reuocant assensum de sanctitate Diui alicuius, cœlitum catalogo solemni Ecclesiæ ritu ascripti, vel de electione Pontificis hodie sedentis. Hæc enim asserta putant esse Catholicæ, & indubitatæ fidei, & sub immediatam Dei Reuelationem cadere, quod contineantur, vt singularia sub ambitu harum propositionum, quas reuelatas aut traditas putant, verè Sanctum & Beatum esse, quemcumque cœlitibus Ecclesia solemni iudicio accenset, aut legitimum esse Pontificem quemcunque vniuersalis Ecclesia agnoscit, vt ritè electum; Atqui hæc concors sententia Ecclesiæ in electionem suppetit Alexandro VII.

ſicut ſolemne iudicium Beato Thomæ à Villa-noua : ergo fide certa eſt beatitudo huius Diui, & illius Pontificis authoritas legitima.

Secundi generis, & huic primo proximæ ſunt eæ quæſtiones iuris, quas Theologi neceſſariâ conſecutione ex principiis reuelatis deducunt, veluti concluſiones ex præmiſſis, effectus à cauſis, proprietates à ſuâ eſſentiâ. neque enim eas immediatè reuelatas dixeris : ſicuti cum quis herbam medicam digito demonſtrat, non cenſetur vim illius medendi aperire, niſi mediâ eſſentiæ rei ſignificatione, vnde quâdam conſecutione deducitur. Ita plane de rebus à Deo reuelatis diſtinguunt Theologi. Quædam à Deo immediate reuelantur, alia vero remote & in causâ, vnde deducuntur : atque hæc duo rerum genera primæ & ſecundæ claſſis pleno iure ad Conciliorum & Summi Pontificis definiendi facultatem pertinere conueniunt omnes Theologi, aliquo tamen diſcrimine, quod maxime ad rem noſtram facit, & diligenter obſeruari velim.

Soto, Vaſques, & alii cenſent, veritatem ex rebus reuelatis conſecutione neceſſariâ & euidenti deductam, fide credi oportere ab eo, qui vim conſecutionis capit; alii verò negant, huiuſmodi veritatem fide diuinâ credi poſſe, ſi priuato tantum diſcurſu eliciatur ; ſed ad id opus eſſe definitione Pontificiâ, aut Concilii, quâ ſemel adhibitâ, contendunt propoſitionem ſecundæ claſſis, ſeu remote reuelatam in causâ prouehi ad primam claſſem, & accenſeri Articulis fidei Catholicæ beneficio definitionis. At contra contendunt Molina, Granado, & alii, nulla Eccleſiæ definitione propoſitiones ſecundæ claſſis poſſe inde ad primam transferri; ſed ſtare ſemper ſecundo gradu, nec eum, qui definitam veritatem negauerit ; ſi ab immediatâ reuelatione abſit, hæreticum eſſe, ſed ad ſummum temeritatis, & erroris damnandum. In hâc acerrimâ Theologorum, & dubia atque ancipiti diſceptatione, ipſemet ſuſpenſus hæreo ; & licet pronior in ſecundam ſententiam, alias ſane improbare non auſim ante iudicium ſummi Pontificis.

Sed quidquid ſit de hoc ſecundo quæſtionum iuris genere, quæ fidei proxime attingunt aut ingrediuntur fines ; tertii generis longe remotiores ſunt, & probabi-

lium opinionum classem constituunt, quod salua veritate eorum, quæ reuelatione tradita sunt, illis assentiri possis aut dissentiri. Hæc vltima classis omnium est amplissima, quod rerum dubiarum maximus sit ambitus, certarum vero, & euidentium angustiores sint fines.

De his ergo rebus probabilibus, certum est Concilia & Pontifices, si quid vnquam statuerunt, nunquam à probabilium ordine ad secundum aut tertium evexisse. Non est quidem dubium, quin maximum pondus addant opinioni, quam è multis probabilibus elegerunt; sed aliunde certum est, nunquam effecisse, nec obtendisse, nisi præcesserit Traditio, aut Reuelatio, vel ex Reuelatione necessario consequantur, vt Articulis fidei accenserentur, vel fide Diuina ab omnibus exciperentur. Certe si Molina non patiatur propositiones secundi generis, id est fidei, Articulis necessario connexas, vllâ definitione Pontificia, aut Conciliorum, prouehi ad primam classem Articulorum fidei; vix æquo animo ferret opiniones tertij generis, quas saluâ Reuelatione, & Traditione antiquâ ad arbitrium propugnare aut impugnare valeas, eò posse vnquam conscendere. Sed quidquid sit de sententia Molinæ, nullum Theologorum vidi, qui propositionibus tertij generis eum concedat ad primam classem ascensum, quem Molina etiam 2. Ordinis veritatibus negat.

Hoc vno verbo dissiliunt, & in fumum facescunt, quascunque 2. Diatriba in nos congerit, calumniæ, quasi Summi Pontifices, sicubi in aliquam huius tertii generis opinionē inclinauerint, hâc ipsâ significatione ad primū genus euexerint; & quidquid in gratiam contrariæ sententiæ scriptum fuerit, hæresim resipiat. Quàm longe abes, Theophile, à mente sapientissimorum Pontificum, quam præpostere eorum dicta interpretaris! Certe si eam sibi authoritatem vindicarent, vt quæcunque probabilia eligunt, aut sequuntur, aliis indicerent excipienda vt fide certa; quotquot scriberent Canones, aut libros, librorum Canonicorum vim, & locum obtinerent; quandoquidem eorum dictis, & scriptis par auctoritas constaret. Nihil hâc consecutione euidentius, iuxta tuam, Petre, arguendi, aut potiùs calumniandi artem. Nihil magis à veritate, aut Pontificum mente

alienum & tuummet argumentum in te, tuoſque validius retorqueo, quam in nos contorſeris.

E totâ illâ ſerie probabilum opinionum, nulla gratior, & momentoſa magis, nulla quam plus eſſet è re Chriſtiana definiri, quæ propius accedat ad certas fidei regulas, cui impenſius fauerint, quam apertius & frequentius commendauerint, eâ, quæ ex infinitis prope locis vt iuris canonici dignitas indubitata circumfertur; *In dubiis partem tutiorem eſſe eligendam*: certè ea Pontificum ſententia (vt Senecæ verbis vtar) *apertior eſt, quam vt interpretanda, diſſertior, quam vt adiuuanda ſit*; nam millies interrogati de rebus dubiis, hinc, & indè probabilibus, vnde ſaltem ab opinione quæ ſtabat pro libertate humanâ contra officium, & legem Dei impendebat, peccandi, ac ſubinde damnationis æternæ periculum; quid ad iſta Pontifices? Reſponderunt conſtantiſſime *tutiorem partem eligendam*, quæ pro lege, pro honeſto ſtaret contra libertatem, & commodum, ac ſubinde careret omni periculo offenſæ Dei, & damnationis: hanc tamen adeo apertam, certamque Summorum Pontificum ſententiam, tot Canonibus repetitam, in dubium reuocant Recentiores fere omnes, (ſi vnum Comitolium excipias,) vel falſi, & nimij rigoris arguunt, aut quod peius exiſtimo, alienis interpretationibus deprauant, vt videre eſt apud Merendam Fagnanum & Mercorum parte 2. Baſis Articulo 9.

Quid, licere tibi tuiſque putas in re omnium grauiſſimâ, quæ ſit Baſis totius Theologiæ Moralis, & cardo negotij animarum, Reſponſa Summorum Pontificum, aut potius oracula, vel aperte impetere, vel oblique deprauare, & ſacrilegij argues Thomiſtas ſi quanda dubitent de his, quæ vt probabilia proferuntur à Pontificibus, vel à priuatis Doctoribus, qui nomine, & iuſſu Pontificum Ritualem, Martyrologium, Breuiarium Romanum edenda curauerint? De probabilium opinionum vſu, & delectu fuſe diſputatum eſt alio loco, vnde duo tantum delibabo ad huius diatribæ calumnias depellendas omnino neceſſaria. Primum ad rem ſacramentariam pertinet, & eo loco quadruplicem diſtinguimus materiæ, aut formæ ſacramentalis ſtatum, aut gradum, vt primo indubitatum ſit materiam validam, & licitam, altero extremo

esse prorsus nullam 3. validam quidem, sed extra necessitatem illicitam, vltimo tandem dubiam. V.g. aqua elementaris est materia certa Baptismi, vinum est nulla, aqua paululum lutosa valida est materia, sed illicita si sit copia limpidæ, aqua rosacea, aut ex vite profluens est incerta, & dubia.

His quatuor gradibus constitutis, de duobus extremis nulla est apud Authores contentio: omnes assentiunt materiam certò licitam, & validam vbique esse adhibendam, nunquam vero vti licere inualida, siue nullâ. De materia media, quæ ad alteram extremarum partem accedat: hinc ad certam cùm valida est, sed illicita, vel ad nullam, qualis est dubia; vtraque hoc commune habet, si instet mors pueri nondum baptizati, & desit omne genus aquæ, nec alterius liquoris sit copia, quam vini; non esse adhibendum baptismum cum materia certissime nulla: si adsit aqua lutosa, & rosacea, illam isti præferendam; quod valida sit, & periculum salutis pueri licitum faciat eius vsum, & necessarium. Si suppetat tantum copia rosaceæ, licet dubia sit, & subinde incertus illius fructus; eâ tamen vtendum est, cum hoc tamen discrimine, vt si puer mortis periculum euadat, aqua rosacea baptizatus, sit iterum elementari aqua baptisandus; secus vero si fuerit aqua lutosa lustratus, quia huius, non illius baptismi certus est fructus, & ideo rosaceæ aquæ, non lutosæ iterandum est baptisma. Ita Theologi omnes nullo excepto. Neque aliud statuunt, neque aliud possunt decernere Concilia, & Pontifices.

Atque hoc exemplum baptismi mire illustrat controuersiam de absolutione, quam vult Rituale Romanum impendi moribundo, qui nullum confessus est peccatum. Eadem est huius absolutionis, & baptismi ex aqua rosacea vis & ratio. Vtrumque sacramentum hoc modo administratum accedit ad quartum gradum nullius & inualidi, & ad summum tertio gradu reponendum est, vt dubium, ac proinde nunquam citra extremam necessitatem vsurpandum, eaque transacta, iterandum: id est, adultus rursus absoluendus est, puerque rebaptizandus, si mortis periculum euaserit. Quid ergo sacrilegij admiserunt Thomistæ quod absolutionem dubiam in dubium reuocauerint, & probabiliter nullam esse censuerint? At

At contra, inquis, Pontifices & Concilia scripserunt. Sed hoc aperte falsum est; dissentirent à Pontificibus, si suis decretis iussissent adhiberi absolutionem, vt omnino certam, & prohibuissent repeti transacto periculo. At vtrumque longissime abest à mente Pontificum; quia permittunt absolutionem impendi reo vt dubiam, & si liceat per tempus iterandam, sicut de Baptismo ex aqua rosacea concedunt omnes, vrgente necessitate conferendum, & iterandum cum aqua elementari, transacto periculo; itaque si dubium sit vtrumque sacramentum, id status controuersiæ exigit, vt in vtramque liceat partem disputare.

Certe si Pontifices, quam illis liberalissime indulges, putarent sibi concessam facultatem dubia cuiuscunque generis dirimendi, omnia apud nos controuersa, vno verbo indubitata facerent; ad minus definirent certo sacramentum Baptismi, & Absolutionis iam explicatum, vel nullum omnino, vel certum: ac proinde non esse adhibendum, qua inane est, vel non esse iterandum, quia validum fuit. Sed non ita exertè pronuntiant Sapientissimi Pontifices; quia quamlibet illis blandiantur assentatores, potestatem datam nulla lege, nullis metis coërcitam, ad libitum in promptu in consulto Dei verbo, dubia cuiuscunque generis vno verbo dirimendi, non dubito quin huiusmodi voces auersentur. Id certum est, his lenocinijs tyrannorum sæuitiâ, & dæmonum artibus longe periculosioribus non potuisse corrumpi, nec à legitimæ potestatis sibi diuinitus concessæ vsu & regulis, vel latum vnguem recessisse.

Aliud ex eadem disputatione decerpo necessarium ad huius loci calumnias depellendas; nempe quatuor esse librorum genera, Martyrologium, Rituale, Breuiarium, & Catechismum Romanum, omnes fere eiusdem authoritatis, quæ nomen Summi Pontificis præferant, quasi eius iussu scripti, & consensu probati; At Theophilus Catechismum licet aliis superiorem, non solum elegantia, & delectu verborum, sed etiam grauitate sententiarum, vbertate & securitate doctrinæ, vt aliàs demonstrauimus; nullo tamen loco habet, tanquam ab vno Dominicano scriptum, à Manutio latinitate donatum, & quod grauius est, putat scatere erroribus.

Certe si Catechismum Romanum tot dotibus præstantem sibi permittit Theophilus lacessere, & stabilitas ab illo sententias conuellere, absoluit à suis accusationibus Thomistas, si quæcunque Rituali, Breuiario & Martyrologio Romano continentur, non habeant loco articulorum fidei; & dum vult omnia excipere, quasi ex Cathedra dictasset Summus Pontifex, iniuriam prorsus illi facit. Certe Dominus Fagnano huius sæculi Didymus, & cæcus oculatissimus à quinquaginta annis omnium quotquot sedere Pontificum administer & consiliorum particeps, nihil dubitauit à Ritualis Romani opinione recedere, cum imminente mortis periculo, si adsit approbatus Confessarius posse ait moribundum à quibuscunque censuris & peccatis absolui à quolibet sacerdote, id negat Dominus Fagnanus, suamque opinionem contra Rituale confirmat iudicio sacræ Congregationis Concilij. Vide quo recidant Theophili accusationes, sed de hoc argumento plura alibi.

Quæ hactenus disputata sunt de variis rerum Theologicarum gradibus, liberoque probabilium vsu, & sensu à Summis Pontificibus concesso, Sotum vindicant à Petri calumniis, quibus quasi læsæ Maiestatis Pontificiæ reum peragit, quod ausus sit aliqua vsuræ labe maculare Montem pietatis à Leone X. & à Concilio Lateranensi probatum innoxium. Vno verbo hæc machina dissoluitur, Sotum attigisse tantum ex commercio illius Montis, quæ ad ius naturale, & morale pertinent, quæ rationibus ex Philosophia potius, quam decretis expendenda sunt, quæ probabilium iure gaudent, vt possint in vtramque partem disputari citra cuiusquam offensam, idque etiam boni consulunt Summi Pontifices à Theologis factum, vt de Baptismi & Pœnitentiæ, sacramento iam insinuauimus. Soti vindicationem fusiorem vide Disp. I. contra Amad. II. Part. nostræ Ethicæ Disp. I. Sect. II. Art. II. Paragr. IV. Hic addo potuisse verius alicuius errati Theophilum Sotum incusare, quod dissertationem de Monte pietatis Tomo Opusculorum Caietani insertam ab illo, Leonis X. Pontificatu ad annum 1515. crediderit post Concilium Lateranense editam, cum ipse ad calcem annotet à se scriptum anno 1498. Sed forte illum Soti leuem lapsum

dissimulauit, quod eo sentiret suam accusationem eleuari; vnde ipse Soto sibi minus vitio verti posse putauit, si quid improbaret ex huiusmodi pio commercio, in quod ipsemet Caietanus tempore Concilij Lateranensis, à quo fuerat permissum, non nulla in disputationem vocarit: eius itaque exemplo suas cogitationes in tuto ab omni censurâ positas existimauit Soto.

Sed defensioni ex lapsu chronologiæ minus fidæ, & firmæ, possumus hanc validiorem, & æquiorem sufficere. Quod cum Leo X. decreto Sessionis decimæ Concilij Lateranensis asserat, de nullo vltra sortem, sed moderato tantum pro indemnitate Montis lucro capiendo sententiam probatam fuisse quinque suorum decessorum, & Caietanus sui Opusculi cap. 6. testetur Montem pietatis à Sede Apostolicâ probatum, seclusis illius capitulis, & cum hâc clausulâ, *quatenus sacris canonibus non aduersantur*; manifestum inde est decretum Leonis eâdem cautelâ interpretandum, quam antiquioribus Bullis scribit Caietanus se appositam legisse: quamuis addat in nonnullis editionibus desiderari, nec innoxiè citra culpam fuisse hanc clausulam deletam, *modo sacris canonibus non repugnent*: quid ergo mirum, aut quid peccauit Soto, si eâ Pontificum castigatione muniendum, & aliquâ fraude destitutum commercium habuerit suspectum?

ARTICVLVS TERTIVS.

Responsio ad reliquas quatuor accusationes.

SOLVTIS tribus prioribus argumentis frustra videbimur in refellendis quatuor, quæ ex diatribâ secundâ supersunt, calumniis allaborare; cum iisdem exceptionibus retundantur, nihil eorum, quæ tanto apparatu obiiciuntur, pertinere ad fidem, sed ad opiniones probabiles, quarum vsum, & delectum arbitrio cuiusque permiserunt Summi Pontifices multò liberaliores, & æquiores Petro.

Sed duo nobis importunissimè obtrudit, quia putat

ſummè inuidioſa, de infallibili poteſtate definiendi Summis Pontificibus collata, & de Conceptione immaculatâ; quaſi hanc poſſe definiri contra mentem Diui Thomæ, negent eius diſcipuli, & malignè facultatem definiendi, ad certam materiam, certiſque legibus contrahant. Sed imprimis hîc fidem, & diligentiam Petri requiro; vellem quas refert ſententias ex Thomiſtis, notaret, apud quos authores legiſſet: ſed nullo, vel vno tantùm Combefiſio citato profert has ſententias, quaſi ſcholæ noſtræ communes. Verum eſto aliquid eorum exciderit Thomiſtis, certè ſi vel minima tibi eſſet veri cura; aut tacuiſſes, aut bono ſenſu (qualem patiuntur) interpretatus fuiſſes.

Putáſne nos malè conſulere dignitati Summorum Pontificum, ſi hac parte prædeſtinationis æquemus? Communis eſt totius Eccleſiæ ſenſus, quos Deus dignatus ſit ſingulari beneficio ſuæ prædeſtinationis conſcios facere (quod Paulo aliiſque Apoſtolis collarum Patres ſcripſerunt:) nunquam ſibi deeſſe, nec ſolùm accuratè & diligenter, ſed etiâm anxiè, & cum tremore ſuam ſalutem operari; & perinde ſollicitos eſſe bonorum operum, & fugæ peccati; ac ſi nullum haberent ſuæ ſalutis pignus certum. Quia eadem prædeſtinationis ratio, & efficacia, quæ vitæ exitum felicem ſtatuit, & indubitatam gloriæ conſecutionem, è mediis ad hunc finem paratis, præcipuum exigit ipſummet damnationis, timorem, fugam peccati, & ſollicitam perſeuerantiæ curam. Ita planè de facultate Pontificiâ ſentiendum: eſto demus indeflexam à recto & à vero, & à metis, quas Chriſtus præfixit; certum tamen eſt, prouiſa ad hoc media, nempe precationes ad Deum, ſapientum conſilia, verbi Dei examen, inquiſitionem Traditionis, conſenſum Eccleſiarum.

Si dicas ab his omnibus minimè pendere huius definiendi facultatis vſum, & ſi omittantur preces, conſultationes, &c. nullum fore periculum erroris: hoc perinde eſt, ac de prædeſtinatorum certâ ſalute neglectis bonis operibus, vel de rerum repugnantium copulâ: vnde deduci ſolet vtriuſque partis contradictoriæ aſſertio. Si ponas hominem incorruptum, Leonem fieri, quid inde conſequetur? plura abſurda, & repugnantia: eſſe

rationis compotem, cum pones esse hominem, & esse rationis expertem, cum fingas esse leonem. Eadem fiunt de prædestinatis sophismata; si des in peccatum labi, nec vnquam resipiscere prædestinatum, iunges quidem pugnantia: sed si velis stare hanc cognationem prædestinationis, & in malo pertinaciæ; quid inde deduces? Saluum fieri hominem, quia certa est prædestinatio, nec irrita aut cassa esse potest; & damnari, quia lex est nota, quem suæ culpæ non pœniteat, damnandum? Eisdem sophismatibus vexare nos potest Petrus, aut potiùs se ridendum præbere de infallibili potestate res ex Cathedrâ definiendi.

Ex scholæ nostræ sententia assero hanc potestatem à Deo constitutam, suisque præsidiis munitam; qualia sunt consensio cum antiquâ Ecclesiâ, Scripturæ & Traditionis examen, cognatio necessaria rerum definiendarum cum reuelatis principiis; quid, si ista desint, aut consulto omittantur? Respondeo id non magis fieri posse, quàm prædestinatum curam bonorum operum abiicere, & nunquam à peccato resipiscere. Quid si fingamus omitti? Certè repugnantia comminisceris. Quid si admittatur? Tunc idem erit saluus, & damnabitur. Ita ad tuum argumentum Petre, respondeo; ergo, inquis, nutat hæc potestas, si necessaria sint ad definiendum huiusmodi auxilia: certè non magis, quàm prædestinatio, quòd nequeat impleri nisi fugâ, & pœnitentiâ peccati.

Sed antequam ad singula veniam: quæro à te Petre, cur hanc Pontificiæ authoritatis defensionem susceperis? An illius studio, vel potius nostri odio, id est vt illius iura tuteris, aut nos calumnieris? Certum est hanc secundam dilemmatis partem inficiaturum; aliàs te sycophantam profitereris: si verò te vna in Sedem Apostolicam charitas vrgeat; cur quæso, omissis criminibus, leuiora, aut nulla insectaris? Ignoras ne quæ ex variis authoribus de hac potestate retuli? Qui magis iam in ordinem cogunt, & coarctant? An Molina, an illi, qui negant ex opinione probabili nec proximè, nec remotè reuelata quæ impugnari, & defendi possint saluis rebus, quas docet Scriptura, non posse fieri articulum fide certum, non potentiæ Pontificæ vitio, sed conditione hu-

ius rei, minimè secundum leges in Ecclesia constitutas ad definitionem idoneæ & opportunæ? An illi, qui id fieri posse negant, cum res est necessariâ consecutione iuncta mysteriis à Deo reuelatis? Atque ita sentit ex tuis Molina, & Granado, ex nostris vero (quod sciam) nemo hoc scripsit.

Cur ergo tuis prætermissis, qui huiusmodi potestatem coarctant, nos insectaris, qui eam longiùs, latiúsque protendimus? Molina abrogat Pontifici, quod Vasquez concedit cuique fidelium, & Theologorum, vt sibi indicant fide diuina credendum, quod ratione naturali viderint necessario reuelatis connexum, licet non fuerit reuelatum. Hoc non permittunt Molina, Granado Pontifici, quæ sibi visa fuerint iuncta rebus fidei præcipere aliis, vt eadem fide credant.

Hæc certè si quæ sit iniuria in sedem Apostolicam (nolo enim Molinam damnare;) multò grauior est his omnibus, quæ Thomistis obiicit Raynaudus; nempe quòd negent eas opiniones definitionibus in fidei articulos opportunas, quæ possint astrui, & negari saluis rebus immediatè reuelatis. Hic est meus sensus, quem Ecclesiæ iudicio ex animo, & humillimè subiicio, ne occultare meum nomen quis putet, vt liberius loquar, neque enim opus habeo meas cogitationes silentio comprimere, aut verbis ambiguis fucare. Sanè quidquid ipse sentio, velim ab omnibus sciri, maximè ab his, quibus de me iudicandi Deus contulit potestatem, retractaturus, quæ ipsi improbauerint.

Sed ad argumenta redeamus. Quid censes, Petre, ex doctrinâ D. Thomæ damnatum esse, aut posse damnari? de Conceptione immaculatâ taceo ob decretorum reuerentiam, & aliunde quidquid eâ saluâ in hanc rem dici potest, à nobis scriptum est superioribus sectionibus: vnum tantùm addo ad querimoniam de corrupto à Cosma Morelles in editione Antuerpiensi D. Thoma primi sententiarum dist. 44. quæst. 1. art. 2. ad 3. quasi hæc editio à Romanâ dissentiat. Certissimum enim est vtramque conuenire, & eo loci nihil habere D. Thomam ab aliis dissonum. Quare gratis nullo fructu corrupisset Morelles D. Thomam, cum nihil sententiæ communi noceat illa responsio quæ ita habet, *dicendum quòd puri-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [338] - 278
PUBLIC DOMAIN

tas intenditur per receſſum à contrario, & ideo poteſt aliquod creatum inueniri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nullâ contagione peccati inquinatum ſit, & talis fuit puritas B. Virginis quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit. Hactenus D. Thomas. Sed audiamus Doctiſſimum Patrem Nicolai annotatione ad illius loci marginem, *immunis fuit à peccato per exemptionem præſeruatiuam, quoad peccatum actuale, quod non commiſit; vel per ſubſecutiuam liberationem, quoad originale, quod iuxta mentem D. Thomæ incurrit. Nam hoc etiam ſenſu immunem Grammatici appellant, qui ab obligatione precedenti liberatus eſt, & ipſemet D. Thomas alibi immunem ab originali culpâ vocat eum qui per Baptiſmum purgatus eſt, ac multo magis cum eſt plena etiam reliquiarum culpæ purgatio qualem fuiſſe in Beatiſſimâ Virgine profitetur diſtinct. 17. vnde fruſtra putatur à quibuſdam aliud hic ſenſiſſe, quàm aliis locis paſſim docet.*

Paragraphvs Primvs.

Reſponſio ad quartam obiectionem de voto ſolemni, & ſimplici.

De voto ſolemni & ſimplici vult Petrus à Bonifacio VIII. & Gregorio XIII. damnatam eſſe D. Thomæ ſententiam his tribus capitibus, quòd votum ſolemne contendat eſſe iuris diuini, eôque ſolo conſtitui Religioſum, & nullâ Pontificiâ, aut creatâ poteſtate diſſolui. At contra repugnant Conſtitutiones Pontificiæ, quæ differentiam voti ſolemnis, & ſimplicis repetunt à iure humano; vtrumque diſpenſatione diſſolui, vt vſus Eccleſiæ probat; vtroque Religioſum conſtitui vt Gregor. XIII. ſtatuit de Patribus Societatis, licet rei ſint voti ſimplicis tantùm.

Hoc Argumentum putabat ineluctabile doctiſſimus ille P. Ieſuita, cuius in paræneticâ memini; ſed nodi indiſſolubilis duplex occurrit ſolutio. Imprimis quid vetat, quin totam hanc diſputationem ad leges probabilium opinionum reuocemus cum Vaſquez, aliiſque doctiſſimis Societatis Theologis, quos cum Magiſter Spilla,

qui Theſes ſuſtinebat Tholoſæ, obieciſſet arguenti, reſpondit *ſe nec Vaſques, nec alios morari, aut curare*, ſed tantùm vrgere ſe argumentum à Conſtitutionibus Pontificiis : Sed lepidè repoſuit alter, nos plurimùm veſtros Theologos curamus, quia *ſalutem ex inimicis non recuſamus*. Igitur nihil incommodi video, ſi cum Vaſque, & aliis, hanc voti ſolemnis, & ſimplicis differentiam expendamus ad leges opinionum probabilium. Quid verò inferri poteſt contra D. Thomam? Nihil prorſus, niſi hoc vnum; eum ſcilicet de voto ſolemni non habere certam & euidentem apud omnes, ſed probabilem opinionem, cui potuit Pontifex contrariam Canoniſtarum ſententiam anteferre. Sed quis inde, niſi inſanire velit, ſententiam D. Thomæ eſſe damnatam aſſeret ? Non certè magis, quàm dum in opinionum probabilium occurſu, & conflictu, vna aſſumitur alterâ relictâ, ſed nullâ ratione, vllâ cenſurâ notata.

Nemo dubitat quin Chriſtus potuerit ſtatuere diſcrimen inter votum ſolemne, & ſimplex, quale omnes agnoſcunt intercedere venditionem inter initam agri, ſolis oppignoratis fructibus, ſeruatâ proprietate, & venditionem agri perfectam dominii tranſlatione. Primum venditionis genus multis nominibus differt ab altero, ſed hoc maximè (quod ad rem noſtram confert;) vt ager venditus oppignoratis vni fructibus, poſſit validè, quamuis illicitè vendi alteri emptori. Hoc exemplo ſententiæ Canoniſtarum & Theologorum maximè D. Thomæ de voto ſolemni, & ſimplici diſcordes illuſtrantur. D. Thomas, vt inquit Soto, votum ſimplex cenſet eſſe veluti fructus agri venditos, ſeruato dominio; ſolemne verò eſſe quaſi venditionem agri, dominio cum fructibus in ius emptoris omnimodè tranſlato, quia hoc voto ipſe vouens, & eius fructus, & opera Dei obſequio mancipantur, & nouo iuris & conſecrationis genere eius accenſentur poteſtati.

Hac differentiâ quaſi eſſentiali conſtitutâ, reliquæ conſequuntur. Hinc enim colligitur apertè (ſeruatâ rei cum exemplo ſimilitudine) votum ſimplex diſpenſari poſſe, nec repugnare matrimonio, ſicut nec oppignorati fructus vni, prohibent agri dominium in alterum transferri; ſed ſi voto ſolemni fiat illa mancipatio vouentis, &

operum in Dei obsequium, iam quod de prædestinatis Christus asserit, competet voto solemni consecratis; *nemo rapiet illos de manu mea.* Extra omnem controuersiam positum est, Christum hoc discrimine potuisse vtrumque votum sancire; An verò reipsa instituerit, D. Thomas ita censet, quia iudicat, Christum Religionis statum plenum cumulatum constituisse, cùm Dei perfecta sint opera, & illud maximè, quod præ aliis vim, & nomen obtinet perfectionis; quare credibile est voluisse vouentes se, suáque opera Deo in totum dedere.

Hæc est vera mens D. Thomæ. Quid ad ista Canonistæ & ex antiquis plerique Theologorum & Recentiorum? Plurimi negant illud discrimen à Christo fuisse institutum, & illud à solâ authoritate Ecclesiasticâ repetunt. Certum est opinionum neutram deduci necessariò ex vllo principio è scripturâ, & traditione recepto. Manet ergo discrimen illud per se anceps, & quasi suspensum. Quid ad hæc Summi Pontifices? In re incertâ id certum est, liberum fuisse illis alterutrius sententiæ delectum, iuxta affectum cuiusque vel temporum, vel rerum rationem. Ferunt Pium V. addictissimum D. Thomæ, & statui Religioso, cui se ab infantiâ deuouerat, rogantibus à solemni voto dispensationem, respondisse se id non posse; quia censebat discrimen à D. Thoma constitutum probabilius esse, & iuxta veriorem regulam certiora sectabatur. Aliis aliter visum est. Canonistis adhæserunt aliqui Pontifices in hac re, si tamen verum est eos à voto solemni Religionis dispensasse.

Quid ergo? Inducimus Pontifices inter se digladiantes? Ne id quidem; sine vllâ mentis dissensione quisque vsus est iure suo, nulli negata libertate, ne dicam Pontifici, sed ne priuato quidem, vt quisque sequeretur, quod sibi probabilius visum foret. Igitur inquies, iam damnata est D. Thomæ sententia decretis Pontificum. Non magis certè, quàm à Pio V. sententia Canonistarum; cum id se posse negat, quod asserunt illi licitum fuisse. In his enim quæ ad vsum, & quæ ad agenda inter homines pertinent euidentia, aut certitudo fidei, nec exigitur nec comparari potest: hanc de voto solemni obiectionem etiam aliâ solutione statim mox diluemus. Sed ad S. Thomæ defensionem hæc ex Soto mihi visa est ex-

peditior, & latè ad multa patere, quæ possumus inoffenso pede decurrere, & in speciem dissentientes Pontifices conciliare; quisque in re probabili, cuique suum permisit arbitrium.

Aliam viam init Ioannes à S. Thoma, quæ non longè à nostra abest. Votum solemne nihil est aliud, quàm sui in Dei obsequium, & ad perfectionem consiliorum mancipatio, quodam consecrationis ritu peracta, acceptáque Dei nomine ab eo, qui illius vicem gerit. Hæc voti solemnis descriptio est veluti summa quædam, & complexio, atque commentarius omnium, quæ variis locis tradit S. Doctor de voto solemni. Equidem 2.2 q.88. a.7. ad illud requirit quandam consecrationem spiritualem ex institutione Apostolicâ ad nos deriuatam, vt habet D. Dionysius c.2. de Eccles. Hierarch. & eodem loci adiungit conuenienter adhiberi solere huiusmodi apparatum, & ritum, cum rei alicuius fit traditio, aut mancipatio. Hinc veluti nuptiarum solemnitas, quæ est signum, & ornamenti mutui coniugum consensus, quo vltrò citróque se dedunt, suique inuicem potestatem, & copiam faciunt. Alio loco addit hunc ritum consecrationis indiuiduæ voto solemni spiritualem esse, & ad Deum pertinere, quia solemnitas accommodari solet rei, quæ peragitur. Vnde alia est militiæ, alia nuptiarum solemnitas; illa fit concursu, & apparatu nobilium, & armorum, ista sponsi, & sponsæ ornatu, atque amicorum, cognatorúmque conuiuiis.

Et cùm votum promissio sit, quâ nos Deo astringimus; conuenit ritum consecrationis spiritualem, & à Deo auctore esse, illo saltem genere institutionis, quo dicimus ieiunia, orationes, aliáque pia opera à Deo esse, quia vniuersim illa præcipit, & commendat, licet humano præcepto statutis temporibus, & locis tum ieiunia per quadrageſimam, aut festorum peruigiliis, tum precationes cum certâ verborum formulâ fiant. Ita etiam Dedicationis, aut Consecrationis ritus, quibus res Deo mancipantur, à Deo generatim, deinde Ecclesiasticâ authoritate sub determinatâ specie constituuntur, & si absint huiusmodi cerimoniæ, nullum est, inquit S. Doctor, votum solemne: non quòd reuera in huiusmodi consecratione posita sit vis, aut pars voti so-

lemnis, sed quod nequeat rata esse professio religiosa, nisi huiusmodi consecratione adhibitâ, iure Ecclesiastico institutâ, non solùm in signum & apparatum affectus interni, quo nos Deo deuouemus, sed etiam vt hac significatione rata sint vota, & accepta Dei nomine ab Ecclesiâ.

Hinc cautè dixit S. Doctor, voti solemnitatem attendi debere secundùm illum Spiritualem ritum, qui ad Deum pertinet, non tamen in eâ sitam esse: quia ex illâ vt dispositione, aut conditione firma vouentium in Dei potestatem, & obsequium mancipatio, quâ vnâ constat voti solemnitas, & vis, & vinculum indissolubile, quacumque authoritate, aut dispensatione Ecclesiæ. Sicut enim, inquit S. Doctor, calicem consecratum, quandiu est integer, non licet ad prophanos vsus adhibere, quamuis consecrandi ritus, & formula sit authoritatis Ecclesiasticæ, aut iuris humani; quia vbi ritus ille consecrationis est celebratus, res ita censetur addicta Deo, vt nequeat aliò transferri. Hinc illud Leuitici vltimo, *quod semel est Domino sanctificatum, non potest in alios vsus commutari.* Hinc Leuit. c. 27. Animal, quod potest Domino immolari, *si quis vouerit Sanctum Domino, & mutari non poterit*, nec melius malo, nec peius bono. Nihil ergo iuuat ad dissoluendum dispensatione humanâ votum solemne, aliquid Ecclesiastici iuris admiscere, quo ratum sit, vt insinuat Bonifac. VIII. neque D. Thomas negat. Vnde non infert Papa, permissam Ecclesiæ dispensationem, sicut nec rem Deo sacram in vsus communes assumere licet, quamuis sit Deo consecrata ritu ab hominibus instituto.

Addit S. Doctor eiusdem q. a. 11. solemne votum castitatis religioso statui iunctum, ab illo quod Clericus emittit, dum sacris Ordinibus initiatur, differre multis nominibus: sed hoc maximè, quòd illud statum Religionis efficiat, & constituat, alterum vero accidat Ordini sacro, & ab eo nihil repugnet seiungi authoritate Ecclesiasticâ, quâ solâ illi fuit annexum: secus est de Religionis statu, cuius votum continentiæ pars est, non accessio. Certum quidem est ius vtrumque votum probandi, & ratum habendi ad Ecclesiam pertinere. Nam

D. Thom. in 4. dist 38. q. 1. a. 2. ait nullam esse professionem Religionis, nisi fiat, vt iura præscribunt, maximè si à Prælato Religionis, quam quis profitetur, non fuerit excepta. Hoc tamen discrimen est votum castitatis, Religionis inter & Ordinis, quòd istud accedat homini sacris initiato, & addatur Ordini instituto authoritate Ecclesiasticâ, quâ seiungi, & dissolui potest.

At de statu Religioso secùs est, vbi enim semel illum quis ingressus est, nihil opus habet nouo statuto ad perpetuam castimoniam astringi; quia huiusmodi onus ineſt illi necessariò, sine vllo nouo Decreto annexum: alia quippe est Religiosi, alia Clerici ad rem subiectam ratio. Hic consecratur ad Altaris ministerium, cui conueniens est castimonia, non prorsus necessaria, ideo Ecclesiastico iure, totum illi quasi additamentum, & ornamentum adiungi debet, & potest auferri; Religiosi vero vna ratio, vnus finis est castè viuere, sicut Calicis consecrati Christi sanguinem conseruare. Vnde habet Ecclesiæ consensu vt vota sint rata, non autem nouo statuto, quod exigat castitatem ab eo, qui vouit hoc vnum, cum ad professionem admissus est.

Nulla igitur Diui Thomæ à Summis Pontificibus est in hac re dissentio: concedit enim, quod Bonifacius sancit, nempe à Iure Ecclesiastico esse voti solemnitatem, quia nulla foret, nisi Ecclesia votum approbaret, & nisi fieret legibus ab illâ præscriptis: Sed vbi semel acceptum est, multò perennius est, & minùs reuocabile, quàm ius in Calicem consecratum, aut illius ad res diuinas vsus.

Dices hac re ad minus à D. Thoma Bonifacium dissentire, quòd votum quodcumque solemne, siue Ordinis, siue Professionis, & perfectionis religiosæ asserat, solo iure Ecclesiastico matrimonium dirimere, cum tamen D. Thomas velit saltem Religionis votum seipso, aut iure diuino eam vim habere; atque hinc negat vllâ dispensatione Ecclesiasticâ, posse hoc impedimentum Religiosæ professionis tolli: sed gratis dicitur à Bonifacio assertum, quodcumque votum solo Ecclesiæ statuto irrita & nulla matrimonia facere: Nam eo capite de voto, & voti redemptione non dicit sibi eam quæstionem

propositam dissoluendam, quo iure votum solemne dirimat matrimonium, an Diuino, an Ecclesiastico: sed ita rescribit se interroganti.

Nos consulere voluisti quod votum debeat dici solemne atque ad dirimendum matrimonium efficax. Et quæstionis solutionem sic prosequitur. *Declarandum duximus oraculo præsentis sanctionis, illud solum votum debere dici solemne quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui è Religionibus per Sedem Apostolicum approbatis; reliqua vero vota etsi quando matrimonium impediant contrahendum, non tamen rescindere possunt matrimonium post contractum.* Ita Bonifacius. Quo loco id vnum vult explicatum, quæ vota dirimant matrimonium; nec curat ex quo capite hanc vim habeant, an ab Authoritate Ecclesiasticâ, an à Diuina; de hoc enim ne verbum quidem.

Sed instabis; Pontifex vtriusque voti solemnitatem vult reperi ab Ecclesiasticâ constitutione: Ergo vis dirimendi matrimonium non inerit voto Religionis à iure diuino: quæ sententiæ D. Thomæ est consecutio, votum esse indispensabile; verum priorem consecutionem contra hanc postremam, & doctrinam D. Thomæ, nullam esse demonstrat exemplum Calicis consecrati rebus sacris addicti Iure Diuino, & irreuocabili, quandiu inest consecratio, licet hæc orta sit ab authoritate humanâ. Neque Bonifacius VIII. Decretum condit, quo statuat votum Religionis matrimonium sequens nullum facere: id enim plures Canones antiqui habent, & Innocentius III. cap. *Cum ad Monasterium* apertissimè sententiam D. Thomæ habet his verbis: *Abdicatio proprietatis, & custodia castitatis adeo annexa est Regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Atque hoc Decreto Innocentij D. Thomas quæst. 88. citata art. vlt. veluti muro æneo suam de voti solemnis vinculo nullâ potentiâ creatâ solubili munit, & aliorum interpretationem acriter refellit: imò quod præ summâ eius modestiâ mirandum, ignorantiæ accusat

iuriſconſultos, quòd aſſerant Summum Pontificem poſſe ex profeſſo Religionem facere, non Religioſum. Id enim, inquit, non magis poteſt, quàm ne ſit Sacerdos, qui eſt Sacerdotio initiatus. Neque ad arbitrium Prælatorum Eccleſiæ quod eſt ſanctificatum, amittit ſanctificationem etiam in rebus inanimatis, vt Calicem conſecratum deſinere eſſe conſecratum, ſi maneat integer; multo minùs poteſt efficere aliquis Prælatus, vt homo Deo conſecratus, quandiu viuit, conſecratus eſſe deſiſtat. Et tunc ſubſumit, *ſolemnitas autem voti, in quâdam conſecratione, ſeu benedictione vouentis conſiſtit, quæ perfectam in Dei obſequium mancipationem trahit irreuocabilem, licet quidam Iuriſtæ ignoranter contrarium dicant.* Vbi Franciſcus Syluius commentario ad illum Articulum, ex illâ reprehenſione inſolitâ ſancto Doctori modeſtiſſimo,& reprehenſionum parciſſimo obſeruat, *quam ſerio, & quàm arcto aſſenſu huic ſententiæ adhæſerit tum grandior ætate*, quamuis iunior contrariam fuiſſet ſecutus.

Ad iſtud etiam caput ſpectant duo longe leuiora, quæ obiicit Petrus, nempe à D. Thoma aſſertum 2. 2. q. 189. a. 2. voto ſolemni tantum hominem conſtitui Monachum. At Gregorius XIII. ſanxit Patres Societatis, emiſſis votis ſimplicibus verè Religioſos fieri. Item 2 2. q. 64. a. 7. ex antiquis Canonibus irregularitatem ait incurri ex homicidio ob iuſtam ſui defenſionem ſecuto: quam ſuſtulit Clementina V. Dum hæc obiicit Theophilus D. Thomæ, incredibilem calumniandi ſitim prodit: vitio illi vult verti, quòd Theologum egerit, non Prophetam, quod Pontificum, qui ſe præceſſerunt Decreta ſecutus, non præuiderit, quæ multis poſt ſæculis erant Pontifices definituri. Velim ſcire à Petro an D. Thomas peccauerit, & ſit virgâ cenſoriâ caſtigandus, quòd cum Summis Pontificibus & eo iure, quod tunc temporis vigebat, docuerit, ſolo voto ſolemni fieri Religioſum, & irregularem homicidam ſui defenſionis causâ, vel rectè ſecutus ſit doctrinam ſuo ſæculo receptiſſimam? Si hoc vltimum reſpondeas Petre, quare illum cædis? Quare à Pontificibus damnatum calumniaris? Si verò falſa ſcripſit; cur illi errorem imputas, quem à Conciliis, à Pontificibus hau-

fit, in quos importas quam in D. Thomam moliris calumniam.

Certè D. Thomas moderatiùs locutus est ad mentem Gregor. XIII. quam antiqui Pontifices, qui disertè asserebant *non posse cum effectu Religiosum censeri, nisi solemni voto astrictum*. At D. Thomas ab hoc verbo, *non posse*, abstinuit, & tantum pronunciauit *non fieri Religiosum, quam per vota simplicia*, quasi ex vi innatâ; ipsis, licet non negauerit fieri posse, addito votis simplicibus Decreto Pontificis, ad quod viam potiùs aperuit, quàm occluserit q. 53. a. 2. Supplem. ad 3 p. vbi licet neget votum simplex ex suâ vi innatâ dirimere matrimonium, insinuat tamen posse sanciri, & assumi in impedimentum dirimens matrimonium: atque ita nihil illi deerit adiuncto Decreto Pontificio ad constituendum Religiosum. Ad id enim summè necessaria est quasi perennitas status, quæ ex voto simplici facile poterit repeti, si decreto Pontificio fiat obex perpetuus matrimonij. Atque hoc genere Religiosorum: per vota simplicia præter patres Societatis à Gregor. XIII. institutos Alexander VII. Ecclesiam ornauit, & locupletauit Patribus Doctrinæ Christianæ Institutore Beatissimo Patre Cæsare de Bus, quos aliis Ordinibus accensuit, licet sola vota simplicia emittant.

Paragraphvs Secvndvs.

Responsio ad quintam, & sextam objectionem, vbi vindiciæ Cani, Bzouij, & Combesisij.

Quamuis assiduitate miranda cuiuscumque sint generis, vilescant, & ad malum aut bonum, etiamsi summa sint, desinamus commoueri, si quotidiana sint & frequentia; & aliunde tot & tanta vitia hoc vno Theophili libello obseruauerim: fateor tamen, Lector erudite, me horum malorum frequentia, & atrocitate in quemdam deductum esse stuporem, vt cum has calumnias lego, vix mei compos sim; vix oculis meis credam: & putem me monstra fingere, & insomnia.

Quis enim sibi persuadeat, nedum Christianum, Sacerdotem, Religiosum & Theologum rerum diuinarum

scriptorem, sed vel hominem paganum, cui reliquum sit aliquid humanitatis, ausum esse scribere adeo crassa mendacia; qualia sunt hæc ex infinitis pauca, *Canum libro 5. de locis c. 5. asserere, qui negauerit, errasse Pontificem approbando aliquod Religiosum institutum, imprudentiæ, vel etiam stultitiæ nomine, iure optimo summis rationibus esse arguendum: Bzouium verò ad annum 1371. multum esse in notandâ erroris grauissimi institutione Franciscanorum; nec exhorruisse scribere artificem omnis doli Sathanam, persuasisse Minoritis, spectare ad perfectionem nihil habere, & omni Dominio carere etiam in communi, hancque BZouij cacochymiam esse ipsammet VVicleſi delirationem damnatam Sess. 8. Conc. Constantiensis: Martinum Polonum Ordinis Prædicatorum authorem esse fabulæ Ioannæ Papissæ, vt bene statuit Trithemius* (ipsissima sunt verba Theophili) *libro de scriptoribus, &c.* Reliqua minutiora mendacia omitto, quæ statim refellam.

Quis non obstupescat ad hæc tria, quæ nescio an atrociora sint, an apertiora? Si Deum non reuereris Petre, nec iudicia eius, & pœnas posthumas, quæ manent mendaces & calumniatores, cur ad minus homines non reuereris, neque curas omnem apud illos bonæ fidei opinionem perdere? Quid enim statuturos putas de te, cum eorum, quæ de Cano, de Bzouio, & Martino Polono refers ex Trithemio, compererint ne vllum quidem verbum extare? Quam tibi fidem habituros existimas de his quæ nullo teste refers; sed vis errata correcta posterioribus locorum Cani editionibus; cum ea, quæ illorum oculis subiicis, comprobauerint à te peruersissime conficta, aut falsa esse? Sed quid conqueror, quòd huiusmodi mendacia scribas, quasi possis quidquam aliud agere? Certè si Ouidius de se testatum reliquit: *quidquid tentabam dicere, versus erat.* De te verius asseram quidquid tentas scribere, mendacium resipere & calumniam.

Sed ad rem, quidquid non solum charitas præcipiebat tacere, & excusare apud alios, sed ipsamet æquitas iubet boni consulere, & probare, in calumniæ & inuidiæ argumentum rapis. Iam sæpius dixi, & pluries, quam vellem, me cogis repetere, hoc vnum nostris Theologis

insedisse consilium & studium, vt ingenitam à Religionis incunabulis in Summos Pontifices reuerentiam, colerent incorruptam integerrimè, nec vllâ specie adulationis adulterarent, nec ipsismet hæreticis suspectam facerent. Quare cum non dubitarent se in eo, quod pro Sede Apostolicâ non solùm aduersus hæreticos, sed etiam contra Catholicorum nonnullos certamine susceperant, spectaculum factos esse Deo, Angelis, & hominibus, id maxime adnisi sunt, vt omnem Aduersariis ansam auferrent suspicandi, se assentari Summis Pontificibus, & magis eorum gratiam, quàm veritatem curare. Ideo visum est illis è re fore Ecclesiæ Catholicæ nullum ius, nullam potestatis partem asserere Sedi Apostolicæ, quàm inuictis argumentis ex Scripturâ, & ex Traditione non essent probaturi. Sed iniuriam facerem Cano, si eius causam, aliis quam ipsiusmet verbis agerem.

Ille igitur vere inter Theologos Tullius Christianus lib. 5. cap. 5. ita habet ad calcem. *Quid tandem aduersus hæreticos disputando ille proficiet, quem viderint, non iudicio, sed affectu patrocinium authoritatis Pontificiæ suscipere; neque ita agere, vt disputationis suæ vi lucem ac veritatem eliciat, sed vt se ad alterius sensum, voluntatémque conuertat? Non eget Petrus mendacio nostro, nostrâ adulatione non eget. Ordines igitur vel probare vel refellere, quoniam non è scientia id solum, sed etiam è prudentia pendet, non ad ea pertinet, in quibus Summus Pontifex errare nequit.* Ita summâ eloquentiâ, & pari sapientiâ Canus. Deinde pluribus Conciliorum, & Summorum Pontificum testimoniis probat aboleri oportuisse diuersos Ordines confirmatos: & ad finem apponit verba, quæ summâ fraude interpolauit Theophilus. *Nostro verò*, inquit, *sæculo tam multæ sunt Religiones à Pontificibus confirmatæ, vt qui eas omnes tueri voluerit, vel vtiles, vel necessarias; hic imprudentiæ, ne dicam stultitiæ nomine, iure optimo, summisque rationibus arguatur.* Vbi sunt, Theophile, verba à te ex Cano relata, *eos qui negent Pontificem errare posse, & reipsa errare stultitiæ nomine esse arguendos*: quasi idem sint verba à te falsata, & à me sinceriſſime ex Cano relata? Sed ipsemet Canus calumniam Petri quasi præscius vidisset,

occupat, & vno verbo refellit, *eos qui Summi Pontificis omne de re quacumque iudicium temere, ac sine delecta defendunt, hos Sedis Apostolicæ authoritatem euertere, non firmare.*

Non puto, Petre, ita contentionis funem te velle, non solum aduersus hæreticos, sed etiam Catholicorum plurimos trahere, vt Summis Pontificibus in legibus, aut articulis fidei condendis ex Cathedrâ non sis contentus infallibilem potestatem asserere; sed etiam in quæstionibus facti, vel priuatis iudiciis, quæ ad Fidem nihil pertinent, non patiaris posse falli, aut aliquando prudentiam in illis desiderari; quandoquidem ipsimet Pontifices, & maximè Innocentius III. referente Cano, eodem loci dicit, *iudicium Dei veritati quæ non fallit, nec fallitur, semper inniti: iudicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequi, quàm & fallere sæpe contingit, & falli: propter quod* ait, *interdum contingere, vt qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: & qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit sententiâ innodatus.* Hæc Innocentij dicta interpretanda sunt ex Cano de iudiciis, seu facti quæstionibus, quæ magis à prudentiâ pendent, quàm à scientiâ, qualia vult esse idem Cano ea iudicia, quibus nonnunquam Ordines ab Ecclesiâ admittuntur inutiles potius, quàm pernicioſi: & sane nisi ad hanc Cani sententiam confugiat Petrus, vix ipse hæresis notam euadet illâ Ioannem XXII. & Clementem VIII. carpendi licentiâ, quos vult ita deperisse Dominicanos, vt parum abfuerit, quin vnus Molinam, alter vero Minoritas quosdam (vt mox videbimus) Sanctos, & Catholicos hæresis damnarit, & supplicio vltimo permiserit. Hic error longè periculosior, & grauior est, eo quem in approbandâ inutili Religione admitti posse, concedit Canus. Quis enim neget maioris esse periculi insontes damnare, quàm improbos non conuictos impunitatem obtinere?

Sed vt rem accuratiùs expendamus, & tua Petre, à Cano, & Combefisio calumnia depellatur; Putas ne, te felicius pro Sede Apostolicâ pugnaturum, si contendas quasi pro fidei veritate Pontificem, nequidem in quæstionibus facti, aut vt priuatum Doctorem decipi posse, vel in iudiciis priuatis quidquam dare gratiæ, aut odio,

quàm Canum, & Combefiſium, qui iudicia doctrinæ, & ſcientiæ, à iudiciis prudentiæ, quæſtiones iuris & facti, & in ipſo Pontifice duas quaſi perſonas, Paſtoris communis, & priuati hominis diſtingunt, atque ab illis, non ab iſtis ablegant omne periculum erroris, quorum diſtinctioni & ſententiæ plures Catholici conſentiunt? Quare igitur hos duos tantùm Dominicanos laceſſis, cum tot habeant ex aliis Ordinibus authores eiuſdem opinionis? Quare in re dubiâ non iudicas ex æquo & bono? Quare non permittis in probabilibus quemque ſuo ſenſu abundare?

Si dicas nihil concedendum hæreticis eorum, de quibus contendunt nobiſcum, & cum illis perinde ac cum Dæmone in malo pertinaci agendum; contrà alij cenſent, Hæreticos non eſſe exaſperandos, quia non eo loco ſunt, quo Dæmones, quin poſſint reſipiſcere, & aliquid eorum pertinaciæ indulgendum, vt ſenſim ab errore ad veritatem deducantur. Eſto, nolint admittere, nullum vnquam Pontificem, vt priuatum hominem erraſſe, & in priuatis iudiciis lapſum; feliciſſimè cum illis, & nobiſcum agetur, ſi hoc illis concedas vltrò, & viciſſim ab eis obtineas, rata & vera eſſe Decreta, quæ vt Eccleſiæ ſupremi Paſtores ex Cathedra pronuntiant.

Cur apud nos damnas, quod apud vos receptiſſimum eſt; nec mediocriter res veſtras promouit? Nempe conuenientiſſimum eſſe, veſtros Doctores quaſi incertos ſtudia in contraria ſcindi, quoſdam laxiores opiniones, nonnullos in re morali rigidiores ſectari: quia cùm varia ſint hominum ingenia, & multis rebus capiantur, quibus offenduntur alii; iſtis tutæ ſententiæ ad Euangelij amuſſim conſtitutæ, aliis placeant liberiores; optimum viſum eſt & aucupij, & prudentiæ genus, abundare huiuſmodi lenociniis, quibus quemque allicias ea, quâ ſcis trahi voluptate. Patere igitur etiam apud nos non vnam omnium eſſe ſententiam, cum de probabilibus agitur; quia vix vlla eſt, quæ non ſit opportuna ad aliquod Eccleſiæ bonum, ſi tempeſtiuè adhibeatur, ſicut factum eſſe contendo ab his authoribus, quos vis minùs reuerenter habuiſſe Sedem Apoſtolicam. Innumera ad illius dignitatem augendam, &

authoritatem confirmandam dixerat eò capite noſtet Canus, quibus ægrè fidem præbuiſſet Lector, niſi ad calcem illius capitis eâ libertate teſtatus fuiſſet, ſe ab omni aſſentatione alienum ſcribere vno veritatis ſtudio.

Eadem defenſionis ratio in tuto ponit Combefiſium, quòd Summum Pontificem vt priuatum hominem non exemerit ab omni errore: Nam præter quod in re apud Catholicos controuerſa, ſecutus eſt communiorem ſententiam, cui è Societatis Theologis plures adhæſerunt, eam cenſuit non ſolum expeditiorem, ſed etiam opportuniorem, ad frangendam Hæreticorum contumaciam, eorumque animos aliqua indulgentia deliniendos, & occultâ vi ad ſalutem, & veritatem deducendos.

Verùm ſi hoc humanitatis officium noluiſti Combefiſio & Cano, vel fortè non potuiſti præ nimio in illos æſtu exhibere; debueras ad minùs reſpondere argumentis & exemplis, quibus ſuam probant ſententiam: vel ſi te imparem huic rei ſentiebas, aut fortè abreptus criminandi ardore malebas illi indulgere, quam honeſto, & vtili Eccleſiæ labori incumbere, oportebat profecto, abſtinere à falſandis, & detorquendis eius verbis, vt illum in inuidiam traheres: quaſi ſtultitiæ damnaſſet eos, qui negant reipſa erraſſe Pontifices in approbanda aliqua Religione. Debebas etiam ſincerius de opere Cani, quod Cardinalis Pallauicinus Doctiſſimi Auctoris *opus aureum* vocat, iudicare, quàm vt omnino pereat ob labeculas aliquo, tcum rei litterariæ, & Theologiæ grauiſſimo damno. Multa quidem dicis fuiſſe inſerta primis Cani prioribus editionibus, quæ velis noſtrorum hominum curâ, & ſummâ charitate Terentij Alciati, aliorumque ſocietatis eraſa, & correcta, ne eius Lectio prohiberetur.

Hæc refers, te ſolo teſte, ſed cum te ita apertè eiuſdem libri & capitis, plagiarium & corruptorem probauerim; quam tibi fidem habebimus de his quæ nullo teſtimonio probas? Certè mendacij conuictus donandus es mercede mendacium, quibus nec vera dicentibus creditur. Vnum tantum extat apud Canum eorum quæ refers lib 4. cap. 2. in illa verba Corinthiorum 1. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in Societatem filij eius. Qui*

inquit Canus, *Societas, cum Ecclesia Christi sit, qui titulum illum sibi arrogant, hi videant, an Hæreticorum more, penes se Ecclesiam existere mentiantur.* Fateor hoc liberiùs dictum, non tamen vt mereatur dici *glossa Canina*, vt inquit Raynaudus, neque ob illud vnicum verbum perire opus immortalitate dignum oporteat.

Non dicam eam Cani animaduersionem fuisse sensum, non modo priuatorum hominum; sed etiam Academiæ Parisiensis; cuius in hanc rem decretum refert Orlandinus lib. 15. historiæ Societatis; & Thuanus libro item 15. primi tomi idem habet. *Iesuitæ*, inquit, *postea nouo, atque vt plerisque visum est, superbo nomine appellati sunt.* Certè non adeo grauis offensa fuit improbatum illud nomen, quod subiunxit Cano, se non morari, vt debuerit eius liber in eadem esse damnatione, cum tuo, Petre, de Martyrio per pestem opusculo, & librorum prohibitorum numerum augere, vt quadam infortunij societate dolorem qui te discruciat, aliquantulum delinires.

Ferunt Perdices cauea incluſas, amissam libertatem, & aliis seruatam ægrè ferre, & vocem fingere vt liberas inducant in laqueos, & suam captiuitatem eiusdem mali consortio solentur. Non longè mi Theophile, abes ab illâ indole: Ita enim te comparatum vbique prodis, ita te liber ille tuus damnatus, diu noctûque agitat; vt non dubitem, quin ad tormentorum tuorum leuamen aliquod velles, opus Cani de locis, & quos-libet alios adiungi Cathologo librorum damnatorum; vt sensum, & dolorem tuarum miseriarum iniquo hoc remedio leuares. Sed præ omnibus velles maximè Canum damnatum, quia caligantibus oculis, non potes ferre micantissimum splendorem illius operis, quod non solum tua opuscula obscurat; sed etiam omnium, qui hactenus de locis Theologicis scripserunt exarguet.

Sed vide, quàm immane distes à generosissimâ Cardinalis Pallauicini indole. Ita illum dicam ad modestiam, ad humanitatem genere, naturâ, & studio comparatum, vt in toto Concilij Tridentini Historiâ vix passus sit aliquod verbum asperum sibi excidere, etiam contra iuratos Ecclesiæ hostes. At tu nullo conuitiorum genere abstines, etiam contra grauissimos, & religiosissimos vi-

ros. Quæ contra Canum ſcribis, confer cum Cardinalis Pallauicini de eodem Cano elogio, & iudicio; Pallauicino Canus author doctiſſimus vno loco, & altero ſelectæ, & copioſæ eruditionis. Tibi vero vt ais, Canis rabidus, & moloſſus eſt. Pallauicino opus aureum ſunt vbique loci illi Theologici; Tu ſpumas rabientis potiùs, quàm voces dicis efferati moloſſi. Dicam quidem te ex eadem matre, Religione ſcilicet eadem cum Pallauicino natum; ſed hoc diſcrimine, quod ille loco ſit Iacobi electi; tu Pilos Eſau imaginem præferas. At ineptirem, ſi te diſſimilem genere & moribus cum ſapientiſſimo & nobiliſſimo Cardinali conferrem.

Sed contumeliæ in Canum leuiores fient comparatione illarum, quas in Bzouium importat; adeo abreptus Dominicanorum odio, vt parum abſit, quin Beguardos, Pauperes Lugdunenſes notâ hæreſis eximat; vt illam inurat Ioanni XXII. aliiſque Summis Pontificibus, qui huiuſmodi errores ſuis decretis damnarunt. Hoc enim vnum crimen eſſe potuit Bzouij, & Eymerici, quòd huiuſmodi decreta in Annales Eccleſiaſticos & in directorium inquiſitorum retulerint.

Quidquid huic narrationi addit Theophilus, mendacium eſt, aut calumnia; vt nulla veritas eius accuſationi conſtet. Sciens aut imprudens neſcio, malè citat Bzouium ad annum 1371. vbi ne verbum quidem, nec toto illo anno de hac re, ſed ad annum 1318. & plurib. ſequentibus, atque his verbis illius anni, & huius hæreſis hiſtoriam exorditur: *Si quo vnquam alio, hoc præſertim tempore, impletum eſt in Eccleſiâ Orthodoxâ illud ſolemne Propheticum; qui manducat panem meum, leuauit ſuper me calcaneum ſuum. Quidam enim ex Ordine Fratrum Minorum, cum omnium bonorum Religionis ſuæ dominium Romanæ Eccleſiæ attribuerent; nec ſe alios, quàm vſufructuarios rerum tam mobilium, quàm ſtabilium eſſe profiterentur; comedentes panem (ex illorum ſenſu) Eccleſiæ, contra Eccleſiam inſurgere, & tum ſchiſmati viam aperire, materiam miniſtrare, tum hoſtibus Apoſtolicæ ſedis occaſiones non modicas ſuppeditare cœperunt.*

Deinde refert ad verbum Ioann. XXII. decretum in huiuſmodi Apoſtatas ex Ordine Franciſcano; de quibus ne ſuſpecta ſint, quæ dicam, nolo quidquam ex Bzo-

uio decerpere ; ſed aduoco in teſtes duos grauiſſimos ſcriptores Annalium Eccleſiaſticorum, Spondanum, & Odericum Raynaldum ex Oratorij, id eſt ex Baronij familiâ, qui nihil deterritus Bzouij, & Spondani labore in proſequendis, & abſoluendis Baronij Annalibus, vltimus omnium idem opus aggreſſus eſt, & putauit Annales Baronij, quaſi iure familiæ ſibi abſoluendos eſſe. Ille itaque egregius & ſinceriſſimus Author, necnon Spondanus ad annum 1318, grauiora, quàm Bzouius de huiuſmodi Apoſtatis narrant ; & omiſſo Spondano, qui videri poterit, ita habet Raynaldus.

Signifer horum hypocritarum extitit Henricus à Cerâ familiæ Franciſcanæ Apoſtata, atque hæreſiarcha, qui plures ex eo Sacro Ordine infecerat. Deſciuerant ij adeo à B. Franciſci inſtitutis, quibus reuerentiam in Chriſti Vicarium, Cardinales, &c. imperauerat, atque in eam ſuperbiam viri impij proruperant, vt duas fingerent Eccleſias, alteram diffluentem opibus & deliciis, obſitâmque ſordibus, cui præeſſet Romanus Pontifex ; alteram humanarum rerum inopiâ diuitem, ac virtutum omnium genere exornatam quâ ipſi ſoli continerentur, negarent Præſulis vllâ, vel ad ius exercendum, vel diuina conficienda authoritate pollere, virtutem Sacramentorum à Sacerdotis ſanctitate pendere, Chriſti Euangelium extinctum olim in ipſis reuixiſſe, & florere effutiebant.

Addit idem Author Ioannem XXII. Bullâ quæ incipit : *Fratrum Minorum ſacer Ordo, &c. Huiuſmodi nefandas hæreſes vt elideret ſingulas cumulatis diuinæ ſcripturæ Oraculis refutaſſe.* Præterea tantarum hæreſeon calumnias his Pſeudo Minoritis contendere Authorem recentiorem, (Dermitium intelligit ;) quibus adde Vvaddinghum, & Theophilum, ex inanibus coniecturis huiuſmodi Franciſcanos à ſodalibus contra fas accuſatos, eo quod *obſoleſcentem*, inquit Dermitius, *ſancti Franciſci diſciplinam ſuo ſplendori reſtitui cuperent, & maximè Petrus Ioannis, qui ſub Nicolao IV. incurrit aliquorum, quibus vita laxior placuit, indignationem ex ſtudio veræ diſciplinæ.*

Sed contra Dermitium ita proſequitur Raynaldus. *Crediderim authorem hunc ignoraſſe Petrum Ioannis inſignem Hypocritam, plurium hæreſeon inuentorem, iudicia-*

riâ ſententia damnatum; neque aduertiſſe, quàm longè abſit à ſedis Apoſtolicæ in condendis decretis maturitate, dignitatéque, ob leues obtrectatorum ſuſurros, ita Chriſtianum orbem commouere. Hæc ad Theophilum pertinent. Addit efficaciora eius calumniis refellendis, cum refert huiuſmodi Apoſtatarum ſectam contaminatam hæreſibus, Cœleſtino Pontifice germinaſſe, in eam Bonifacium VIII. Benedictum XII. Clementem VI. leges diſtrinxiſſe, quod inter alia confingerent, omnem Eccleſiæ authoritatem in ipſos refuſam; Pontifices vero illius inanem vmbram, & laruam præferre: neque excuſari poſſe huiuſmodi Pſeudo-Minoritas, quòd percuſſi anathemate authoritatem ſoluendi peccata ſibi arrogarint; ob quam, & ſuperiorem hæreſim illis rogi parati fuerunt, & Maſſiliæ quatuor flammis addicti propter hæreſim de paupertate, vt habet manuſcriptum Vaticanum: Ita Odoricus.

Nolim negare Franciſcanorum nonnullos paupertatis ſtudio, in hos errores fortè incautos fuiſſe abreptos. Id enim primum contendebant, abdicationem omnis proprietatis in bona priuata, vel communia pertinere ad perfectionem paupertatis Euangelicæ, quam ſuo exemplo Chriſtus, & Apoſtoli nos docuerunt, & ſuâ regulâ S Franciſcus ſuis filiis præcepit. Hactenus hæc vera, & ad minus probabilia ſunt, nec hæreſim reſipiunt. Sed ab eâ vix excuſare poſſis quæ ſubiungebant, hanc abdicationem dominij in quodcumque bonum, ſeu priuatim, ſeu in commune poſſeſſum, à Chriſto vſurpatam & ſancitam, ita certum eſſe, vt qui negauerit, hæreticus ſit, vel qui paſſus fuerit aliquod in commune bonum, non ſolùm à perfectione regulæ Franciſcanorum deficiat; ſed etiam ab exemplo Chriſti, & à lege Euangelij.

Hinc veluti rupes è monte abſciſſa in varios errores præcipites abierunt; à quibus Theophilus vult immunes fuiſſe; vt Dominicanos, & Bzouium grauet odio, & inuidiâ paupertatis, & perfectionis Euangelicæ profligatæ, eoſque participes faciat impietatis Vvicleſi, *in Concilio*, inquit, *Conſtantienſi damnati, quòd docuerit Fratres debere victum quærere labore manuum, non mendicitate*: quaſi vnica ſit mendicitatis, ſeu paupertatis Euangelicæ ratio indiuiſa, expers dominij in quodlibet bo-

num: quasi possessio quæcumque bonorum, quæ in commune habentur, paupertatem Euangelicam protsus dissoluat.

Quid ergo tibi voti paupertatis reo? Quid aliorum Ordinum, qui bona in commune possident Religiosis fiet? Excludendi sumus omnes à Mendicantium, & Euangelicæ paupertatis Professorum catalogo, ac proinde priuandi mercede à Christo promissâ iis qui sui causâ omnia reliquerunt, & ipsum sunt secuti? Quis hæc absurda & impia non videat necessariâ consecutione deduci, si semel vnica sit mendicitatis species à Vviclefo proscripta? Si ita sit, vt tu ponis & fingis, Vviclefitæ fuerunt Pontifices à Raynaudo recensiti, qui hanc tanquam præcipuam hæresim, & reliquarum originem damnarunt in pseudo-Minoritis; quòd paupertatem Euangelicam vnius gradus indiuisi agnoscerent, non minùs positam in bonorum possessorum in commune, quàm priuatim abdicatione. Quis ferat Theophile, tuam in permiscenda sacra prophanis audaciam? Quis numerum inire possit mendaciorum, quibus hanc contra Bzouium vix semipaginæ accusationem conflasti? Non satis tibi fuit ipsi improperasse, vt sacrilegium, *quòd non exhorruerit scribere artificem omnis doli Sathanam persuasisse Fratribus Minoritis spectare ad perfectionem nihil habere, & omni dominio carere etiam in communi.*

Omitto quod apud Bzouium nullum horum verborum extat. Non dicam potuisse citra vllam culpam his verbis damnare illam vnicam mendicitatis speciem à Summis Pontificibus explosam. Parum tibi visum est nos Vviclefi asseclas feciſſe; & Bzouium incurrisse excommunicationem ob damnatum Fratrum Minorum institutum, quasi excommunicationem commeruerit relatis decretis Pontificum in hæreticos; quasi non aliud sit Franciscanorum institutum, quàm quod fingebant iurati hæretici, & veri Pontifices profligabant.

Non es contentus hac colluuie falsationum; voluisti hanc cum Minoritis concertationem, vel accusationem Bzouij tribus additis nouis plagiis adornare, & cumulare. Initiò huius operis monui, vix nos posse tuo scripto respondere, quin eius vitiis inficiamur, quia co-

gimur referre, & refellere quæ tu futiliſſima, & falſiſſima ſcribis. Primo de Dominicano, cui vis cognomen eſſe Ioannis, cuiuſdam Epiſcopi paraſitâ, mendicitatem religioſam in gratiam Epiſcopi ſcommatibus proſcindente, quem vis obmutuiſſe cum rubore obiectis Sancti Dominici vltimis verbis, quibus filiis ſuis paupertatem hæreditariam relinquebat, & intorquebat maledictionem in eos qui prouentus in Ordinem à ſe conſtitutum inducerent. Hæc quæ inter pocula narras dicta geſtaque, magis ad ſimpoſiaca, ſeu ad Lutheri conuiualia colloquia pertinent, quàm ad ſeriam diſputationem; niſi forte maledictionem paternam intentes in Dominicanos qui annuos cenſus habeant, quaſi authoritas Pontificia, quæ ex te poſſit votum ſolemne diſſoluere, nequeat in tuto ponere eos, quibus huiuſmodi cenſus non ſolum permittit, ſed iubet etiam ſeruare, aut vetat vel minimùm minuere.

Multò futilius eſt ſecundum, quod addis: negata ab vno concionatore Dominicano Opaniæ in Morauiâ ſtigmata Diui Franciſci quæ ſoli hæretici negant: his eodem contextu, & mendaciorum filo aſſuis ab Eymerico ſecunda parte directorij viſum, hæreſeos damnare accommodationem illorum verborum ex Apocalypſi. *Vidi Angelum aſcendentem* Franciſco olim à Sancto Bonauentura factam. Quam longè excurris, Petre, per varias orbis regiones, per ſuperiora ſæcula, vt vndequaque comportes varia in Dominicanos teſtimonia ſine vllo iudicio, aut delectu, aut fide, atque hoc vnico fructu, vt malum tibi nomen nouis titulis aſſeras, & confirmes. Quid enim ille concionator, notus tuâ relatione, qui nonniſi commenta fingis contra tot illuſtres teſtes, tot viros graues, qui Diui Franciſci ſtigmata credunt, & venerantur?

Ignoras Benedictum XI ex Ordine Prædicatorum ad Sedem Apoſtolicam aſſumptum Authorem fuiſſe Feſti ſtigmatibus ſacri? Quod etiam apud nos celebratur die 17. Septembris, nec vllus, quod ſciam, ex noſtro ordine hoc decus Diuo Franciſco negauit, niſi velis Diuam Catharinam Senenſem eiuſdem gloriæ, & gratiæ conſortem fieri, perinde eſſe ac Franciſcum hoc miraculo fraudare: quaſi inter diuos apud quos regnat charitas

ſumma, interſit hæc æmulatio, etiam apud homines pudenda, vt nihil ſuum putent; niſi habeant ſingulare, & eximium, idémque ſit alicuius boni iure excidere, ac quemquam illius vſuræ conſortem habere.

Eadem fide, & conſcientiâ accuſas Eymericum amaro zelo efferbuiſſe in accommodatitium ſenſum verborum Apocalypſis, *Vidi Angelum*, in laudem Diui Franciſci. De Rege illo fertur inauraſſe, aut potiùs in aurum ſolidum commutaſſe quidquid contingeret etiam lutum; tibi vero nihil ſanctum, nihil verum quod non arripias in calumniæ argumentum. Eymericus ſecunda parte directorij quæſtione 15. Begardorum erroribus enumeratis, hunc 50. recenſet, viros ſpirituales, quales ſe reputabant, & Euangelicos quorum operâ extincto Antichriſto fundanda erat Eccleſia 12. tribubus Iſraël prædicaturos, ex qualibet tribu 12. millia electorum conuerſuros in milites aggregandos Angeli manibus habentis ſignum Dei viui, id eſt Franciſci ſtigmatibus Chriſti vulnerum inſigniti, & hos milites ſignatos pugnaturos cum Antichriſto, eúmque occiſuros ante aduentum Eliæ & Enoch. Hæc inſomnia Beguinorum damnabat Eymericus ex Apocalypſi deprompta; non verba in Franciſci laudem accommodata: quæ potuiſſent ſine dubio excuſari, niſi tot fuiſſent erroribus corrupta.

Quem putas, Theophile, hæc tua quæ aperio, commenta ſtuporem lectoribus incuſſura? Vel quid tibi ſenſus futurum ſit, ſi vnquam iſta legeris, neſcio. Certè ſi quis probus tot calumniarum conuinceretur, non puto ſuperſtitem futurum huic accuſationi, ſed dolore, aut pudore animam exhalaturum. Verum de te nihil tale timendum, aut ſperandum. Imo ſicut ſitibundo turbida aqua ſuauior eſt ambroſia; famelico nullus panis eſt inſipidus: ita tibi calumniarum in Dominicanos inexplebili ſiti flagranti nullum non placet conuitiorum, aut mendaciorum genus. Ita enim cæco impetu in nos ageris, vt ſomnies Dominicanum eſſe quidquid Sedi Apoſtolicæ aduerſatur.

Hæretici, inquis, *ad Pontificum ſubſannationem vix aliquid crebriùs ructant, quàm narrationem de Ioanna Papiſſa. At primus orbi has merces intulit Martinus Polonus.*

Ordinis Prædicatorum, vt benè statuit Trithemius libro de Scriptoribus.

Quis ad tuam Petre proiectam nos traducendi audaciam non obstupescat, aut cohorrescat? Id enim à te quæro, cum Trithemium voces in tuæ accusationis testem; cum duo asseras, Martinum Polonum Dominicanum fuisse: deinde primum euulgasse Ioannæ Papissæ fabulam; in quam vis accusationis partem adscisceres testimonium Trithemij? An in vtramque partem, an quod fuerit Dominicanus, vel fabulæ Auctor? Certum quidem est Trithemio Martinum esse Prædicatorum Ordinis, scripsisse præclara opuscula, qualia sunt tabula decreti, & Chronica succincta. Sed vbinam benè statuit, primum orbi Ioannæ Papissæ commentum aperuisse?

Dices inde haberi, quòd Chronicam succinctam teste Trithemio scripserit, in quâ licet hoc taceat Trithemius, legitur huiusmodi fabula, & hoc potes hoc argumento confirmare. Vnus est tantum scriptor Martinus Polonus nomine, isque Dominicanus, qui teste Trithemio scripsit Chronicam, in quâ extat huiusmodi fabula; ergo vnus Dominicanus primus omnium euulgauit Ioannam Papissam. Quid ad istas tuas consecutiones? Minabaris nobis antè maledictionem paternam, quòd paupertatem Euangelicam nobis in hæreditatem à Diuo Patre Dominico relictam dilapidauerimus, admissâ in commune bonorum possessione: ego tibi contrà repono ex cap. 5. Isaiæ certiorem maledictionem, quam in tuum caput aduocasti hac consecutionum, vel potiùs mendaciorum cathenâ, *væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.*

Tria assumis incerta, aut potiùs falsa: primum dari tantum vnum Martinum Polonum; contra te sentiunt innumeri doctores, qui duos distingunt, Cistercienſem vnum, Dominicanum alterum. Deinde sit vnus tantùm; Bellarminus, Possevinus eiusdem tecum Societatis, moribus dissimillimi asserunt Monachum Cistercienſem, non Dominicanum. Quidquid sit, certum est tertiò fabulam non extare in Chronicâ Martini Dominicani, sed Cistercienſis. Vltimo tandem, quamuis

extaret; inuictis argumentis, & teſtimoniis manuſcriptorum demonſtratur Beroldum Typographum Baſileenſem hac fabula auxiſſe Chronicam Martini Poloni, quæ cum pluribus aliis figmentis deeſt manuſcriptis, quæ extant in diuerſis bibliothecis, maxime Pariſiis apud Gabrielem Nanderum eſt vnum exemplar in membranis exaratum valde diuerſum ab impreſſo, in quo nulla fit mentio Ioannæ Papiſſæ, Teſte Labæo in bibliotheca noua.

Ita ex Seuerino Bino, ex Suffredo refert Carolus de Viſch, in bibliotheca Ciſtercienſi: ſed eadem habet Aubertus Mireus multoque fortiora ad refellendas Theophili fraudes, in ſua rerum Belgicarum Chronicâ pag. 141. *Inter Leonem IV. & Benedictum III. indocti quidam & male feriati homines, mediam Ioannam Papiſſam inſeruerunt apud Sigebertum Gemblacenſem, Marianum Scotum, & Martinum Polonum, qui nihil vnquam tale ſcripſerunt, aut ſomniarunt, vt probant in primis Sigeberti exemplar authographum, aut illius ætate ſcriptum Gemblaci, aliaque plura manuſcripta; in quibus nihil prorſus de Ioanna illa ſcriptum, ne ad oram quidem librorum reperi.*

Quod ad Marianum Scotum attinet, Chronicon eius in Pergameno charactere vetuſtiſſimo ipſius, Sigeberti ætate, vt videtur, exaratum, in eadem bibliotheca Gemblacenſi aduerſatur, in eo nulla Ioannæ Papiſſæ fit mentio: Martinum Polonum nihil tale ſcripſiſſe teſtatur is, qui illius Chronicon Agrippinæ annis ſuperioribus edidit. Ex quibus liquet Sigebertum, Marianum, & Martinum Polonum tanquam fabulæ huius authores, & aſſertores à Baronio, aliiſque iniuſte accuſari.

His omnibus à me relatis, conuenio te P. Theophile, cur auſus ſis hæc verba ſcribere; *Primus orbi has merces intulit Martinus Polonus Ordinis Pradicatorum*, vt benè ſtatuit Trithemius lib. de ſcriptoribus? Vt taceam nihil tale ſcripſiſſe Trithemium, nec ex illo poſſe erui huius tuæ accuſationis vllum argumentum, niſi *funiculis vanitatis*, niſi incerta & falſa pro veris, & compertis habeas. Vel ſciebas quæ ex Bellarmino, Poſſeuino, Mireo, Carolo de Viſch retuli, aut duos eſſe Martinos Polonos,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [361] - 301
PUBLIC DOMAIN

aut vnum Ciſtercienſem, eiuſque Chronicon corruptum ab hæreticis, poſteriorem eſſe ætate Sigeberto; & Mariano Scoto, quorum libri eaſdem corruptelas paſſi erant, vel hæc omnia ignorabas?

Poſtremum iſtud nec fateberis, nec ſi velles, credi poſſet de te, tanto librorum helluone: ſi verò primum vltrò agnoſcas, quâ fronte, quâ conſcientiâ ſcripſiſti tamquam rem compertiſſimam, & benè à Trithemio conſtitutam, Prædicatorum Ordinis ſcriptorem inuexiſſe primùm fabulam Ioannæ Papiſſæ? Quaſi apud omnes eſſet certiſſimum, quod negant Poſſeuinus & Bellarminus Martinum Polonum eſſe Dominicanum; quaſi Sigebertus, & Marianus Scotus, apud quos eadem fabula legitur, Martinum Polonum, vno aut altero ſæculo non præceſſerint.

Dices forte iſtorum, non Martini Poloni interpolatos fuiſſe libros à Plagiariis, & illis inſertam fabulam Ioannæ Papiſſæ: Non dubito quin præcluſo omni alio perfugio, iſto te recipias: qua vero id ratione queas ipſe videris, cum iidem Authores teſtentur hos tres hiſtoricos eandem ab hæreticis iniuriam paſſos. Sed ipſe nullam cauſam admittis, quæ Dominicanos apud te excuſare poſſit.

Famem Antiqui eleganti epitheto *Maleſuadam* vocabant, quòd homines quos premebat, ad horrenda quæque voranda, & ſi cætera deeſſent, ad ſe ipſos mandendos cogeret. Quo te Petre non adigit, non auri, ſed calumniæ Dominicanis inferendæ ſacra fames? Parum eſt quòd obuia quæque futilia, falſa, & minùs ad deterendam noſtram famam, quam quæ ad alendam vitam fame enecti deuorant, opportuna arripias, Te ipſum etiam videris prodere, & omnem probi hominis de te opinionem profligare; cum adeo enormia, quæ facillime falſi conuincantur, nihil dubites comminiſci: in tuum erit æternum dedecus, has duas lineas cum dimidia ſcripſiſſe, *Primus orbi has merces intulit Martinus Polonus Ordinis Prædicatorum, vt bene ſtatuit Trithemius libro de ſcriptoribus*: quibus plura deprehendimus mendacia, quàm extent litteræ, aut ſyllabæ: & poſt iſta adhuc Velaſco iudice, audies tanquam *totius ſapientiæ compendium*; veriùs dixiſſet omnis plagij, aut ſi

quod grauius nomen occurreret. Sed ad reliqua progrediamur.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Responsio ad septimam obiectionem & ad postremam Diatribæ partem.

QVod ex Diatriba 2. supereſt, simile eſt superioribus, nisi deterius dicas, sicut solet cuiusque rei malæ finis pars esse pessima. Verè dixeris *arenam esse sine calce*, aut fabularum & conuitiorum colluuiem, quæ nullam nec veri similitudinem, nec speciem habeant argumenti; quia nihil probant.

Huius generis primum eſt illud, quod dicis à nullo atrociùs dehoneſtatum Bonifacium VIII. quàm à Ptolomæo Lucensi Ordinis Prædicatorum, eidem affingente hæresim, quâ litteris ad Regem Galliæ scriptis sibi vindicabat dominium rerum omnium, non solum spiritualium, sed etiam temporalium, tanta asseueratione; vt hæresis damnaret, qui dominium hoc ampliſſimum vel minimùm minuerent. In primis nullum huius accusationis Teſtem, nisi teipsum habes; nec citas quo loco, aut libro hæc Ptolomæus de Bonifacio scripserit, & quid mali fuisset retuliſſe, quod eo sæculo vulgatiſſimum erat: at tu iniquus es in Dominicanos, vt à simplici narratione hiſtorica rei compertiſſimæ, putes atrocius habitum à noſtro Ptolomæo Bonifacium VIII. quàm à Nogareto, qui illi armata manu alapam impegit, quam à Sara Columna, & aliis, qui Ananiæ, quasi captiuum detinuerunt, quam ab his, qui maligne scripserunt ingreſſum vt vulpem, &c. adeone tibi atrox visa eſt, in Bonifacium iniuria, retuliſſe ex vulgi rumore eam opinionem secutum, quam è Societate Theologus Santarellus, vt veritatem Catholicam scripto libro propugnauit?

Ptolomæi Lucensis ante tuas Diatribas erat mihi prorsus nomen ignotum; ex Posseuino didici scripsiſſe hiſtoriam Pontificum vsque ad Cæleſtinum V. deceſſorem Bonifacii; ergo non attigit Pontificatum Bonifacij.

Quo ergo libro de Bonifacio egit ; cum præter historiam Pontificiam, quæ in Cælestinum V. desinit Posseuinus multò te exactior & fide dignior nullum scripsisse librum asserat. Tui muneris est probare præter historiam, aliud opus edidisse ; vnde tuam adeo, vt putas, atrocem accusationem hauseris.

Addit 2. Raynaudus etiam à Iacobo de Voragine, & Claudio à Rota Dominicanis fabulas multas obtrusas esse pro actis sanctorum : sed quid tum ? Negligentiores fuerunt, magis vitio sæculi, quam suo Iacobus de Voragine, & Claudius à Rota Dominicani in consignandis Legendis, quas vocant *aureas*, & Theophilus cum Ludouico Viues plumbeas censet appellandas. Emunctioris naris homines Melchior Canus, & Franciscus Combefisius has Iacobi de Voragine, & Claudii à Rota, nec non aliorum legendas optarunt magis emendatas, & conati sunt emaculare ; sed magis tibi Theophile, horum acre iudicium, & diligentia displicuit, quàm superiorum supinitas. Malè consultum esset Dominicanis, si penes te foret illorum sors.

Vis dicam, cur benignior sis in Iacobum de Voragine, quàm in Canum, & in Combefisium ? Non dubito quin mihi assentiant sapientes, qui tuum morbum norunt ; quod hi duo postremi, non solum tecum (quod illis decus non esset ;) sed etiam cum doctissimo quoque, & huius, & superioris sæculi in rebus sacris tractandis, eloquentia, & eruditione certent. Te aut tuos, primos, aut solos in re litteraria putas, vel certe velles. Sed cum non sit, vt inquit Aristoteles, *nostræ facultatis opinari*, tot, & tantæ in Cano, & Combefisio dotes extant, vt si eas assecutum te putes, cæcus omnino sis, & tibi nimium indulgeas. At animaduertant omnes, quàm leuia, quàm falsa sint, quæ Combefisio opponis. Nam vt illi detraheres, voluisti ad fidem pertinere, quæcumque continentur Martyrologio ; & putasti, nullum errorem potuisse obrepere, nullâ vltrâ opus esse inquisitione. Certe non debuit Theophile, ita acerbe à te vapulare Pater Combefisius ; quòd aliqua in Martyrologio iudicauerit animaduersione digna, vel quòd lapsu calami supparem Baronio fecerit Surium. An ita cæcutis ad

prima

prima Religionis elementa ; vt nescias hæc ad fidei dogmata non referri.

Addis 3. Dominicanos conclamasse, & inflammasse Innocentium X. in miselli Teuthonis caput, qui vulgarat conclusiones de virtute fidei, & iudice controuersiarum; quia inter eas vna fuit, non esse de fide, tunc singularem Pontificem nunc sedentem esse Christi Vicarium; & tamen hanc eamdem doctrinam fuisse explicatissimè traditam à Turrecremata, Caietano, & Cano Dominicanis.

Non attendis Theophile, dum Dominicanos lacessis, te in Summos Pontifices crudeliùs sæuire. Quid enim vis à Dominicanis Innocentium X. fuisse inflammatum in Teuthonis caput, vt persuadeas Ecclesiæ hostibus, ita solere circumagi Summos Pontifices, eorumque prauis affectibus indulsisse magis, quàm bonum & æquum inspexisse? Vide quot & quanta importes mala in Sedem Apostolicam; dum cæco in nos impetu ruis. At Turrecremata, inquis, & Caietanus sensetunt negatam à Teuthone Propositionem non esse de Fide, eâque saluâ liberum esse opinari, & disputare cuique, in quam libuerit partem.

Quid inde? Alii plures Dominicani secus, opinati, sunt nec potest negari, sententiam, quæ asserit esse de fide, hunc singularem Pontificem nunc sedentem esse Vicarium Christi, fauere fidei Catholicæ, vt ex Cardinali de Lugo tract. de fide. Disp. 1. Sect. 13. constat. Quid ergo vis tueri opiniones minùs consentaneas fidei Catholicæ, & iuribus Summorum Pontificum, & Dominicanorum erga rem Catholicam zelum inuidiæ insimulare; eo quod germanus ille è vestris discipulis esset? Eo temeritatis deueniisti, vt asserere audeas, *Hæresim Lutheranam ex cupiditate nimiâ Dominicanorum omnia ad se trahentium progerminasse.* Parum abest quin Lutherum in totum absoluas, vt Dominicanis crees totam malorum inuidiam.

Lege historiam Concilij Tridentini ab Eminentissimo Cardinali Pallauicino conscriptam, Part. 1. lib. 1. cap. 3. vbi comperies indulgentiarum promulgationem in Germania tunc arbitrio creditam fuisse Alberti Archie-

piscopi electoris, qui hac in re sponte suâ vti voluit, opera Ioannis Tetzel inquisitoris Dominicani, simili delegatione pro Equitibus Teuthonicis paulò antè fæliciter perfuncti, cuius proinde eo in munere obeundo prudentia, atque integritas apud omnes manifesta erat. Quòd autem Lutherus tunc Augustinianus hoc ægrè tulerit, & æmulatio aliqua inter Dominicanos, & Augustinianos intercesserit; non ideo ortus hæresis Lutheranæ tribuendus est Dominicanis, qui ab Electore ad promulgandas indulgentias accersiti fuerant.

Quid ergo Theophile, hæresis Lutheranæ initia Dominicanis attribuis? Adeo iniustus es in Dominicanos, vt ipsam infallibilitatem, pro quâ acriter in speciem pugnas, paratus sis Pontifici abrogare, si contra tuum sensum illis faueat. Hac de causâ parum abest, quin Ioannem XXII. in dubiorum Pontificum ordinem releges. *Tanta*, inquis, *Ioannis in Cyriacos inclinatio animi, ita vt ab eis ad nutum circumageretur: quanta mala in Ecclesiam per illud tempus induxerit, nemo ignorat.* Animaduerte Lector, quâ temeritate, de Ioanne XXII. ob cum loquatur hoc loco Raynaudus, Dominicanos iniuriosos esse Pontificibus, asserit & Ioannem XXII. multa mala induxisse in Ecclesiam ex nimia in Dominicanos inclinatione, & ab iisdem etiam circumactum esse.

Multa deinde addit commenta; inter quæ illud palmare, quod Minores per Ioannem à Cyriacis concitatum malè habiti sint. Constat autem, vt iam diximus, aliquot Minores tunc temporis incidisse in multas hæreses, vt videre est in Annalibus Ecclesiasticis ab Odorico Raynaldo conscriptis loco supra citato: quare non à Dominicanis in fratres Minores concitatus fuit Ioannes XXII. sed ex Pontificis munere debuit in hæreses lapsos compescere; & nisi correxisset, in officium Pastoris peccasset.

Theophilus ita in Dominicanos furit, vt Summis Pontificibus iniuriosus sit, & hæresum patrocinium suscipiat; quod multo grauius est ipsa hæresi; nam vt in eadem causâ Pseudo Minoritarum, quidam Cardinalis relatus à Raynaldo sapientissimè, *atrocius est errantis crimen, errorum vindiciis.* Sed videat Theophilus, quàm dissimiles sibi, & hominum huius sæculi fuerint Dominicani; dicit Ioannem XXII. maximè Domini-

canis fauisse : sed vt agnoscat, Dominicanos omni humano affectu intactos, aut maiores : sciat, nihil illis antiquius veritate fuisse, ideoque eidem Ioanni XXII. constantissimè restiterunt, quod visionem beatam ad finem sæculorum differret, & animabus extra corpus positis vsuram beatitudinis negaret.

Sed te intestabilem prodis Theophile, dum accusas Dominicanos, *concredita de fide Inquisitionis munus, tam dirè præter Pontificum sæpe numero mentem obiisse, vt populorum à Pontificibus abalienationem, & Religionis à tam austeris ministris defensæ horrorem multis ingenerarint. Pontifices, mandata ministris suis præscribere, non dare prudentiam posse; itaque*, inquis, *homines claustro, & vepribus scholasticis assueti, rudes apicum iuris, & à sale, quo omnia negotia, vt prudenter obeantur, condienda sunt, malè constituti seralitate suâ, simplices facile percellunt, non absque graui Religionis detrimento; vt cum immani publici boni, & Ecclesiastica Hierarchiæ sauciatione deprehensum est in inferiori Germaniâ.*

At hæc Raynaude, sunt tui cerebri figmenta, & vera calumniarum portenta. Quam enim adeo atrocis accusationis fidem facis ? Quo testimonio probas ? Scilicet vnius Eleutherii Nisseni hominis ignoti. Sed hic superum, & hominum fidem imploro, & te calumniatorum deterrimum demonstro, quòd nullâ conscientiâ, nullo pudore, (vtrumque enim prorsus eiurasti) Dominicanis velis imputare Geusiorum in Belgio strages, & tragœdias inquisitionis odio natas. An ignoras, in Belgio, inquisitionem Hispanam, non Dominicanam, quæ omnino diuersæ sunt, fuisse constitutam ? Sed tu nullâ fide vtramque confundis; vt omnium malorum, quæ vel hæresis, vel metus Inquisitionis his Florentissimis Prouinciis intulit, Dominicanos authores facias.

Neque æquius iudicium, aut maiorem fidem demonstras in causâ Ianseniſtarum, quam vbique obtrudis, sed tuis artibus falsatam. Putasne nos ignorare, etiamsi pertinacissime taceas, huius successus felicitatem vnice Thomistis deberi ? Vbi nam è toto opere Ianseniano quinque propositiones primum ad Examen vocatæ sunt ? Nonne Parisiis in scholâ Sorbonicâ, vnde ad Episcopos Galliæ delatæ, & subinde Sedis Apostolicæ iud i-

cio subiectæ sunt ? Sed cuius beneficio primam victoriam, vnde reliquæ consecutæ sunt retulistis contra septuaginta acerrimos defensores ? Nonne Patris Nicolai Dominicani Theologi operâ ; qui fama eruditionis reliquis non solum Thomistis, sed etiam aliorum Ordinum Theologis sibi adiunctis, suffragiorum numero vicit Ianſenianas partes ?

Nonne conuentum est, & sanctè iuratum non agi de DD. Augustini & Thomæ Doctrinâ, quam sartam & saluam volebant omnes ; sed totam pugnæ, aut iudicii aleam verti in Ianſenium Thomistis perinde, ac Molinistis infensum ? Cur hæc Parisiis, & Romæ peracta dissimulas ? Si nescias, cur ignota tibi adeo fidenter tractas ? Si nosti : cur tot mendaciis rerum fidem corrumpis ? Quale est illud *Patris Generalis exquisitum*, vt tu loqueris *capiti lauium à Pontifice, quod huiusmodi errorum omni conatu damnationem impediret :* cum certissimum sit conuenisse cum tuis, nec ipsum, nec Ordinem huic iudicio reclamaturum.

Nec minus commentitiæ sunt illæ litteræ, quas dicis Parisiis scripsisse ; vt nostri Theologi pugnarent pro Ianſenio ; cum certissimum sit, eius consilio, aut potius imperio omnes contrà stetisse, & plures etiam in ipsum calamum distrinxisse. Nec minùs à vero aliena sunt, quæ garris de Patribus, Nolano, Reginaldo, & Dufour. Patris Nolani detenti causam ignoras, si Ianſenismo defenso adscribas ; si quæ causa fuerit subiti discessus Româ Patris Reginaldi ; certo scio non fuisse dissensum à censurâ. Non suscipio Patris Dufour defensionem, cuius ipse partes ita pro dignitate impleuit, vt Aduersariorum ora obmutuerint. Thesim, ad S. Honoratum defendendam adeo falsum est Patres nostros probasse ; vt ipse Vicarius Generalis primus proscripserit, & Cancellarii, atque Nuncij Apostolici authoritatem aduocarit.

Atque hæc de Ianſenianâ censurâ semel dicta sufficiant, ne videar tua vitia imitari, qui multoties nullo ordine, nullo iudicio eadem repetis, vt videaris magis temerè, quàm consultò scribere. Nam quod de Ianſenii consensu cum Thomistis toties obstrudis ; adi Patrem Bernardum Guiard Prouincialem Parisiensem, adi Sibyllam, & innumeros alios Thomistas, qui libris editis

demonstrant, quàm immane distet schola nostra à Iansenio: adi ipsum Iansenium, qui nihil sibi vult esse commune cum Thomistis; repete memoriâ, quam non potes ignorare expetitam à vobis nobiscum, & factam concordiam.

Quoad mentem Diui Thomæ circa B. V. Conceptionem nos sæpius arguis, tanquam Diui Thomæ plagiarios, & interpolatores. Magnâ, fateor, opus est patientia, vt importunissimi huius hominis molestias feramus. Modo inueheris in nos quasi cæcos, & nullius, aut præposteri iudicij, quod seruum Dei eius matri anteponamus; quod nobis antiquior sit Thomæ, quàm Mariæ gloria, & illius doctrinæ defendendæ causâ, huius innocentiæ aduersemur Subinde traducis nos tanquam Thomæ corruptores, & loca, quæ de Conceptione agunt, à nobis deprauata cum Pineda contendis.

Antequam ad hæc respondeam, vnum te rogo, ne à te ipso dissentias. Scis comprobatam Susannæ castimoniam dissensione accusantium. Non mirum duos testes seorsim interrogatos diuersa, & contraria respondisse. At quis non miretur, vnum à se ipso disiungi? Meministi dictum ab antiquis, virtutem constare conuenientiâ: sed ea magis necessaria est ad vim testimoniorum: si diuidantur, euanescunt: Quo iudicio, & quo sensu nobis improperas, corruptum Thomam, & Deiparæ antepositum? Non sunt magis hæc contra nos, quam quæ Christo obiiciebantur, conuenientia testimonia: si interpolauimus, si corrupimus Thomam; ergo non ipsum Dei Matri præferimus, sed nostrum sensum, quem hac corruptelâ confirmauimus. Quicquid sit, non potest vtraque accusatio stare, nec debemus vtriusque inuidiam ferre; oportet saltem nos ab alterutrâ leuari.

Quoad stigmata Sancti Francisci, iam diximus à Dominicanis nunquam fuisse negata; & cum hæc commenta scribis, videris exemplo inimici hominis zizania seminare discordiarum inter duos nobilissimos Ordines, neque enim hoc decus præripit Francisco, qui illud asserit D. Catharinæ, vt legere est in officio sacræ Virginis à Sacrâ Congregatione Rituum confecto, & approbato; in cuius lectionibus habetur, *ex Domini Crucifixi vulnerum cicatricibus quinque radios ad quinque loca corpo-*

ris D. Catharina descendisse, eosque radios D. Catharina precibus, colorem sanguineum mutasse in splendidum, & in formâ pura lucis peruenisse ad manus, pedes, & cor eius.

Eiusdem furfuris, vt tuis verbis vtar, est quod addis ex Ænea Syluio (sed hoc loco omisso, vt soles, ne mendacij conuincaris,) quemdam Theologum nomine Nicolaum Burgundionem ex Ordine Prædicatorum, acriter impugnasse causam Eugenij. Sed præter quod dubium mihi est, an ille fuerit Dominicanus, quia iam comperimus te ad libitum hac veste donare quoscumque reperis malè affectos in Summum Pontificem. Quid mirum? si ex omnibus Christiani orbis partibus contra Eugenium coniuratis vnus repertus fuerit Dominicanus? Sed cur taces in eodem Concilio tantâ constantiâ Sedem Apostolicam à Turrecremata nostro fuisse propugnatam; vt à Summis Pontificibus *Defensoris Fidei* glorioßissimum nomen promeritus sit. Concilium Basileense præ cæteris Oecumenicis ab Ordine nostro instituto habitis, Theatrum fuit longè celeberrimum, vnde Dominicanorum virtus, per totum orbem Christianum latè effulsit. Hoc singulariſſimum habet, nec cum aliis commune; quod in eo primum contra hæreticos Hussitas, vt mos est synodorum œcumenicarum ferè perpetuus, acerrimè, & feliciter Dominicanorum maximè operâ pugnatum sit: deinde quodam illius temporis infortunio & inimici hominis arte, tota belli moles in caput Eugenij IV. versa est. Quid inter has rerum vices, & grauissima certamina, ac pericula toti Ecclesiæ impendentia Dominicani? Intrepido & inuicto animo contra hæreticos, & pari constantiâ pro Eugenio stetere.

Primâ dimicatione quatuor grauissimis Theologis, qui in hæreticos agerent, à Concilio delectis, præiuit Ioannes Raguſinus Ordinis Prædicatorum procurator generalis, & totis octo diebus vnus cum Hussitis spectante Concilio, & sedentibus Patribus, manus conseruit: certamini succeſſit per quatuor dies Decanus Cameracensis; tertius totidem diebus disputationem prosecutus est ex nostris Henricus Kalteisen hæreticæ prauitatis Coloniæ inquisitor. Hæc Dominicani in hæreticos.

Quid verò in causâ Eugenij, si fides sit Æneæ Syluio scribenti historiam Concilij, cui à secretis erat, Pontificibus Romanis tunc infensissimo, & illius interpreti Theophilo, vnius Nicolai Burgundionis industriâ videtur Eugenius causâ cecidisse. Ad illud caput accusationis in Dominicanos ex relatione apud me dubiâ responderam coniecturis; quia nihil comperti habebam, nec diligenter euoluenti historiam Æneæ, ipsum nomen Nicolai Dominicani occurrerat. Nunc reperto apud ipsum aliorum potiùs, quàm meâ diligentiâ loco, quo huius Nicolai meminit, comperi malâ fide (vti solet) Theophylum, & præter Syluij mentem Dominicanum illum falsò accusatum ab aliis; qui Eugenium validissimè propugnabant, defecisse.

Neque enim id significant verba Syluij: & ideo locum subticuit Theoph. vnde calumniam depromsperat, ne ex illius loci lectione fraus euanesceret. Deinde Turrecremata dux strenuissimus aciei pro Eugenio stantis, Burgundionem absoluit: Narrat enim eò deductam Eugenij causam; vt quidam hæreticum, nonnulli relapsum pronuntiarent, reliqui ab vtroque eximerent, id est omnes, si nouem excipias, qui nec sibi consentiebant. Ex his verò septem erant Episcopi, cœnobitæ duo Episcopatus spe in aduersas Eugenio partes allecti.

Dices nostrum Nicolaum ad hunc postremum ordinem pertinere. Quo id teste probas, cùm verba Syluij alium sensum habeant? Neque Turrecremata id tacuisset, neque alij eiusdem instituti Patres passi fuissent id impunè Burgundionem tentasse: Nam is est mos Dominicanorum, teste locupletissimo Eminentissimo Cardinale Albitio (qui id se ab Vrbani VIII. felicis memoriæ, Summi Pontificis ore excepisse asserebat;) si quis Dominicanorum à fide in Deum vel Summos Pontifices, vel minimùm deflecterent, nullos habere qui se priùs, vel acriùs ad pœnas ipsismet Dominicanis deposcerent.

Tuam hanc secundam Diatribam concludis plaga, quam Cyriacos asseris *honori Pontificum inferre, per iniustam persæpe librorum damnationem Roma per eos factam, vel curatam: de quâ*, inquis, *tot querelæ verbo, ac scripto pridem insonuerunt ab hæreticis; nec rarò à Catholi-*

cis se iniuriâ oppressos videntibus. Doleo Theophile, te adeo inordinato erga tuos libellulos, à Sacra Congregatione Indicis iustissimè damnatos affectu transuersum agi; vt hæreticorum patrocinium, & partes suscipias.

Itaque non est hæc causa priuata Dominicanorum; sed publica totius Ecclesiæ; dum improbas censuram in libros hæreticorum & Catholicorum malos, à Sacra Congregatione Cardinalium Eminentiss. iustissimè latas. Quasi sapientissimi Principes nullam in iudiciis ferendis æquitatis rationem habeant; nec expendant, quæ à doctissimis consultoribus proponuntur: & nullo delectu, aut examine obductis oculis sinant se circumagi ab vno Congregationis Secretario, quem ignarum linguæ latinæ, vno verbo Arcadium Opilionem vocas incredibili audaciâ, & contumeliâ, quæ tota in Sacram Congregationem, atque illius Præsides Cardinales redundat. Quid de illis iudicas, aut ab aliis iudicandum relinquis, quos vis ab vno homine, quasi ab Arcadio Opilione duci?

Hinc tuus in huiusmodi censuras contemptus, quem litteris postridie Kalendas Maij anni 1662. Lugduni datis, apertissimè testatus es: Dum Amico ita scribis. *Plurimum humanitati tuæ debeo, & vellem nancisci tempus, quo liceret meum in te animum gratum, & beneuolum re ipsa testari: nescio quibus verbis vltimâ Epistolâ meam tibi mentem aperuerim, de censurâ à Dominicanis in Librum Cyriacorum intent. t[i]: horum minas nihil moror. Certè boni viri in Hispaniâ minore, suâ opinione gratia valent. In Galliâ vero minùs, quam in Hispaniâ; Romæ nihil propemodum possunt. Si quæ enim Romæ censuræ, ab alio, quàm à Summo Pontifice ex Cathedrâ proferantur, risu, & cachinnis sunt excipiendæ; & vno contemptu abiguntur. Caterum liber vbique placet, & omnium teritur manibus, nollem secundam in Hollandiâ editionem adornari; antequam libro plura addantur ab Authore parata.*

Hâc Epistolâ familiari suos intimos sensus, de Summi Pontificis, seu, quod perinde est, de Administrorum eius, & Congregationum ab illo constitutarum censuris, ita aperuit; vt verissimè reum agnoscas criminis Læ-

fæ-Maieſtatis Pontificiæ : cuius nos per ſummam iniquitatem falsò totâ hæc ſecundâ diatribâ accuſauit.

De Nicolao Burgundo, cum ex Syluio Ænea hæc retuliſſet, *hæc* (id eſt in Eugenium Pontificem lis mota) *circa medium menſis Aprilis initium ſuſcepit, induſtria quidem ac ſolertia cuiuſdam Nicolai Burgundionis, ex Ordine Prædicatorum, viri acuti, & longe maioris animi, quam corporis.* Hactenus Syluius: ſequentia ex ſuo penu addit Petrus, *qui nec diſputationum nec congregationum aures vnquam perſonare obmiſit, donec res capta & conſummata eſt.* Locum ex Syluio diu quæſitum, cum non reperiſſem, ſuſpicatus ab aduerſario rem confictam, in inuidiam noſtrûm; reſponderam nihil mirum videri, toto orbe in Eugenium coniurato, ſi quis Dominicanorum ad plures, paucitate, relictâ acceſſiſſet: ſed reperto à diligentioribus loco, euanuit calumnia, & in Authoris recidit caput.

Duo enim comprobata ſunt: primùm Æneæ verba interpolata; deinde, ſi quid mali Nicolao noſtro importent, non à Syluij teſtimonio, ſed à verbis quibus Theophilus authoris mentem corrupit, poſſe exiſtere. Ea citat Spondanus ad annum 1439. num. 22. quæ ita obſcura ſunt, vt Oedipo, aut Delio natatore opus habeant; veritas tamen & Nicolai innocentia elucebit, ſi obſeruet Lector Spondanum ex Syluio referre, ſynodum de causâ Eugenij in 3. ſciſſam ſententias: quidam quaſi hæreticum, alij etiam veluti relapſum damnandum cenſebant; alij denique ab vtroque reatu immunem abſoluebant. Poſtrema hæc ſententia ſuffragiis longè duas priores vincebat. Qui Concilio intererat cuiuſque magna pars fuit Turrecremata, ita teſtatur: & qui Eugenij damnationem promouerent, nouem tantum recenſet, Epiſcopos ſeptem, & duos, quorum nomen tacet, qui tædio vitæ Cœnobiticæ Epiſcopatus titulum vacuæ Eccleſiæ ambiuerant.

Hinc aliqua lux affulget ad noſtri Nicolai innocentiam comprobandam, quod inter Eugenij profeſſos hoſtes non recenſeat Turrecremata, non taciturus ſine dubio: nam is eſt mos Dominicanorum perpetuus, ſicut, comprobaui Eminentiſſimi Cardinalis Albizij & Vrbani VIII. teſtimonio, Dominicanos adeo infen-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [373] - 313
PUBLIC DOMAIN

sos erroribus, vt si qui suorum in eos labantur, primi deferant ad tribunal puniendos: quare non leuis est coniectura nonnullorum, Nicolaum Burgundum cum videret plures ab Eugenio, quam contra stare, ratum, opportunum tempus causæ Eugenij, eam promouisse ad iudicium, sed euentum eius spem fefellisse: vnde euanescit criminatio Theophili.

SECTIO QVARTA.

Dominicanorum in sanctos Pietas vindicata à calumniis tertiæ Diatribæ.

HÆc superest pars vltima primi libri vindiciarum Pietatis Dominicanæ familiæ, Diuorum cultus, venerationis, & imitationis studiosissimæ; vt demonstratum eo responsionibus ad Petri calumnias huius Diatribæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Diatribæ summa, cui generatim respondetur.

OMNIA sus déque miscet Petrus, vt Dominicanos odio, & execrationi generis humani deuoueat. Non vnum aut alterum priuatim, sed vniuersim omnes accusat, bellum Deo primùm, deinde Sedi Apostolicæ, tertiò diuis omnibus intulisse. Quæ de Gigantibus in cælum, & in superos arma mouentibus fingunt Poëtæ, asserit reipsa Dominicanos tentasse.

Primâ Diatribâ probauit eos esse Theomachos; quo successu iam vidimus: iuratos hostes esse Summorum Pontificum secundâ Diatribâ annixus est probare: Nunc quasi Agiomachos; & Diuorum Mastigas traducit, & longo ordine recenset conuicia congesta, primùm in Beatam Virginem à toto Ordine, deinde à Patre Reginaldo, & Combefisio; secundò recenset

Paulum à Nicolao Ianſenio per ludibrium habitum : tertiò D Stephanum, Hieronymum, Gregorium Magnum à Cano læſos grauiter ; quartò Chryſoſtomum, & Martinum Summum Pontificem acerbè à Combefiſio reprehenſos : quintò totum Ordinem Carthuſianum à Iacobitis laceſſitum ; & ab iiſdem impugnatas acriter B. Birgittæ reuelationes, in odium illius de Conceptione immaculatâ cælitùs habitæ. Hæc eſt Agiomachiæ Dominicanæ à Petro deſcriptæ ſumma, vt nos ſacros & inteſtabiles faciat, quaſi ſuperum & hominum hoſtes, & igne, & aquâ interdicat, ob interdictum *de Martyrio, & communione librum*. Tanti eſt offendiſſe Petrum, & in eius indignationem incurriſſe ; vt videatur, quaſi alter Aman ob recuſatam à Mardochæo ſalutationem nos omnes ad mortem depoſcere.

Vniuerſim ad tuam Diatribam reſpondeo : deinde per partes ſingulis ſatisfacturus. In primis alieniſſimus es à ſenſu omnium bonorum, maximè Cardinalis Baronij: Quem enim Agiomachum, & Diuis infenſum calumniaris Ordinem, vir ille immortalitate dignus vocabat ſeminarium Sanctorum, & re ipsâ erat demonſtraturus, ſi licuiſſet abſoluere Annales, quos ad Natiuitatem S. Dominici tantum deduxit, morte præuentus. Poterat id ſcire Petrus, qui à ſuis alter Petrus Comeſtor, & Helluo librorum dicitur.

Verum timeo ne nimia hęc librorum lectio eum exercere magis faciat quàm ſapere. Nõ poterat ignorare Ordinem Dominicanũ, ſi numero Religioſorum metiamur cum Franciſcanis decimâ parte minorem, ſanctis inferiorem non eſſe, ſemotis, quos ex ſtatu ſæculari in tertium Ordinem adoptant. His addo omnium accuſationum, quibus nos grauat, hanc tertiam falſiſſimam & iniquiſſimam eſſe ; cum totius orbis Chriſtiani teſtimonio compertum ſit, nullum in Eccleſia Ordinem efficacius, & felicius noſtro populos ad cultum in Deiparam ; & in diuos omnes promouiſſe.

Quid de ſanctiſſimâ Virgine dicam ? Si aliud operæpretium Ordo Dominicanus præter Roſarium non protuliſſet, poſſet cum quocumque ordine contendere : quia diuinum hoc inuentum, eſt quaſi Manuale Euangelicum, & Euangelij complementum, aut ſupplementum ;

& Alphabetum paruulis, est profundior liber sapientibus, est ex Martino Nauarro *Patrimonium Ordinis Dominicani*, quo Ecclesiam ditauit; quo non tantùm Albigensium hæresim extinxit, sed etiam per trecentos annos orbem Christianum purgauit hæresibus, & nullam passus est diu, aut longiùs grassari. Hunc ergo Ordinem de Deiparâ, de diuis omnibus, de Ecclesiâ bene meritum, hæresibus fatalem, Petrus (si superis placet) appellat Agiomachum, quasi reliquorum Ordinum, & totius generis humani hostem. Videat ne in illum conueniat, quam nobis molitur inferre, calumnia.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Responsio ad singulas Diatribæ calumnias.

LICET quæ breuî perstrinximus superiori articulo, quæcumque Petrus obiicit contra Dominicanorum in Diuos pietatem, & Religionem profligarint; ne tamen vel minimæ calumniæ suspicio superfit, & in Authoris caput moles accusationis recidat, singulis obiectionibus respondendum est.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Saluâ Decretorum Pontificiorum Reuerentiâ, satisfit obiectioni primæ.

TOTIS quinque prioribus paginis Diatribæ, verbosissimè versat argumentum ex immaculatâ Conceptione repetitum, eo consilio, vt iam monui, quod sciat non licere nobis hanc quæstionem exactè tractare. Excusarem fraudem ipsius, nisi alia belli, alia duelli esset conditio: in bello locum habet sine vllo vituperio illud Poëtæ, *dolus, an virtus, quis in hoste requirat.* Sed duella, vix fraudes, aut disparia arma patiuntur citra infamiam illius qui negat æquo marte certare. Si quis Aduersario curet in singulari certamine manum dexteram ligari, & permittat tantum sinistrâ de genu pugnare;

ipse vtraque validus & liber, sicarium magis, quàm strenuum militem agit.

Hoc qualecumque certamen, quod cum Petro ineo, non bellum est, sed duellum: quia postquam ipse classicum cecinit, vt bellum accenderet, pacem cum suis Generalis noster iussit esse religiosissimè colendam; quam ego seruo etiam cum graui dispendio causæ, quam defendo. Non ergo bellum, sed singulare certamen cum Petro gero, eâ conditione, quam ipse præscribit; quia delectum armorum habet, vtraque manu liber, vix vnius mihi vsum permittit. Sed vellem te probare generosum, & pro gratiâ, quâ vales Theophile, obtine nobis facultatem loquendi, ac respondendi tuis accusationibus: Nam præ summâ in Pontificias Constitutiones reuerentiâ non auderemus hæc quatuor attingere; nisi nobis loquendi veniam impetraueris.

Primò quid felicis memoriæ, & summæ sapientiæ Pontifex Vrbanus VIII. quasi viuæ vocis oraculo respondérit Magistro Generali Ordinis Patri Rodulpho à se quærenti, quo sensu esset interpretanda Constitutio in hanc rem edita à Gregorio XV. & quâ ratione vellet obseruari à Dominicanâ familiâ, paratâ ad vnguem, & toto rigore verborum eam religiosè implere. Secundò quos ex Sanctis omnibus, septem Deipara habeat chariſſimos, & quasi septem spiritus throno suo astantes, & quis illorum fuerit hac de re sensus. Tertiò, in qua positus sit verus Deiparæ cultus eique gratissimus. Quartò, quo motiuo, quo fine non patiantur Dominicani ante decretum peremptorium Pontificis deduci ab illâ opinione; quamuis inde tot incommoda extiterint, & plura impendeant.

Sed saluâ decretorum reuerentiâ, ad depellendam, quam importas calumniam læsi Deiparæ honoris, puto mihi licere, hæc tria respondere, quorum duo ad quæstionem facti pertinent, postremum ad quæstionem iuris. Dum in Hispaniâ degerem, hanc à fide dignis historiam excepi; Ducem & Cardinalem de Lerma Philippo III chariſſimum, pro suâ in Regem reuerentiâ, & in nostrum Ordinem incredibili beneuolentiâ summè optasse, vt relictâ opinione D. Thomæ, communiorem amplecteremur, & grauissimos Castellanæ Prouinciæ Ma-

gistros aduocasse Matritum ; vt hac de re in commune consulerent ; sed nullâ ratione adduci potuerunt , vt in hoc amicissimo Principi , & Protectori morem gererent. Dum hæc agebantur, Patres Societatis huius consilij euentum expectabant auidissimè , parati suscipere defensionem D. Thomæ , si Discipuli Magistrum deseruissent. Quid tum mi Petre, contigisset ? Quam diuersæ ab his, quas modò audiuimus , voces perstrepuissent ?

Quod secundo addo , excepi ab ore Archiepiscopi Ciuitatis inter orbis Christiani pietate, & celebritate præcipuas : Cardinalem Toletum , qui primus hanc dignitatem in Societatem inuexit , ad eam sibi variis dotibus viam muniuisse : maximè concionibus per decem octo annos in Palatio habitis, quas Cardinalis Rupifoucaldius curauit ex loquentis ore excipi ab Amanuensi , easque duobus Tomis collectas , nominatus à me Archiepiscopus transcriptas suâ Bibliothecâ dignas iudicauit. Argumentum Concionis de Conceptione illud erat, quænam duarum opinionum plus honoris Deo , aut Deiparæ conferret. Non puto intra sexaginta annos ita mutata tempora , vt vitio vertatur referre , quod summo totius aulæ applausu ab Authore exceptum est. Controuersiâ ergo doctissime & elegantissime à Toleto more suo vtrimque discussâ ; tandem iisdem ferè verbis , & eodem sensu concluſit , quo Augustinus comparationem Zachæi Christum inuitantis domum , cum centurione in suam ingressum deprecante.

Quis Toletus fuerit, superfluum puto commemorare: cum eius opera demonstrent , præter applausum , ex concionibus per tot annos habitis, præter commentaria in Lucam, & Ioannem ; quo præcipuam harum concionum partem congessit , & Besæ , ac Casobono fuere admirationi , se ipso maior euasit illa iudicii incorruptissimi libertate , quâ supra spem, & metum, supra carnem, & sanguinem , natione Hispanus , cum res Ecclesiæ postularunt , studio Gallus fuit , & meruit sibi ab Henrico IV. gratias agi , & columnam Parisiis erigi pro suâ cum Ecclesiâ reconciliatione.

Ille ergo vir , omni laude superior , non mihi videtur Petre, minùs quàm Cardinalis Pallauicinus tui dissimilis, ne quid grauius dicam. Ad minus ille nos liberasset notâ

inhonoratæ Virginis, quâ tu totum ordinem Virgini addictiſſimum voluiſti perſpergere. His duobus tertium adiungo, nempe communem de Conceptione immaculata opinionem, quæ Virginem à peccato Originali liberat, debito obnoxiam facit, quam ſolam Bellarminus, & Suares tutam putant, parum diſtare ab antiqua, vt diſſertatione contra Petrum de Alua demonſtratum eſt.

Tu vero, Theophile, qui Pontificias conſtitutiones vrges, ne opinioni Conceptionis immaculatæ detrahatur, incidis in pœnas eiſdem conſtitutionibus præſcriptas contra eos, qui contrariæ opinioni notam aliquam inurunt; dum ais eos, qui ſententiam oppoſitam ſuſtinent, impiè ſentire de Beatâ Virgine. Certè ſi Summi Pontifices opinionem de ſanctificatione B. Virginis ſecundo inſtanti impiam cenſuiſſent, aut improbabilem: non reliquiſſent arbitrio cuiuſque; vt quam vellent, ſequerentur. Nec ſancti Patres, qui eandem ſententiam docuere, minus pii dicendi ſunt erga Beatam Virginem aliis, qui oppoſitum dixerunt. Vide quæ dicit Aluarus Pelagius Franciſcanus lib. 2. de planctu Eccleſiæ cap. 12. nec dicas ea à Dominicanis Authori Franciſcano addita fuiſſe; hoc enim eſt ridiculum, nec ipſi Franciſcani negant ea in Aluari Pelagii operibus ſemper extitiſſe, & vltro fatentur, Aluarum in eâ fuiſſe ſententiâ.

Sed audi Doctiſſimum Cardinalem Auguſtinum Oregium Tractatu de Incarnatione. cap. 12. vbi ſic ait: *Vtinam minimam ſaltem partem habeam illius deuotionis; quam virtutes Virginis imitando, Angelicus habuit Doctor, præclara eiuſdem Religionis virorum illuſtrium ſequutus exempla, quæ ita adhuc in obſequium Virginis illibata vigent, ac ſi ſummo ſemper ſtudio laborarent, vt patrimonium à prædeceſſoribus ſuis relictum, religione ſumma cuſtodiendum poſteri recepiſſent.* Hactenus vir ille Eminentiſſimus, cuius vtinam humilitatem, modeſtiam, & pietatem omnes Aduerſarij ſancti Doctoris, ac Dominicanæ Religionis imitarentur.

Quod narras de edito à P. Reginaldo contra Conceptionem immaculatam libello, ab illo negatum eſt; ſatiſque ſe purgauit, ideoque Senatus conſultò Parlamenti Tholoſani, atque decreto Vniuerſitatis reſtitutus eſt

officio Professoris Theologiæ, quod per decem octo fere annos cum summâ eruditionis famâ, atque incredibili Discipulorum frequentiâ, & vtilitate exercuit. Sed ille victor voluit cedere inuidiæ æmulorum, & accessit Prulianum, primum à Diuo Dominico sacrarum Virginum Monasterium institutum, quod à primâ suâ origine per quatuor & vltrà sæcula nunquam interrupta, magnâ Religionis obseruantiâ, nobilitas præcipua illius Prouinciæ, & totius Regni florentissimum in hunc diem seruauit.

Ibi P. Reginaldus victis Aduersariis, totum se litteris & otio, & sacrarum Virginum ministerio deuouit: vt inuidiæ morsus euaderet. Sed id frustra meditatus est, nam illum acerrime lacessit Theophilus, magis suo, quàm ipsius P. Reginaldi damno: vt depulsâ valide à Petro à Vincentia, & ipso Patro Reginaldo calumniâ dem onstratum eo.

Certe rogandus esset Theophilus, vel Maiorum, & Pontificum imperio cogendus, ne causam Conceptionis Immaculatæ piissimam contingeret: Nam cum possit optimis argumentis comprobari, ille nonnisi sophismata, & falsa testimonia adhibet: quasi putaret ruituram, nisi suis eam mendaciis fulciret. Non dicam quod ab alio obseruatum est, illud argumentum, quod ex Valentiâ assumptum putat Petrus Dominicanos conuincere impietatis, & esse formæ legitimæ, reuera peccare contra leges artis syllogisticæ, quæ præcipiunt argumentationes primæ figuræ in *Darij* (quo loco suam reponit Petrus) præmissarum priorem habere vniuersam affirmantem; alteram vero cum conclusione singularem etiam affirmatiuam.

Si ad illam regulam expendamus argumentum tuum, Petre, dum formæ legitimæ esse contendis; vel regulas Dialecticæ ignoras, vel illis consultò abuteris. Nam illud confecisti ex vniuersali affirmante, seu (quod idem est) indefinitâ propositione primâ & secundâ negante; vnde infers conclusionem singularem affirmantem. Sed his tricis, aut nugis non immoror, habeo aduersum te grauiora, quæ expostulem.

Duabus superioribus Diatribis existimabam omnem calumniandi artem à te exhaustam, neque posse quam-

libet

libet proiectam ad mentiendum audaciam quidquam comminiſci par iis, quæ iam ex te maxime de Bzouio, & Martino Polono refelli. Sed omninò deceptus ſum; nam de libro Petri à Vincentiâ, cuius vis Tholoſæ editionem curaſſe P. Reginaldum, quæ ſcribis adeo atrocia & falſa ſunt, vt præ illis leuia ſint, quæ hactenus in Dominicanos conuitia conieciſti. Superiora erant ſine dubio ſupra fidem; iſta vero ſunt etiam ſupra ſtuporem: & ſi præteritis calumniis cæteros omnes ſuperaſti, videris hac nouâ te ipſum viciſſe.

Accuſationem tuam paucis perſtringo, illius deinde falſitatem ſimul cum atrocitate omnium oculis ſubiiciam: dicis *non inani dubitatione pleroſque pulſatos eſſe ne illud opus Tholoſæ editum operâ Patris Reginaldi*, & ab ipſomet fabricatum, an laciniâ maledicti operis per Bandollum contra Deiparam editi: in illo autem hæc legi affirmas pag. 15. *Beatam Virginem vſque ad momentum incarnati in ea Verbi fuiſſe contaminatam peccatis actualibus.* pag. 33. *æſtu flagranti carnalis concupiſcentiæ arſiſſe, & omni vitiorum ſorde fuiſſe maculatam.* pag. 67. *in peccatorum puluere fuiſſe conculcatam.* pag. 77. *fuiſſe ſuccenſam fomite peccati.* Si contineantur ea præpudia libro Petri à Vincentia iuſtiſſimè exclamas, *Vah ſcelus! & quæ tantum libri portentum inferna vomuerunt*; immo ipſummet librum cum ſuo Authore, & illo, qui curauit edi, pronuntio flammis eſſe abſumendum:

Sed vide, mi Petre, ne ſi huiuſmodi blaſphemias piis & inſontibus impoſueris; vere contra te ipſum ſint retorquenda tua verba. *Vah ſcelus! & quæ tantum calumniarum portentum, diriſque omnium deuouendum, &c.* Conſului librum Tholoſæ editum: quem habes, verè habeo, iterum atque iterum legi paginas à te deſignatas; & ſi penultimi loci vnum verbum alio nomine prolatum excipiamus, nihil prorſus eorum quæ refers, nec quo ad ſenſum, nec quoad verba vllibi comperi extare.

Quid ad iſta Petre? Quâ ratione efficies: vt quam aliis molitus es damnationem, & totius generis humani execrationem, euadas? Contendes forte falſa eſſe, quæ nos de libro teſtamur, & omnia à te ſincerè verbatim relata; ſed libri copiam facturi ſumus, ſi ad examen

placeat rem deducere. Fortè mendacii conſcius iudicium hoc detrectabis, & dices te diuerſæ à Tholoſanâ, editionis libro vſum fuiſſe; ſed hanc viam tibi præcluſiſti; cùm merito dixeris dubitatum eſſe, an Pater Reginaldus eſſet operis author: ergo non potuit aliunde ad te, quàm Tholosâ deferri, nec legi aliud, quàm quod à Patre Reginaldo non ſolùm editum, ſed etiam ſcriptum ſuſpicabaris. His pulſus perfugiis, fortè tertium tentabis, te non verba libri retuliſſe, ſed ſenſum qui illis locis extabat per æquiualentiam, vel inde per conſecutionem deducebatur.

Sed *ne quicquam ſolitas tentaſti lubricus artes*, ſi æquialentia, non eadem verba eſſe volebas, cur diuerſo charactere exarari curaſti, quaſi eſſent ipſiſſima Authoris? Deinde cur diſſimulaſti Petrum à Vincentia toto libro inducere Patres & Theologos, ſuis verbis ſuóque ſenſu loquentes, & vix quicquam è ſuo addere, niſi copulas, quibus eorum loca nectat? Sed quid opus ſingula expendere. Prouoco Theophilum ad paginarum quas notat lectionem: contendo ne per ſomnium quidem quicquam illis ineſſe rerum aut verborum, quæ quaſi propria Authoris exſcribit; & ne Lectorem fatigem inutili refutatione calumniarum Theophili, nullo operæ pretio, aut fructu eruditionis, dum nouas eius fraudes detego, reconditam D. Thomæ è ſanctis Patribus hauſtam explicabo doctrinam.

Certum eſt ex mente S.D. duos in Deiparam diſtingui oportere illapſus Spiritus Sancti, ac ſubinde duos ſanctificationis gradus, vnum, cùm in vtero Matris Annæ concepta eſt, alterum, quo tempore ipſa verbum concepit. Primo illo ſanctificationis in aluo materna inſtanti, & illapſu Spiritus Sancti ligatus eſt fomes, ſecundo eſt omninò extinctus, & vtroque omnis peccati actualis occaſio ſemota eſt, hoc tamen diſcrimine, quod primâ ſanctificatione datum ſit illi poſſe non peccare, & re ipsâ non peccaſſe; alterâ verò ſanctificatione multo copioſiore conceſſa ſit dos beatarum mentium, nullo modo poſſe peccare.

Hâc diſtinctione duplicis ſanctificationis Deiparæ, illapſus in ipſam Sancti Spiritus, & fomitis primum ligati, deinde extincti copiâ & vbertate gratiæ, veluti face

quàdam omnes tenebras depellimus calumniarum Petri, omnia illi perfugia sic præcludimus, vt ex hâc accusatione pessimum nomen referat, & sanctorum Patrum loca ad eorum mentem legitimam interpretemur; nam Magister sententiarum inductus pagina 1c. Beda pag. 33. Andreas Cretensis pag. 67. Cistercienses Theologi pag. 77. aut expressè habent, aut certè supponunt, vt receptissimam, apud Patres omnes, & Theologos duplicem illam sanctificationem, ante partum Annæ, & cùm primùm verbum concepit; vtramque autem per summam fraudem permiscet, & confundit Theophilus, vt tot blasphemiarum accuset Petrum à Vincentia, quasi voluerit ex Patribus demonstrare Deiparæ sanctificationem dilatam fuisse vsque ad Conceptionem & Incarnationem Verbi Diuini: & totâ, quam vixit, præteritâ vitâ, non habuisse fomitem ligatum, vno verbo fuisse contaminatam peccatis actualibus, &c.

Nihil occultum est, quod non sciatur, neque absconditum, quod non reueletur; Theophili fraudes è tenebris in lucem meridianâ clariorem eruimus. Quid opus est verbis factum amplificare? Nam præter quod, scelus est supra auxesim verborum, ipsummet Authorem satis prodit & castigat. *Maxima*, inquit, Seneca, *& prima peccantium est pœna, peccasse: nec vllum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis*, (quale suum forte putat Theophilus Magistri Sacri Palatij infortunio;) *impunitum est: quoniam sceleris in scelere supplicium est.* Vnde non est quod nostram, sed magis ipsius Theophili, & Societatis, atque Ecclesiæ vicem doleamus, nam quod ad nos attinet, quid ex calumniis adeo crassis, & apertis, mali potest nobis accidere? Sibi verò æternam inde infamiam comparauit; sed præ omnibus doleo quod Societati & Ecclesiæ grauissimum vulnus inflixit, incredibili illâ mentiendi & calumniandi licentiâ, quam passim, sed maximè hoc loco vsurpasse conuincitur.

Antiqua est hæreticorum in Catholicos omnes, & maximè Patres Societatis accusatio, non minùs frequens, quàm periculosa, eos docere nullam inimicis fidem seruandam etiam iuratam, & integrum esse cuique ad suum commodum mentiri, calumniari, & peierare. Quid vero promouisti Theophile, tuâ in Petrum à Vin-

centia & in Reginaldum impoſturâ? Hæreticorum opinionem, & calumniam confirmaſti, neque enim adeo atrocia & falſa te comminiſci vmquam auſum putarent, niſi id tibi, ac ſubinde aliis licere ſaluâ conſcientiâ, & ſalute compertiſſimum haberes. Quo quid perniciosius tibi, & toti Eccleſiæ excogitari poſſit, certè non video.

Sed nomina mille, mille nocendi artes tibi ſuppetunt; & quamuis nullam audaciæ metam ponas, *voces ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*; tamen tum licentiùs imponis, cum nulla, aut rara putas eſſe librorum, quos adulteras, exemplaria (qualis eſt Petri à Vincentiâ Tholoſæ editus:) vel illa loca, quæ annotas, ſunt ampliſſima, & vaga, neque putas tantum otij fore Lectoribus, vt occaſione duorum verborum, librum integrum relegant. Sic audacter (& id tutum ſibi fore putauit:) Theophilus Petrum à Vincentia notatis etiam paginis corrupit, ratus nullum ſupereſſe, aut difficulter repertum iri aliquod exemplar editionis Toloſanæ.

Eâdem fiduciâ, vel audaciâ adulterauit theſim *in regione*, vt ipſe loquitur, *Sancti honorati ad diſputandum propoſitam*: Ita enim ipſe refert diſtincto charactere quaſi eſſent ipſamet verba theſis, *ad merendum, & demerendum non requiritur libertas à neceſſitate, ſed tantum ab omni coactione.* Idque ſummâ fraude tentauit vt *Ianſenianâ leprâ contaminaret* theſim his verbis conceptam. *Ad merendum, vel demerendum non requiritur libertas à quâcumque, vel omni neceſſitate*: quod veriſſimum eſt, nedum apud Thomiſtas, ſed etiam apud Aduerſarios ad minus de neceſſitate *infallibilitatis & ſuppoſitionis*, quam omnes vltrò concedunt nihil nocere merito, aut libertati.

Cur ergo eſt proſcripta theſis non quia falſa, & multo minùs hæretica, aut diſſentiens ab Innocentij conſtitutione, damnante eos, qui ad meritum non requirunt libertatem *à neceſſitate*, ſed volunt ſufficere libertatem *à coactione.* Damnata eſt *igitur theſis* occaſione temporis, quo ſuſpectum erat quicquid vel minimùm ſpeciem Ianſeniſmi reſipiebat. Magis ergo intempeſtiua, quàm falſa theſis, quæ legitimo ſenſui patebat, admiſsâ *infallibilitatis* neceſſitate ad meritum, exclusâ tamen abſolutâ, & antecedenti.

Hanc verò corruptelam inuexit Theophilus eâdem fiduciâ, quòd exemplaribus non posset impostura reuinci: nam præter quod huiusmodi scriptorum genus non est nisi ad diem, aut ad breue tempus; compertum habebat istarum thesium ob infelicitatem euentus, nullum exemplar seruatum, omnia periisse, ac proinde suam fraudem tutam fore.

Ad aliud corruptelæ, vel fiduciæ genus spectat, quod paginâ 40. improperat scriptum à Cano, libro vndecimo de locis capite sexto Summorum Pontificum vitio historiam Ecclesiasticam esse multo deterioris fidei, & corruptiorem, quàm à Suetonio, aliisque Authoribus paganis scriptam, & distincto charactere quasi essent verba Cani hæc apposuisse verba. *Eorum* (scilicet Pontificum) *hac in parte prudentiam desiderari.* Nempe sciebat Theophilus Cani morem esse capita librorum conficere quasi *promptuaria*, Prophetæ, *plena exundantia ex hoc in illud*; & plus eruditionis vno capite complecti, quàm multis eius libris contineatur.

Opportunam itaque putauit, hanc Cani libertatem suis calumniis; & nihil dubitauit ex illo verba notare, distincto etiam charactere, certus lectores ob vnum aut alterum verbulum longissima capita non esse emensuros. Legi ipse, vt hoc labore lectorem beneuolum leuarem, & nihil reperi verborum, quæ Cano adscribuntur, aut quod posset calumniæ, vel in speciem fauere.

Eiusdem fiduciæ, & fraudis est, quòd paginâ 46. refert ex Æneа Syluio, nec libro, nec capite vllo notatò, solertiâ Nicolai cuiusdam Burgundionis in Concilio Basileensi promotam damnationem Eugenij IV Nulli labori, neque alij pepercimus decurrendis libris, & capitibus ex Syluio Æneа, quæ vel minimùm facerent mentionem Concilij Basileensis: nec vnquam reperire fuit illum virum, teste Æneâ, maioris animi, quàm corporis: fortè eâ de causâ nostris oculis subductus est, quod parui, & anguſti, aut fortè veriùs, nullius sit corporis. Certe illius nomen apud nostros historicos non legi. De hoc supra.

Iudicet ergo Lector prudens, quid sibi permissurus sit Theophilus, de his comminiſci, quæ nullo scripto, & voce tenus peracta narrat, cum adeo licenter agat, de his quæ libris consignata sunt, & tabulis publi-

cis, quibus eum falsi, & impostura reuincas. Hoc præiudicio refellimus, quæ Patribus doctissimis, & Religiosissimis Vincentio Candido, & Gregorio Donato prorsus incredibilia imponit. De Vincentio Candido refert, teste Hipolyto Maraccio, ordinis Clericorum Regularium eiusdem fidei, & paris authoritatis: Cum ad illum suum Opus, cui titulus est *Bibliotheca Mariana*, detulisset, ad exorandam edendi facultatem: vbi vidit in eo opere signari Authores pro Immaculata Conceptione, sublato in altum clamore, dixisse. *Eya tot Authores pro Immaculatâ Conceptione, etiam bestiæ concipiuntur sine peccato originali.*

His relatis, quorum fides est apud ipsum, & Maraccium, aliqua addis eruditioni ostentandæ, & maledicentiæ exercendæ, vtriusque cupidissimus. Sed in eo est totum controuersiæ caput, veriúsne ista à Patre Candido viro compertæ sanctitatis etiam miraculis confirmatę, loquendi ita parco, vt testentur multi numquam se ab illo verbum inane audiuisse, hæ bestiales voces prolatæ sint, An à Scriptore miro calumniarum, & mendaciorum artifice confictæ? Pronunciet in hanc rem æquus, & prudens lector.

Incredibilius est secundum quod subiungit, Patrem Gregorium Donatum iussisse expungi ex opere ascetico Ludouici à Ponte titulum illum purissimæ Matris, qui in Litaniis Lauretanis per vniuersam Ecclesiam summâ consensione vsurpatur. Hoc dicit indubiis testibus compertum. Cur ergo ab illis citandis abstinet, quasi ad fidem rebus astruendam satis sit retulisse? Certè non ita de te sentiunt, qui te nouerunt; & verissimum est, quod de te ita scribit R. P. Guillelmus Camerarius Scotus, Congregationis Oratorij Epistolâ ad Lectorem præfixâ operi, cui titulus, *Antiquitatis de nouitate victoria*, vbi ita habet.

Theophilus ad me perlatus est. Legi hominem, nullâmque in eo argumentationem inueni, quam non soluissem; aut quam non posset quiuis nostræ opinionis non penitus ignarus dissoluere. Catera, quæ maximam operis partem faciunt, aut virulenti scriptoris conuitia sunt, aut tumidi sophistæ importuna loquacitas. Vbique ineptias, ignorantiam, virus doctrinæ, temeritates, hæreses, & alia id genus

obiicit. Vbique dum simplicitatem styli scholasticæ declinat, in barbariem nescio cuius prærupta, & horrida orationis pueriliter ruit. At hoc illi condonemus. Videtur enim plus affectare declamatoris, aut Satyri laudem, quàm Theologi; ac diligentiùs legisse Apuleium, quàm D. Thomam. Sed quid dico Apuleium? Si à simplicitate locutionis scholasticæ alienus est hic nouus Theologus, multo minus elegantissimi huius Authoris stylum, & latinitatem sapit: vbi ille maiestate mascula orationis assurgit, hic conuiciator in ampullas fadissimè tumet; vbi ille verba illustria exprimendis rebus aptissima seligit, hic nullo delectu, prout quæque vox in buccam venit, eam auidè arripit, & peius locat; vbique denique ille æquabilis sermonis fluxu, vbique elegans, vbique est floridus; hic, inæquali textura, omnia orationis vitia complexus, alibi turget, alibi repit, alibi Lectori suo nauseam parit. Vide quæso, mi Lector, quam modestè, ac leuiter se gerat hic disputator, qui pagina libri sui 13, scribit se cum charitate arguere velle, & pag. 3. iniurijs aure surda exceptis, (cauet ne dicere ore tacito) & tamen iniurijs, & contumelijs maximis respondet, &c. De me vero (pergit Guillelmus) sic humanissimus Sabaudus scribit inter alia pag. 354. quod Gibieuso Symmistæ meo suffragatus sim; quod libri à me editi graues sint; quod ex Collegio quodam Apostolico per posticum ad alienа castra, & pultes Scoticas, quas gentilem meum Pelagium prægrauasse querebatur Hieronymus, Apostaticè transfugerim, & quidem ipso die Cænæ Dominicæ, vt ad plenam Iudæ germanitatem nihil deesset. O Theophile hæc cine monstra cogitationum ascendunt in cor tuum, & non elidunt frontem tuam? Quot hic verba, tot mendacia. Mene ausus es Apostatam vocare? Qui optime nosti, quod apud me habeam Generalis tui litteras? Tu, inquam, id ausus es? Qui toties Iesuiticis castris derelictis, ad Franciscanorum, & Augustinianorum castra transfugisti. Primo quidem, vt sub fratris Simonis Æmouerij Franciscanè nomine æquiuocationum causam liberius ageres, ac in eam defensionem librum scriberes, quem non te puduit, splendorem veritatis moralis inscribere, rectiùs obnubilatam veritatem inscripturus? Item sub fratris Petri de la Riuiere Augustiniani nomine damnatum librum scriberes,

cui titulas, Caluinismus Religio bestiarum. Verum vt ordine tecum agam. In primis, quaero, quo iure, qua Christiana modestia, Collegia vestra Apostolica dici possint? Vosne Apostoli estis? Certè dum tuam animi impotentiam, & effrenem, ac insolentem maledicendi licentiam mundo prodis, omnibus satis ostendis Iesuitas non esse Apostolos, &c. Videat, qui voluerit alia curiosa, quæ de nostro Theophilo dicit Guillelmus in epistolâ dictâ. Sed ad nostra redeamus.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Vindiciæ Combefisij, & Nicolai Iansenij.

LICET multis vitiis laboret Theophilus, cæteris prætermissis, quæ nihil ad nostram defensionem faciunt, non possum duo dissimulare, nempe fingendi & calumniandi morem in naturam inductum, & tyrannidem intolerabilem censoris morosi, qui supremum in omnes scriptores ius sibi vindicet ab aliis dicta quamlibet reconditæ eruditionis, aut sanæ doctrinæ nauseabundus contemnat, aut censoriâ virgâ castiget. Putes penes ipsum esse omnium scriptorum sortem; sed bene agitur cum Combefisio, & Cano huiusmodi imperium non magis perenne, & firmum esse quam æquum & vnâ eius opinione niti: leuis vtriusque pœna foret isto iudice, si eorum cum libris nomina in totum perirent.

Quàm morosum, quàm iniquum in hos Theologos vbique se prodit! Eius tantùm puto criminis reos, quod hanc gloriandi causam abstulerint de eruditione in rebus Theologicis & elegantiæ adiunctâ, quasi dote sibi eximia, ac singulari, nec cum vllo extraneorum communi. Sed quidquid de hoc sit. Combefisius venerandæ & eruditæ Antiquitatis scrutator indefessus, traditionis Ecclesiasticæ tenacissimus, quâ vnâ fides nititur, & constat, recentes Theologos cum Patribus antiquis sicubi videantur dissentire, pro virili conatur conciliare, ne hæretici in nos regerant quæ illis merito improperamus; nempe eorum fidem temporariam esse, & annuam in

dies mutari ad arbitrium cuiusque : denique nihil habebere commune cum fide antiquæ Ecclesiæ, & à mente, & consensu antiquorum Patrum recedere. Obseruauerat Combefisius post Sixtum Senensem Bibliothecæ sanctæ annotatione 138. Origenem, Chrysostomum, Augustinum, Theophylactum duriùs, aut alio sensu, aut certè diuersis verbis de Deipara ex conspectu filij patientis, & morientis doloribus locutos, quàm moderni Theologi sentiant, & existimasse ad absoluendam fidem illius dicti à Christo ; *omnes scandalum patiemini à me hac nocte*, & illius Simeonis vaticinij ad Virginem *doloris gladius tuam ipsius animam pertransibit* ; aliquid eorum oportuisse ad Deiparam peruenire, quæ vix referre ausim. Adeo sunt aliena à communi opinione, quæ hodie apud fideles inualuit, quasi aliquid scandali, aut dubitationis passa esset.

At Combefisius in gratiam Sanctorum Patrum, & in reuerentiam Beatæ Virginis scripsit, eam tempore mortis Christi non laborasse aliquâ dubitatione, aut infidelitate, nisi ad summum negatiuâ, quam sitam esse *in sola inconsideratione ab absorbente dolore posuit, ita Deo permittente, ad auctiorem cruciatum, ac meriti cumulum : sic enim negatiua huiusmodi infidelitas, videri posset nec Mariam dedecere, per quam illam œconomiam suam ad suum Martyrium acerbissimum compleret.* Hæc Combefisius. Et reuerâ est quoddam genus Martyrij perinde innoxium, ac intolerabile, Dei à nobis vt solis absceſſus, quo ipsemet Deus filium suum dignatus est, cum de illo etiam quasi conquerentem audiuit ista proferre ; *Deus, Deus, vt quid me dereliquisti?*

Hunc fortè Dei à Matre, sicut à Filio ad tempus absceſſum, quo nihil vetat credere, & aliquo momento suspensam eius mentis, & fidei operationem, durius à Sanctis Patribus scandali gladium, aut dubitationis vocabulum mitigauit Combefisius quodam nomine negatiuo. Quare si quid dignum sit censurâ, in D. Augustinum, & Chrysostomum recidit, non in Combefisium ; quin potius videatur laudandus, quod Sanctos Patres excusare sit annixus, eosque ad sensum hodiernum Ecclesiæ trahere, & accommodare. Id enim sæpius à me obseruatum est eos, qui in Sanctorum Patrum lectione,

in controuerſiis aduerſus hæreticos aſſidui, & exercitati ſunt, nec methodo, nec interdum ſententiis omnino conuenire cum iis, qui ſe totos ſcholaſticæ dedunt, eamque ſpartam ſibi curandam aſſumunt.

Hinc videas dotes Scriptorum diuerſiſſimas, nihil interdum frigidius aduerſus hæreticos, illis qui ad miraculum ſubtiles ſunt, & acres in ſcholæ diſputationibus: quaſi alia eſſet ſcholæ, alia controuerſiarum Theologia; illa ad pompam potiùs, quàm ad pugnam, niſi ſub vmbrâ, & ludicram; hæc verò ad legitimum certamen parata ſit & inſtructa: eoque diſcrimine, & interuallo ab inuicem diſtent, quo videmus exercitatiſſimos ad palæſtram, ad decurrendum ſtadium, ignauos & ineptos ad veram cum hoſtibus dimicationem.

At certe non ita Diuus Thomas, & qui vere illius methodum & doctrinam ad omne genus pugnæ aptant & opportunam ſectantur: neque enim arma expedit, & argumenta ſuppeditat cõmoda aduerſus Catholicos, & noxia atque infeſta, ſi cum hæreticis agas; qualia ſunt plura, quibus Theologorum nonnulli, & maxime Petrus de Alua vtuntur: Quæſibi ſoluenda putarunt Bellarminus l. 1. de cultu Sanctorum cap. 16. & Perronius Cardinalis, illo felici Eccleſiæ Catholicæ & hæreticis infauſto apud Bellacũ colloquio, quod Piſſiaci infortunium compenſauit.

Sed ab his referendis abſtineo, ne mihi fraudi ſit commemoraſſe, quæ illa duo purpuræ ornamenta, Eccleſiæ lumina, & præſidia inuicta cenſuerunt, ad communem fidei cauſam neceſſaria, in D. Thoma vix excuſant ab errore: adeo ſunt diuerſa conſilia, & arma Petri de Alua, & Bellarmini, ac Perronii: ille dum impetum facit in Catholicos vnicè vrget, & totis viribus contendit vix alio fine inſtitutum Conceptionis Deiparæ feſtum, quam eius immunitati à communi labe, & debito, in fidei articulum ſanciendæ, Illi dum hæreticorum impetum ſuſtinent, negant hanc Eccleſiæ mentem eſſe: ſed aſſerunt inſtirutam feſtiuitatem, celebrando communis Redemptionis, quod inde ſumptum eſt exordio: ſed de his ſatis.

Progrediamur ad aliam tuam accuſationem, quæ ſatis manifeſtè demonſtrat, quàm anxie, quàm infeliciter, quàm auidè collegeris quæcumque potuiſti, non dicam inuenire, ſed etiam fingere, ad creandam Dominica-

nis inuidiam : m ad hoc putasti Theophile, opportunum esse vnum Nicolai Iansenii verbum in sensum ab Authoris mente lienum & te dignum interprete detortum. Dicit Dominicanus ille, Paulum in Thomæ scholam fuisse ingsum ; igitur facit Apostolum Thomæ discipulum. Q consecutio ? An non potuit ingredi etiam vt Magir ? Spiritus Sancti in animas iustorum per gratiam illius à sanctis Patribus, & à Theologis toties decantat, nihil aliud est, quàm intimus in mentem intra essent terminos ingressus ; ergo venit Spiritus Sanctus, non vt Magister, sed vt Discipulus ? Quis hoc ferat ?

Non minùs ipta est tua de Paulo ingrediente scholam Thomæ, qm de Spiritu sancto in mentes illabente interpreto. Adeo alieni sumus ab illo, quem affingis verbis rtris, sensu ; vt agnoscamus D. Thomam Dionysii Augustini Discipulum, quorum vterque Paulum magistrum habet. Discipuli est agere Magistri interpem, non Magistri Discipulum commentari ; at Thias non solum Paulum, sed etiam Dionysium eius Dibulum interpretatus est.

Verum quid oror in his nugis refellendis ? Si scriptura docet nontiosi verbi in iudicio reddendam esse rationem, timdum mihi esset, ne quæcumque scribo contra te, huicdicio materiam suppeditent ; cum videatur ad res eo ridiculas responsio inutilis esse, & otiosa. Sed dume excusant, primò iustæ defensionis Ordinis nostr contra iniquissimum accusatorem necessitas ; secun, quod interdum ex stercore, vt dicebat Virgilius, argaritas lego, id est, occasione tuarum nugarum, & cmniarum, huic Apologiæ misceo plurima obseruatie, & scitu non indigna ; quale est illud, quod modo sicio, scilicet Doctrinæ Catholicæ cognationem, Horri catenâ aureâ de cælo in terram demissâ, quæ supemediis, & hæc inferis connectit, conuenienter repræntari.

Nam gratiæ prædestinationis œconomia à Paulo in cælum abrept, ex Diuinitatis visione hausta, in Dionysium & Austinum, ac subinde ab illis in Thomam, & ab hoc extmo in nos deriuauit ; ergo à Paulo, vt à fonte, per Tmam & reliquos, quasi per riuos, & canales defluxit quidquid horum arcanorum scimus, &

ſapimus; & illi acceptum referimus vt magiſtro. Ab illo didicimus, *quid habes, quod non accepi; quis eſt qui te diſcernit?* ab illo totius prædeſtinationis negotium hauſimus; ille enim altè inclamat, *unteqm quicquam boni facerent: an non ſigulus habet poteſtan, &c. O altitudo diuitiarum, &c.* En quâ de causâ Paulus ingreditur ſcholas Thomæ, nempe vt illi hæc arana reuelet eius ore nobis reuelanda.

Sed non aduerteram Theophilum hic Pauli in Scholam Thomæ ingreſſum bicorni argumento impetuiſſe. Vel Paulus adiuit Thomæ ſcholam vt auditor, & Diſcipulus, & hoc iam cornu fractum eſt: ultro concedimus non acceſſiſſe vt auditorem, ſed vt magiſtrum. Tum vero alterâ ſui Entymematis parte, & cornu illæſo impetit nos Theophilus. Si ſecundum eas, nempe ingreſſum Paulum vt Thomæ Magiſtru; fatendum erit Thomam eſſe Doctorem Canonicum cui eadem fides habenda ſit, quæ Sancto Paulo hæcicenti haberetur. At hoc non modò delirum, ſed etia hæreticum. Ita Theophilus argumentatur.

Sed mirum, ne delirum, aut hæreum dicam argumentorum artificem, & conſecutionuconcinnatorem! Omitto Magiſtrum quidem Diſcipuſuperiorem eſſe; Diſcipulum verò ne parem quidem eoportere Magiſtro; vt nulla ſit conſequentia Petri, ndem Diſcipulo Thomæ fidem habendam, quæ eius Mgiſtro Paulo debeatur. Non addam ex Melchiore Co lib. 2. cap. vlt. ad calcem (quem locum crudeliſſimdilacerat Petrus hac 3. Diatribâ;) nos omnes nedum àulo, ſed etiam à Chriſto, & Spiritu ſancto edoctos nec tamen nos conſecutos eſſe, aut mereri fidem, æ habenda eſt Magiſtro Spiritui ſancto; (quod euincet argumentatio tua, ſi bona eſſet.) Imo diuerſiſſio gradu idem Spiritus aliter in Chriſto loquitur, alitin Prophetis & in Apoſtolis, aliter in Stephano, & Antoſio: & certè per hos omnes loquebatur. Per Conlium generale Deus Eccleſiæ loquitur, per Paſtores etn, & per ſanctos veteres Patres. His tamen omnils non conſtat eadem authoritas infallibilis, quæ Apoſtlis eorum Magiſtris: neque Apoſtolis, quæ Chriſto, Spiritui Sancto qui illos docuerunt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [392] - 332
PUBLIC DOMAIN

Sed his omnus prætermiſſis te conuenio, Theophile: Putaſne vem & legitimam conſecutionem; Paulus eſt ingreſſus Scolam Thomæ illum docendi causâ: ergo fecit illum pis ſecum authoritatis? Si ita ſit, quid ſtatues de D. Dnyſio? Negabis ſine dubio cum Lautentio Valla, &raſmo fuiſſe Pauli Diſcipulum, ne iuxta tuas leges arıendi, cogaris agnoſcere vt Authorem Canonicum, & us libtos accenſere Canoni Sacræ Scripturæ. Sed qui proderit hoc effugium Eraſmi, cum eodem argumeto ſis obruendus de Ignatio, aliiſque Apoſtolorum Dcipulis, qui ſcripſerunt: quos neceſſe eſt admittas in ımerum Authorum Canonicorum?

Quid dices d Chryſoſtomo, Ambroſio, Gregorio Magno, Francib, Bernardo, aliiſque Theodidactis, quibus omnibus riptores fide, digni produnt, Spiritum Sanctum ſb ſpectabili forma, Paulum alioſque Diuos affuiſſe, dtaſſe quæ concionabantur & ſcribebant? Quid ad hc Petre, iuxta leges à te conſtitutas? Vel huiuſmodi hioriæ ſacræ ſunt tibi apocryphis & fabulis annumeranc, vel tibi his omnibus Diuis eſt aſſerenda eadem cum criptoribus Canonicis authoritas; & eâ forte de causâ miciſſimus tibi Petrus de Alua regulæ Minoritarum, nomen, & vim legis Diuinæ vindicat, quod legatur diuinus dictata D. Franciſco. Eodem loco planè tibi habeni ſunt libri Sanctorum, quos recenſui diuinitus edocts; vel abiicienda eſt tibi, & perneganda tua conſecut, non ſolum vt delira, ſed vt hæretica. Vide in quas nguſtias te redegeris, dum vis aliquod negotium nois faceſſere.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

De Stephano, Hironymo, Gregorio, Beda per Canum, de Chriſſtomo, & Martino Papa per Combefiſium rorehenſis, & de D. Thoma imenſius laudato.

SEd tertio loco arius inueheris in Melchiorem Canum, quod in Concione ſancti Stephani ad Iudæos habitâ, & à Luca reatâ notauerit aliquot lapſus, quos

cum defendere non posset, nec aliis Scripræ locis conciliare, dixit post grauissimos Viros Beon, & Rabanum, Stephanum zeli, & disputationis ante abreptum memoriâ labi potuisse Hanc Cani interpretationem mirè exagitat Petrus. Sed cum censoria virgam assumit in Virum Doctissimum, & sapientissium, ipse multò plura & grauiora, & acriùs castigandi admittit. Primum quis ferat, illum contemptum, quo vbique verbis præfert, dum grauissimum virum, & Ribadeneirii verbis vtar, *depositio Episcopatu venerabim, fratercudum vocat?*

Non potuit apertiùs demonstrare se hæreticorum spiritu agi, quàm quod illorum verba continuò eructet; putat se quasi in nihilum deiecisse Viros qui in Ecclesiâ, & in Doctorum cœtu prima loca occupant, si *fraterculos* per conuicium appellet. Adeo ne cautis Petre, vt non videas ista tibi infamiam parare non illis, qui sunt extra tuorum conuiciorum, & telorum iactum longissimè positi. *Non accedet ad illos mala nec flagellum* linguæ tuæ liberioris ad illos *appropinquabit.* Hoc obiter dictum sit, non solum de Cano sed etiam de reliquis Dominicanis, quos continuò more, stylo, & animo hæreticorum *Fratres* per contemptum vocas.

Sed ad rem veniamus. Vbique fraude, & mala fide agis; nam vt Canum lacerare possis impunè, inducis illum quasi solum, & primum huius interpretationis authorem, cum tamen habeat viros grauissimos, qui præeant, & qui sequantur; & qui sbinde præsidio illi sint contra tuos impetus. Quare tacs à Beda, & à Rabano suam interpretationem hausisse? An ignoras Petrum de Lorca Theologum Cistercensis Ordin. Complutensem Professorem celeberrimum, sequi & approbare mentem Cani? Quâ ergo fronte scripsisti, ferendam nullo modo esse, nec ab alio inter Catholicos, quàm ab infrunito Cani calamo carari potuisse? Ista forte sciebas, sed existimasti è re tuâ fore si ab aliis nescirentur, vt posses tragœdias excitare.

Sed mitius, quàm exigat tantæ culpæ atrocitas, & adeo proiecta audacia, tecum actum est, vt demonstrem, te nullum in nobis traducendis modum habere, nullis hanc licentiam metis coliberi; sed quamlibet

enormibus calumniis, & commentis gradum facere ad atrociora: Dum scripsisti primum, & solum Canum ea, quæ ex ipso refers de Stephano tradidisse; vel Canum inauditum, id est, non lecto eius libri 2. capite vltimo ad calcem, damnasti, vel re ipsa accuratè legisti, & expendisti singula verba; ne minùs iniustam, quàm atrocem sententiam pronuntiares. Si primum fateare, te Canum damnasse ad nullum examen vocatum, nec lectum, nec auditum, te prodis iudicem iniquissimum.

Si legisti, quâ ratione, quâ conscientiâ potuisti illum hâc præsumptâ à te impietate quasi primum authorem grauare, cum ipse ita habeat, & mentem suam aperiat. *Hoc igitur loco mihi Bedæ opinio placet, cui & Rabanus assensus est*, & subinde illorum verba exscribit. Beatus Stephanus, vulgo loquens, vulgi magis in dicendo sequitur opinionem. Sed quid tandem obiicis Cano, quod ipse non diluerit? Cum subiungit Apostolorum priuilegium esse vt nullus eorum in docendo erret, nec Stephano hoc priuilegium, rationem concedere. Et ne hanc Apologiam longiorem, & molestiorem faciam congestis vndequaque aliorum dictis, placuit Lorcæ verba tantum referre, qui neruosissime & breuissime tuas calumnias, & tuorum, maxime Delrii obiectionem refellit 2. 2. post quæst. 16. in Appendice ad tractatum de fide Disput 2 membro 3. num. 24. vbi sic ait.

Tertiò obiicitur narratio Stephani Actor. 7 in cuius explicationem libenter amplecterer responsum sapientissimi Magistri Melchioris Cani lib. 2. de locis. cap. vltimo, Stephanum præ celeritate sermonis, & feruore Spiritus, aliò intentum pauca illa transmutasse, vt pro Iacob Abraham, pro Patre filium, &c. dixerit. Nam si id dicamus, primò in scriptura nullum mendacium admittitur: scriptura enim non illo modo refert historiam: sed refert, Stephanum ita loquutum. Deinde nec Stephano aliquid detrahitur: nam leues illæ immutationes historiæ, facile, & absque omni culpa contingere potuerunt. Quin potius scriptura veritas maximè commendatur, quæ referens viri Sancti sermonem, prout ipse protulit, punctim, & verbatim narrauit; non omittens illa etiam, in quibus memoria lapsus est. Quæ solutio absque omni nota, & scrupulo admitti potest.

Tum, quia primò tradita est à S. Beda, & Rabano in commentariis loci: Tum etiam, quia si quid contra obiici potest, illud est, quod Stephanus ante, & post illam narrationem plenus Spiritu Sancto dicitur; in eo autem, qui Spiritu sancto plenus loquebatur, nefas est, admittere non solum mendacium, sed nec lapsum aliquem memoria, aut linguæ, in quo à veritate deuiet. Hoc tamen non vrget, quia Stephanus dicitur plenus Spiritu sancto, quatenus plenus erat gratia, & sapientia, non tamen quia Spiritu sancto mouente, omnia & singula loquutus fuerit. Neque est verbum quo hoc modo per Spiritum sanctum loquutum fuisse conuincatur. Et certè solutio hæc omnem difficultatem euacuat, & infidelibus plus satisfaciet, qui calumniari non poterunt, aliquid gratis excogitatum esse ad fugam argumenti.

Vide Petre, quàm diuersus sit alterius Petri à tuo sensus, vt bonam censuerit solutionem Cani, & expeditiorem tuâ iudicauerit, ad amouenda impiorum scandala. Nec longe abest ab eâdem mente præter Emanuelem Sa, Ioannes Mariana eiusdem societatis, Vir acerrimi, & liberrimi iudicii, qui nec Domesticorum defectibus interdum pepercit; nihil ignorabat eorum, quæ dixerunt Martinus Delrius, & alii. At præstaret, inquis, fateri suam cum illo ignorantiam: id necessarium esset, si de mysteriis ageretur, quæ rationi incomprehensa sunt; secus est in rebus facti, quæ sub sensum cadunt, maxime si superfit alia expedita ratio ad has difficultates amoliendas, qualis est illa, quam ex Lorca subieci.

Quod ex Vielmio refers, Concilia œcumenica Diuum Thomam cuivis veterum Patrum parem authoritate fecisse, & quod addis ex Delrio de interpretatione animalium Ezechielis in gratiam D. Thomæ ita te in furorem vertunt, vt extra propositum afferas Vincentium Lirinensem, & alios. Illi enim agunt de authoritate PP. non seorsim, vt priuati Doctores sunt, sed coniunctim, vt communi consensu testes sunt Traditionis, ad quam vnam regulam vult omnes controuersias exigi & resolui; & si cuilibet Sanctorum seorsim D. Thomam quis æquauerit, non adeo erit grande piaculum, vt statim exclamemus, *Blasphemauit.*

Nam

Nam id vnum certum est, amplitudine rerum, ordine, methodo, & forte profunditate, aut subtilitate alios superasse; quia nulli vniuersam Theologiam complexi sunt, qualem nobis mitâ methodo plenissimam dedit. Superior etiam fortè est doctrinæ sinceritate, quia vix vllus est reliquorum, qui aliquando non impegerit. At potes totam Doctrinam D. Thomæ inoffenso pede decurrere, qui vt dicit Clemens VIII. *sine vllo prorsus errore in omni genere scientiarum plurimos libros scripsit*; Nec debes, Petre, fatuo, vt loqueris, in ipsum amori nostro ascribere, si post Summum Pontificem puritatè Doctrinæ cuilibet Patrum æqualem fecerimus. Nec admodum nos tua premunt verba cum ais. *Cedo, quæ sunt illa Oecumenica Concilia, sanctum Thomam Patribus, quantia?* Do omnia quotquot ab eius fœlici obitu sunt habita, maxime Florentinum, & Tridentinum, vt præter Baronium, alioque, testatur Thomas Aleram ex Theatinorum familia libro de politiâ Ecclesiasticâ.

Sed mira est tua, Petre, cæcitas, & indulgentia in tuos, nec minor in nos durities, & iniquitas. Vis ad seueriſſimas leges, & ad rigorem Theologiæ exigere quæcumque dicuntur in Panegyricis, & Laudibus Sanctorum, in quibus fuit semper honesta quædam libertas & loquendi licentia. Quid si iisdem legibus tecum ageremus, quibus nos damnas? Scio à quodam Hispano concionatore in laudem sancti Ignatii vsurpata fuisse hæc verba ex Hebræorum cap. 1. *Multifariam, multisque modis, &c.* Et Diuum illum omnibus qui præcessere Patriarchis antepositum.

Noui alterum, qui in eiusdem Diui festo sanctissimam D. Pauli gloriationem totam transtulit in D. Ignatium: *In quo quis gloriatur, & ego. Hebræi sunt & ego.* Nullum miraculi genus, seu ad depellendos morbos, seu ad mortuos è sepulchro ad vitam reuocandos prætermisit; nullum gratiarum genus, quas gratis datas vocant, nullum denique priuilegium, seu raptus, seu prophetiæ vlli Sanctorum datum contendebat, suo parenti negatum, quo reliquos omnes non superaret, aut certe non æquaret. Hæc de illo, cum tamen vir religiosissimus & individuus Diui comes illi superstes Petrus Ribadeneira vitam fidelissimè scripserit, & nil illorum referat; imo

memini me legisse caput illud, quo exemplo D. Augustini, & Ioannis Baptistæ probat ad sanctitatem miracula, & huiusmodi priuilegia minimè necessaria. Vnde constat posthuma esse, quæ de sancto Ignatio præcipua miracula celebrantur.

Si hæc attenderes, Petre, vtereris eâdem in nos indulgentiâ, quâ vestra sæpe nos interpretari oportet. Quod si vellem è tuorum scriptis in sanctos Patres reprehensiones iniustas, nec sine graui modestiæ, & reuerentiæ illis debitæ noxâ colligere tuo more, non vnam vel alteram diatribam, vt tu è nostris facis, sed volumina conficerem; non ex omnibus; ex vno vel altero tantum, vt Vasquez, & Maldonato.

Memini me legisse apud Patrem Richeomum de gradibus humilitatis Maldonatum conuersatione & humilitate agnum fuisse, in disputatione verò contra hæreticos, Leonem egisse. Sed re vera idem non solum in hæreticos, verum etiam in sanctos Patres ita rugit, vt aliquam dederit occasionem Scaligero acerbius ipsum excipiendi, & vocarit *pecus maledicentissimum.* Iniquius hoc dictum reputo, libenter hoc nomen Maldonato condonabo, dummodo in te cadat, nam hoc solo libro tibi hunc titulum asseruisti. Quidquid sit; si conferas, quæ liberius scribunt in sanctos Patres hi duo Scriptores à me nominati, & quos illis errores falsò apponant, conferas, inquam cum his, quæ ex Cano, & Combefisio in Hieronymum, in Chrysostomum & alios dicta refers, stillam aquæ oceano comparaueris.

Carpis Canum, quod ab Hieronymo carpendo non abstinuerit, & vocarit illum, *Capitosum & in fide adhibendâ morosum.* Vbinam legis, Petre, hæc verba à Cano in Hieronymum? Ferenda sane non est tua in mordendis viris sapientissimis libido, & cupiditas effrenis. Canus lib. 2. ad examen vocat locum Theologiæ ex historia humanâ, & vt vim eius experiatur, ac probet, cap. 3. decem & octo argumenta proponit; & octauo attingit traditionem de Adami in monte Caluariæ sepulchro, ab Augustino, Epiphanio, & Cypriano confirmatam, & ipsomet Hieronymo Epistolâ Paulæ ad Marcellum cap. 5. responsioni ad illud argumentum præmittit hæc verba.

Non debuit sane tantopere ridere Hieronymus Adami in loco Caluariæ sepulturam, nec nos, viri licet sanctissimi exemplo, historias huiusmodi ridere debemus, potuit ne modestiùs loqui in gratiam opinionis receptæ, & Patrum, quos retuli suffragio approbatæ? Vbi sunt, Petre, verba *Capitosi & Morosi?* Et adhuc te patiemur optimum quemque tuis mendaciis fœdantem?

At quarto loco vapulat acerrimè tuâ ferulâ Combefisius, quod dixerit à Chrysost. dissimulari, aut leuiùs haberi potuisse plura, quàm vt tantam viro sancto conflarent inuidiam; & quòd solutior fuerit sancti Chrysostomi lingua, & incomparatus zelus in Eudoxiam. Vnum te volo, Petre, qua re grauat Chrysostomum Combefisius? Leuissimâ culpâ, à quâ D. Petrus non fuit immunis; cuius causâ Paulus illi in faciem restitit; & & quam Tertullianus vocat elegantissimè errorem conuersationis, non fidei. Hoc tantum notat Combefisius in Chrysostomum, quòd potuisset moderatiùs agere, ne exasperaret animum mulieris nullo alio fructu, quàm qui sequutus est.

His addo alterum quo ista tua obiectio, & subinde altera in sanctum Martinum euanescit. An adeo grande piaculum reputas, Combefisium admisisse, quod in Chrysostomo, & in Martino animaduerterit similem culpam illi, quam in Petro Paulus reprehendit.

Dices forte, Combefisium non esse paris cum Paulo authoritatis. At ego reponam nec Chrysostomum, nec Martinum Petri æquare sanctitatem; neque enim saltem de Chrysostomo dictum est, *Oraui pro te, Petre. Tu es Petrus*. Maximè cum non solùm Theophilus, quem tu superbiæ accusas, sed etiam Epiphanius inter iudices Episcopos sederit, & in Chrysostomũ tulerit sententiam, cui accessit nepos Theophili Cyrillus Alexandrinus Chrysostomo, sicut nec Epiphanius, sanctitate & eruditione inferior. Pater Combefisius apparatu ad concionatoriam Biblioth. suo de sancto Chrysostomo iudicio inter Pontifices Diuo infensos Principem ponit Porphirium Gazæ Episcopum virum sanctissimum Eudoxiæ charissimum, cuius authoritate, & fauore vsus est fœliciter exscindendâ simulachorum superstitione, ac Christianæ Religionis cultu adaugendo. Ex quibus duo apertè constant,

primò te falsò dixisse, qui tricati sunt circa sancti Chrysostomi relationem in Dyptica non fuisse nisi dyscolos, & rebelles homines & diem hominis desiderantes.

Vide quomodo Lectori imponas, aut quibus Epiphanium, Cyrillum & Porphyrium annumeres, qui fuere inter aduersarios Chrysostomi. Vnde secundum, quod moneo, euidentissimum est, Combefisium summâ laude dignum, quod leuis culpæ vnum accusauerit, vt duos Diuos ab atrocissimi criminis notâ vindicaret. Quî enim Epiphanium, & Cyrillum excusare possis, si, ne quidem in speciem, aut leuiter Chrysostomus peccarit? Sed tu nihil pensi habes causam Chrysostomi. Id vnum moliris, vt Dominicanus audiat, quasi Diuis infensus.

Iterum te conuenio: Censes ne grauiùs Chrysostomum à Combefisio læsum, imposito errore leuissimo conuersationis, quàm à Vasquez, qui contra omnium Theologorum etiam suæ Societatis mentem, contra expressa Chrysostomi verba grauissimam illi hæresim affingit, quâ totius Christianismi, totius gratiæ ordo funditùs euertitur? Contendit enim acerrimè, quasi pro aris & focis pugnaret, Chrysostomum Deum facere mentibus creatis inuisibilem, ac proinde visionem beatam, *quæ*, vt dicit Augustinus, *est tota merces Christiani, tota nostra fælicitas*, esse impossibilem; sicuti comprehensionem Diuinitatis, soli Deo eximiam: nec tamen apud te Vasquez quidquam mali admisit. Adeo æquum iudicem agis. Tu certè eum te probas vbique, qui nullum vitium in amicis, nullam virtutem in inimicis agnoscas.

Sed fortiùs tecum ago; putasne Combefisium excessisse, si eo loco Chrysostomum, quo ipse Chrysostomus Beatissimam Virginem reposuerit, si mitiùs cum eo egerit, quàm cum Deiparâ Chrysostomus? Quid ad ista, Petre? Ignorasne Chrysostomum sanctissimæ Matri non vno loco notam aliquam peccati inussisse? Quid ad illud D. Tho. 3. part. quæst. 27. art. 4. ad tertium. *Respondeo quod in verbis illis Chrysostomus excessit*, vtcumque tamen excusat, *vt intelligatur in Deipara cohibuisse non inordinatum inanis gloriæ motum, quantum ad ipsam, sed id quod ab aliis posset existimari.* Ad illam responsio-

nem S. Doctoris hæc verba habet Caietanus: *Considera reuerentiam, modestiam, sapientiamque S. Doctoris: Inuenit Chrysostomum in hac materiâ contrarium Augustino rationique; non clamauit accusando, exaggerando (vt hodie faciunt multi) modestissime dixit, excessit, sapientissime subiunxit verba ipsa reduci posse ad sanum sensum, quidquid author senserit, subtinens.* Vide quæ adiunxit Caietanus, vt inde agnoscas Petre, nos Dominicanos aliosprorsus esse, quàm tu, tuique similes animo, & te per summam calumniam obiicere Sanctos Patres à nobis castigatos, cum multo reuerentius eos habeamus, quàm tui, & quàm ipsemet Chrysostomus Dei-param habuerit.

Sed quàm bellè causam odij in Chrysostomum Dominicanorum ais esse, negatam ab illo prædeterminanem Physicam. In primis ille, in quem agis, ita totus est in legendis, vertendis, commentandis Sanctis Patribus maximè Græcis (in quo genere nullum superiorem, nec fortè parem fide, & eruditione hoc sæculo habet) vt de scholæ contentionibus parum cogitet. Deinde Chrysostomus apertissimè gratiam efficacem confirmat; dum illius defectu peccasse asserit Petrum. Tertiò ad illa, quæ ex Chrysostomo refers pro tua contra nos opinione, facillima & obuia est responsio apud Salmanticenses, qui notant verba ex hom. 16 in Ioannem: solâ persuasione nobiscum Deum agere, non extare in Græco, & apposita fuisse à Pelagianis; quia etiam secundum tuos verè Pelagiana sunt: ac proinde etiam à te tuisque respuenda.

Te Theologum non serio agere iamdiu probaueras multis argumentis, verum aliquam Grammatistæ hactenus opinionē seruaueras, sed ab illâ planè excidisti, probatione ex his verbis Apostoli, *quando visum est Deo, me segregauit ex vtero, &c.* Quâ vis scientiam tuam mediam ex Paulo eruere; quasi visum est Deo, non sit eo loco idem ac placuit Deo, aut sic statuit. Nil mirum dum temerè potiùs scribis, & impetu in nos inueheris, quàm consilio, & meditatus agas, lapsus tuos numerum verborum superare. Responsione ad accusationem de Chrysostomo responsum est etiam pro Martino, quem male habitum conquereris à Combefisio.

Sed si Petrus peccare poterat nimia indulgentia, quid mirum est Martinum in aliud extremum vitium delapsum? Hæc à me dicta fuerunt, dum meliora à Combefisio expectabantur, & promissi fidem absoluit, dum scripsi eum non passurum, se impunè lacessitum fuisse per Summam iniuriam à mordacissimo sene, perinde auido spargendorum, quæ longo studio collegit, conuiciorum, sicuti senes solent esse congregandæ pecuniæ, & seruandæ tenaces. Quæ vero ad sui nominis defensionem scripsit fusiori stylo suo illo apparatu titulo sancti Ioannis Chrysostomi paucis perstringam. In primis quàm alienus fuerit semper à liuore detrahendi Chrysostomo, & quanti sit illi hoc nomen, testes vult haberi suas in illum lucubrationes & tot monumenta illius, vel ex tenebris eruta, vel illustrata. Vnde censet, illius liuoris nomine, nulli potuisse esse suspectum, nisi Theophilo, qui Apostolicum ipsum symbolum multiplicis erroris insimulauit.

Quæ verò de sancto Chrysostomo, & Martino Pontifice ex historiæ Monothelitarum paragr. 14. suscepit carpenda, non aliud vitii habere possunt, quàm quòd Chrysostomi magnam seueritatem sibi quidem sanctam, scripserit non perinde vniuersis in Oriente per hæc tempora fuisse probatam, etiam viris sanctis, vt Porphirio, &c. Quod ad Martinum Papam pertinet, illum cum Vitaliano Pont. Rom. contulisse, & vnum eumdemque spiritum in vtroque varium suspexisse lenitatis, & seueritatis, neutri detraxisse: sed indicasse tantum quid alterutri commodi, aut incommodi subesset. Et hæc est atrox illa in Chrysostomum, in Martinum Papam, orbemque Christianum iniuria, cuius accusat Theophilus Combefisium, & quasi sacrilegum peragit: quamuis non sit dissimilis, aut grauior, quàm si quis miratus ortam contentionem inter Paulum, & Barnabam Marci causâ, se nescire profiteretur, Barnabæ lenitas, vel Pauli seueritas magis ad Euangelii progressum conduxisset.

Hæc præfatus eleganter Combefisius ad suam causam asserit, & multis probat in eâ Chrysostomi historiâ, vnde calumniandi se ansam arripuit Raynaudus, totidem commenta & mendacia protulisse. Et in primis quod ex

Theodoreto libro nono historiæ refert, Innocentium I. noluisse communicare cum Ioannis aduersariis, nisi nomen eius in Dyptica referrent, falsissimum est. Nam præter quod pauciores Theodoretus historiæ libros scripsit; libri quinti cap. 34. vbi de hac controuersia nominis Chrysostomi in tabulas Ecclesiæ publicas referendi agitur, ne verbum quidem de Innocentio, sed de Orientalis Ecclesiæ Episcopis, Chrysostomo aut beneuolis, aut infensis: nec dissidium, quo totus Oriens flagrauit, extingui potuit nisi Chrysostomo in Cœlum assumpto, eiusque paulatim memoria populis, ipsisque Episcopis Sancta habita. Et hæc erudite prosequitur Combefisius stylo opportuno calumniis Theophili depellendis.

Cæterùm Christi gratiæ ad singulos actus necessariæ facultate arbitrii integrâ assertorem Chrysostomum agnoscit, saluo semper altiori Dei vocantis, & excitantis consilio. Vnde tantum abest, vt hoc nomine Chrysostomo infensior sit, vt hanc potiùs gratiam singulariter olim coluerit, & colat. Tandem concludit longius Theophilum à Chrysostomi obseruantiâ abesse, & ipsum penè irridere, cum hæresis infamet, quod ex communi Patrum traditione censuerat Beatam Virginem desponsatam fuisse Iosepho, non eius coniugem, cum Spiritu sancto obumbrante concepit. Placuit ex Combefisio colligere quæ ob singularem eruditionem non dubito fore grata Lectori. Ad nostra redeamus.

Vindicias parat Petrus pro Gregorio Magno, & pro Beda contra Canum quòd in illis desiderauerit maiorem delectum, & diligentiam in scribendis quibusdam miraculis, quæ minùs certa haberi possent. Verba Cani lib. 11. cap. 5. vbi multa dixit pari sapientiâ & eloquentiâ, & vtrâque summâ, qualem in Theologorum nullo hactenus vidimus; subiungit. *Quæ ego eadem de Beda, atque, Gregorio iure fortasse, ac verè dicere possum. Quorum ille in historiâ Anglorum, hic in Dialogis quadam miracula scribunt, vulgò iactata, & credita, quæ huius sæculi Aristarchi incerta esse censebunt.* Potuit ne Canus modestiùs, & reuerentiùs loqui de summis illis Viris? Potuitne acerbiùs Petrus cum illo agere?

Verum vt rem totam prudentis Lectoris iudicio subiiciamus, placet referre, & comparare vtriusque verba:

Cani in Bedam & Gregorium; Petri in Canum. Nam hic ita prosequitur. *Sed quoniam modeste, & circumspecto iudicio de tantis Viris pronuntiandum est, ne in his quidem duobus reiicienda sunt plurima; pauca enim in eis arguere possis, quamuis historiam Ecclesiasticam reuocare ad seueriora iudicia contendas. Ac si necesse est in alteram partem peccare, omnia eorum probari legentibus, quàm multa reprobari malo.* Verum idem Author monstrat se remotissimum ab illo, quod in Petro iam notaui, vitio; vt sua, suosque adoret, licet erroribus scateant, & corruptissimè scribant; in extraneis ne minimos quidem nævos pati possit. At contra noster Canus humanissimus in extraneos, summâ reuerentiâ in antiquos Patres; cum suis suique Ordinis, id est, cum Vincentio Bellouacensi, & D. Antonino, quasi cognatio, & necessitudo, ius daret liberiùs & seueriùs iudicandi; quasi de se sic de illis liberè iudicat. *Vterque*, inquit, *horum non tam dedit operam, vt res veras, certasque describeret, quàm ne nihil omnino praeteriret, quod scriptum in schedulis quibusdam reperiretur. Quamobrem boni licet, ac minime fallaces viri, qui tamen nec authores eos, à quibus suos exscripsere libros, diligenter examinarunt, nec res iustis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud criticos graues atque seueros authoritate carent.*

Hoc Cani iudicium de Gregorio, & Beda primum, deinde de Vincentio, & Antonino. Censesne, erudite & Christiane Lector, dedisse iustam Petro expostulandi causam, & conquerendi, quod opus illud Cani, non fuerit damnatum, & flammis absumptum? Dubium plane relinquit scriptor ille iniquius ne damnet Cani libros, & velit prohibitis annumerari, an suos defendat, & homines Superosque accuset, quod inter prohibitos legantur, quasi vt ipse inquit, non minor sit iniuria, quàm quòd Christus inter duos latrones fuerit cruci affixus.

Sed vt ad rem redeam, mi Lector charissime, dum Cani, & Petri verba confers, nonne tibi videris audire hinc Cygnum canentem, inde Cauem crocitantem? Hinc hominem humanas voces proferentem, inde bouem reboantem? Colligamus aliquot ex eius viridario flosculos. *Sed redantruat Canus; Bedam Canus rudistatis*

& aucupii fauorum vulgi insimulat, quasi egenum, & triobolarem. His quæ retulimus verbis, quasi furore actus addit; *Res est profecto dignissima admiratione, talia scriptis de Gregorio, & Beda ausum committere Canum. Nec minus stupendum est talia scripsisse hominem religiosum, & impunè tulisse; ita vt nullus iudex publicus, de libro adeo petulans de sanctis scriptoribus iudicium continente proscribat, aut supprimendum esse, aut corrigendum.* Et subinde effunditur in laudes D. Gregorij, & maximè Dialogorum eius, quasi Canus eas non agnouerit. Subiungit eumdem Canum, *damnasse Zachariam Pontificem Dialogorum è Latino interpretem; Quasi tempus male collocasset, gerris narrationum indiscussarum ad lenocinandum vulgo, & indulgendum plebeculæ sine maturo iudicio contextis ad Græcos Græcè transmittendis.* Vbi, Petre, hæc Canus? Profectò stylus monstrat non esse sensum ipsius, sed tuas calumnias; perinde enim facile est stylum eius à tuo distinguere, ac voces humanas à ferinis.

Non immoror in his refellendis quæ Cano obiicis; reprehendisse immerito Gregorium, quod loco Theodoreti Sozomenum citarit, quod è catenâ D. Thomæ locum è Nazianzeno citatum negarit huius authoris esse. Etsi vera demus, quæ obiicis, quid ad tuæ Diatribæ argumentum? Anne quia Canus memoriâ lapsus est, aut totum Nazianzenum non habuit in numerato, Dominicani traducendi sunt quasi hostes Diuorum? Addo Canum occupasse quæcumque Theophilus ex se, vel ex Bilio obiicit. Nam quoad Sozomenum dicit plures fortè, quàm ad nos peruenerint, libros scripsisse; vnde potuerit Gregorius haurire, quæ desiderantur in his, qui supersunt libris Sozomeni. Quoad obiectionem ex Nazianzeno, iniquior est censura Theophili improperantis nobis hallucinationem præfidentem. Sic enim habet Canus libro 12. cap. 14. paulò ante solutionem argumentorum; Græcus, quem refert sæpe D. Thomas in catena, quamuis hoc loco vitiosa sit lectio, & tribuatur Gregorio Nazianzeno. Certe his verbis non negat vllibi extare apud Greg. Naz. quod ex illo citat D. Thomas de incremento sapientiæ Christi.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [405] - 345
PUBLIC DOMAIN

Sed omissis nugis aliquid magis serium ex hac disputatione tibi, erudite Lector, subiicio. Hæc ex Cano fusiùs retuli, cum vt rem, quam præ manibus habemus, vrgerem, & Canum vindicarem à calumniis, quibus homo importunissimus illum vbique fædat; tum etiam vt hâc demonstratione, quæ mathematicas euidentiâ superat, refellerem in antecessum, quæ ipse infra falsissimè scribit de dissensione Cyriacorum à suis, cuius principium à Cano, quasi Authore repetit, & natam dicit ab hâc triplici causâ, à superstitione, à barbarie, à liuore.

Non te pudebat, dum hæc scriberes, calumniæ ab omni specie veri alieniſſimæ? Quis hominum Cano ab his tribus vitiis remotior? Quis illo in iudicando liberior? Et magis abhorrens à fucatâ pietate? Quis inter Theologos Catholicos illi Tullianâ eloquentiâ comparandus? Quæ illi causa inuidiæ, in societatem adhuc tenellam, adhuc in cunabulis positam, & vix balbutientem? Ac non tunc tantummodo, sed nec hactenus aliquis vestrorum Scriptorum prodiuit, qui in Theologicis elegantiâ Canum superet; certè numquam vidi parem, aut qui fælicius Thomam Tullio iunxerit. Et audes per summam improbitatem scribere ab illo natam ex barbarie Dominicanorum cum tuis discordiam? An non veriùs asseram, te similem illis qui ictero affecti colorem croceum affundunt his quæ intuentur; ita tu aliis affingere soles morbum inuidiæ, quo grauissimè laboras.

Quod de fascinatione dixerunt philosophi in plures diuidunt species, & vnam naturalem agnoscunt quæ maximè insit hominibus, & mulierculis turpibus, & vetulis, cuius vim per oculos exerant acriùs in paruulos, qui præ teneritudine opportuni sunt iniuriæ, & in pulchriores, quòd suæ turpitudinis pudore, & alterius pulchritudinis inuidiâ exacerbati, spiritus vehementiores commoueant, & per oculos validissimè vibrent, & eiaculentur in eos, quos execrantur maximè, quòd sint sui dissimiles, & eorum collatione, fœdi & aspectu intolerabiles appareant.

Quis tu, mi Petre, præ Cano nisi saga vetula, & Medea, selectæ & formosissimæ Virgini collata? Hinc tuus

in illum liuor perpetuus, hinc in pulcherrimum eius opus toto loquacitatis spiritu debaccaris. Sed quis indè existit fructus? Cani laus, & tua infamia æterna, quòd vt dixi, caligantibus oculis, tantum lumen ferre non possis. Neque enim tu Gregorij reprehensionem, quæ modestior esse non poterat, vis vlcisci; sed diuinum opus ferre non potes, quòd tibi hanc ridiculam gloriationem abstulerit, quasi sentes Theologiæ, vt dicis, amænaueris, & solus è tuis, vel certè soli tui Eloquentiam Tullianam adiunxeritis rebus Theologicis. Sed hanc laudem (quòd tu concoquere non potes) tibi abstulit Canus; hinc liuor. Incidisti in manus medici, qui probè morbum tuum nouit, & censet eius progressum aliquo cauterio cohibendum.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Satisfit objectionibus reliquis diatribæ de Beati Xauerij Apostolatu, instituto Carthusianorum, de Reuelationibus Sanctæ Brigittæ, & nimiis laudibus D. Thomæ.

EX omnibus Dominicanis, Magister sacri palatij Ricardius post Canum secundus est, quem maxime Theophilus allatrat: quia illi accedebat, diuersâ tamen indole & eruditione; vterque parem adepti laudem, vt pares ingenio; sic tamen, vt vnus impetu, alter iudicio, ille extemporaneâ eloquentiâ, & acutè dictis in promptu, hic stylo valeret.

Nicolaus igitur Ricardius toties his diatribis discerptus inuidit sancto Xauerio titulum Iapponum & Indiarum Apostoli. Adeo ipse, & nos omnes ab inuidia absumus, vt exclamemus: vtinam tu ipse, vtinam reliqui omnium vestrum essetis Prophetæ, essetis Apostoli (vno verbo) essetis Xauerij. Vtinam Xauerij spiritus numquam deferbuisset in cordibus eorum, qui eius labores excepere: staret nunc Ecclesia Iapponensis olim florentissima eius extructa manibus & Sudoribus coagmentata, quam nunc penitus euersam lugemus.

Poterat vir ille Diuinus, si per humilitatem licuisset,

de se vera loqui ac dicere, quod, vt ait Tacitus lib. 2. historiæ, Otho Cæsar vltroneam mortem sibi illaturus nepoti consuluit; ne omnino obliuisceretur se Patruum Cæsarem habuisse, nec nimium meminisset. At nos vt plurimùm majorum, qui præiuere virtutibus, & gloriam nobis compararunt, obliuiscimur ad imitationem; & recordamur tantum ad iactantiam: vndè fit, vt plerumque degeneres ab eorum moribus, quæ ipsi perfecere, euertamus. Pro summo beneficio reputo eum, qui me primus instituit, Magister Nouitiorum Iaponas ornasse sanguine suo, & martyrio longe crudelissimo; nam inter cætera tormenta, quæ recensere longum esset, transfixi fuerunt digiti omnes subulis, & corpus bis mille vicibus aqua, quasi vter, tumidum vi per omnes meatus eiecta eadem aqua, cruciatum fuit multis diebus.

Sed ad rem nostram; Conquereris, Petre, Magistrum sacri Palatij audito nomine Iaponum Apostoli, Xauerio dato, veluti harpyam illico inuolasse in illud cognomen, & erasum voluisse. Quam modestè agis vbique, nunquam occurrit tibi Pater ille Monstrum, quin videaris in furorem agi: P. Riccardius non dubitauit, quin Xauerio titulus ille deberetur. Sed scis Romanas aures non facile pati nouitates vocum.

Quid mirum si Pater Monstrum, pro sui officij ratione voluerit causam tituli explorare? Nihil illorum, quæ affers, ignorabat Riccardius ab excessu, & sublimitate sapientiæ monstrum appellatum; sed nolebat fieri vulgarem Apostoli titulum: & ideo iustissimam habebat maturandi potiùs, quàm festinandi causam. Sed tu ita putas tibi tuisque omnia deberi, vt injuriam tibi fieri credas, si vno momento differantur tua vota aut imperia.

Ceterum malâ fide historiam corrumpis, sicuti soles, Theophile. Post hæc scripta, & semel edita comperi, datum sancto Xauerio titulum primi Indiarum & Iaponum Apostoli. Quod, cum minimè verus esset & legitimus, & sanctus Thomas Apostolus pluresque alij posterioribus sæculis eò nauigassent, Euangelij prædicandi causâ, noluit hanc laudem illis præripi, concesso nomine primi Indiarum Apostoli D. Xauerio;

licèt Apoſtoli vel primi etiam Iaponum nonnegaſſet. Sic vbique Theophile, veritatem tuis fraudibus, quaſi ſolem caligine obuoluis.

Grauas etiam Patres noſtros nouâ accuſatione, quod reuelationes ſanctæ Brigittæ in odium illius de Conceptione immaculatâ improbarint, quamuis Bonifacius nonus poſt maturum Theologorum examen edi permiſerit. Vbique ignorantiam, & malam fidem prodis. An ignoras has D. Birgittæ reuelationes Turrecrematæ Cardinalis noſtri ſapientiſſimi cenſuræ fuiſſe permiſſas à Summo Pontifice, eius lima purgatas, & ſuffragio munitas prodiiſſe, etiam retentâ illâ, quam objicis de Conceptione Immaculata? Adeo alieni ſunt noſtri homines ab illorum indole, qui ex Sanctorum Patrum libris eraſa volunt, quæ à priuatis ipſorum placitis diſſident. At Turrecremata, qui de argumento Conceptionis ſcripſit in gratiam Diui Thomæ, intactum reliquit in libro eius arbitrio permiſſo, quod ipſius ſententiæ minùs conueniebat. Adeo antiquis moribus, & ſincerâ fide viri iſti probi, & ſapientes res ſuas perage-bant: & tu audes, Petre, vitia huius ſæculi illis omnino ignota imponere.

Cæterùm indubitatum eſt, D. Birgittæ reuelationes non eſſe habendas vt Propheticas, & quæ in ſacrâ ſcripturâ habentur, ab Eccleſiâ item fuiſſe approbatas, ſeu potiùs permiſſas, *quatenus nihil continent, quod intellectum habeant aduerſum ſacræ ſcripturæ, aut doctrinæ ſanctorum Doctorum ab Eccleſiâ approbatorum, aut ita alienum ab exemplis Sanctorum ſit, quod piat valeat offendere aures*: ait Cardinalis Turrecremata in prologo dictis reuelationibus præfixo: & Gabriel Vaſquez tom. 2. in 3. part. q. 17 diſp. 117. cap. 6. num. 77. ſic ait. *Neque vero dicendum has reuelationes ita ab Eccleſiâ probatas fuiſſe, ſicut reuelationes Prophetarum in ſacrâ ſcriptura probantur; ſic enim tamquam de fide inuiolabiliter credendæ eſſent; ſed quia tanquam piæ, & abſque ullâ ſuperſtitione prudenter à populo recipi poſſint, & obſeruari?* Hoc fere idem voluit Bartholomæus Sybilla. Nec adeo graue piaculum fuit, hujuſmodi reuelationes ad purè humanas cogitationes, hoc eſt, non ad cogitationes à Spiritu ſancto infuſas

reuocare ; quidquid Delrius magicis inquisitionibus assuetus, & nimium credulus reclamet.

Non tibi satis fuit asserere Dominicanos alicui Sanctorum seorsum infensos fuisse : vis etiam Diuorum turmis indixisse bellum, id est toti Ordini Carthusianorum, quam meritò dixeris amplissimam sanctorũ societatem, quæ in terris degit, vt Beatorum vitam cælestem imitentur & nobis spectandam & admirandam præbeant.

Accusas nostros Theologos statutum illud Ordinis Carthusiani de abstinentiâ à carnibus, etiam cum vitæ dispendio obseruandum impugnasse, & Arnaldum de villa-noua fuisse acerrime tutatum, vt ipse gloriatur contra Iacobitas, id est secundum tuam interpretationem, contra Dominicanos. Nisi tibi gratissimum esset, & auidè arriperes quidquid minùs fauet Dominicanis, suspecta tibi fuisset relatio Arnaldi Medicorum sui sæculi facile Principis, sed Theologi pessimi : & cum eius nomen hæreticorum Catalogo sit adscriptum, poteras dubitare, num hæc scripsisset in odium illorum, qui fortè in eius errores inquisierant.

Deinde hæc disceptatio Dominicanorum cum Arnaldo de statuto Chartusianorum ad Philosophiam potius pertinebat, quàm ad fidem, & Theologiam moralem : nam, vt sapienter notat noster Arauius, quæstio hæc grauissima de abstinentiâ à carnibus, etiam cum vitæ dispendio, aut periculo seruanda multiplex partibus est, & secundùm tres status agitari potest. Primo cum Carthusiano ægro, aut sano, cui desunt ad seruandam vitam cibi omnes præter carnes ; secundò cum supperit omne genus ciborum præter carnes, paris virtutis ad propellendum morbum, vel vires instaurandas, quales dari posse contendebat Arnaldus, quod negabant Dominicani. Atqui in hoc sita erat illorum dissensio quæ ad Carthusianos nihil spectabat. Tertiò denique cum cibi adsunt : quos tamen agnoscas minus virium habere, quàm carnes ad mortem depellendam. Hoc triplici controuersiæ statu posito, mens Dominicanorum interprete nominato à me Theologo primario Professore Salmanticensi, & responsio communis est, si desint omnino alij cibi præter carnes, istis vtendum Carthusiano ne sit homicida sui :

ſecundò verò caſu omnes vno conſenſu à carnibus abſtinendum conſentiunt: Tertio paulo difficiliori ſtatu diuiſi ſunt Theologi, ſed Dominicani omnes ſtant pro Carthuſianis. Nam Victoria, Soto, & alij cenſent, abſtinere poſſe, ſaluâ conſcientiâ Carthuſianos à carnibus, non tamen debere. At ego cum Arauio cenſeo, ſi poſſint, etiam debere; quia quidquid licitum eſt, præcipi poteſt, & fieri ſtatuto neceſſarium ad boni communis incolumitatem. Hæc noſtrum omnium de Inſtituto Carthuſiano ſententia eſt.

An cenſes, Petre, illis aduerſam eſſe, & nos huius cauſâ poſſe à te accuſari, quaſi ſanctiſſimi inſtituti hoſtes? Sed fruſtra moliris Dominicanos à Carthuſianis ſeiungere, quibuſcum ſunt longiſſimâ & perpetuâ amicitiâ, & neceſſitudine arctiſſimè deuincti. Si originem huius cognationis repetas, inuenies, initam à Sanctiſſimo Patre Dominico, qui cum in ſuis monaſterijs, nullam ſtudio paupertatis cellam haberet, voluit poſſidere quaſi iure hoſpitij apud Carthuſianos, vt fatigatum laboribus & prædicationibus animum eò aliquando ſe recipiens contemplatione recrearet, & miniſterio Marthæ adiungeret otium Mariæ.

Inchoatam à Parente Noſtro amicitiam cum Carthuſianis quaſi partem Patrimonij noſtri diligentiſſimè coluimus, & perpetuam ſeruauimus, tum beneficijs vltrò citroque receptis, tum ſimilitudine morum & inſtituti, quod ferè eiuſdem generis eſt, eaſdem penè leges de ieiunijs per ſeptem menſes, de abſtinentiâ à carnibus perpetuâ, de ſilentio & de reliquis diſciplinæ partibus, quæ adeo intimè vtrumque ordinem iunxerunt, additis etiam ferè eiſdem veſtibus, vt Dominicanus videatur eſſe Cathuſianus, qui Charitatis cauſâ paululùm à ſolitudine ſecedit; Carthuſianus etiam Dominicanus ſit, qui actione intermiſsâ totum ſe contemplationi tradit. Et ne quidquàm deſit ad Inſtitutorum ſimilitudinem, & fraternam concordiam, acceſſit etiam ipſa veſtis ſimilitudo.

Quid beneficia mutua referam? Quid ornamenta ab Ordine Dominicano collata Carthuſianis? Nonne ab illo habuerunt Ludolfium illum ſanctitate, & libro de vitâ Chriſti in totâ Eccleſiâ celeberrimum? Inde Surius

huius ordinis ornamentum accuratiùs & elegantiùs vitas Sanctorum Nostrorum scripsit, quasi ad Carthusianos pertinuissent: & ideo comitia nostra generalia scriptis nomine totius Ordinis literis, gratias egerunt maximas pro hac singulari in Dominicanos beneuolentia, quam testatam voluit effusis illis laudibus in viros nostros sanctitate illustres. Ipse etiam Pius V. pro suis in Ordinem, & in totam Ecclesiam meritis laudauit, & ad prosequendam historiam hortatus est. Quid igitur discordiarum seminator, inter fratres sapientis iudicio non ferendæ, Ordines amicissimos, moribus & instituto simillimos, affectu arctissimè iunctos sollicitas ad discordiam? Quamuis rumpas, amicitiam mutuis beneficijs æternùm seruabunt.

Concludis tandem tuam de violatâ sanctorum veneratione à Dominicanis causationem, ipsâ D. Thomæ inhonoratione, quem læsum, præ nimio affectu nobis improperas, & vis conuincere quatuor argumentis, aut injuriarum generibus. Primò asseris malè meritos de Thoma Dominicanos multis scriptorum eius locis corruptis, & deprauatis audacissimè à Cosma Morelles, & à Thoma Lemosio. Secundò adiunctis illi, & adiudicatis quasi legitimis filiis multis operibus spuriis; tum vt eius nomine essent vendibiliora, tum vt mole voluminum Scoti lucubrationes superarent. Tertium iniuriæ genus Dominicanorum in Thomam asseris esse laudationes illas insulsas, quibus sanctus Thomas putidè extollitur supra illud omne, quod dicitur doctum, quæ, vt inquis, non tam extollunt D. Thomam, quàm deprimunt, non tam colunt, quàm infamant. Quartò, inquis, inhonoramus D. Thomam affictis illi falsis opinionibus iniurioſis tanto Doctori, quales sunt de prædefinitionibus æternis, de præmotionibus temporariis, quæ omnem auferunt libertatem, & in Caluinistarum tandem hæresim ita apertè delabuntur, vt D. Thomæ, & Thomistarum sensum gratulentur & Batani & Geneuates Theologastri. Hæc, vt ipse inquis, attingis magis, quàm prosequeris, ideò etiam ego te imitatus strictim delibabo. De corruptelis locorum D. Thomæ aliquid nobis dictum est superiùs: plura de his inferiùs, quò recurret eadem accusatio refellenda: de

variis

variis elogiis, quibus dicis nos fœdare D. Thomam aliquid attigimus, sed iniuriæ atrocitas plura à me extorquet, quàm vellem, & quàm tuis rebus conueniret.

Videmur tibi adeo impotenter in D. Thomam ferri, vt censeas nos simiis non dissimiles, qui paruulos, dum nimio affectu arctiùs stringunt, strangulant; verùm vt hanc calumniam, cum tuo dedecore refellam; vnum te volo. Credis-ne D. Thomam ab vllo tuorum superatum omni laudum virtutumque genere, nempe splendore natalium, vitæ innocentiâ & sanctitate, summo ingenio, eruditione reconditâ, scriptorum genere & amplissimis in Ecclesiâ meritis? Licet fortè adeo amans tui sis, vt non solum tuorum præstantissimos, sed te ipsum illi anteponas, quamlibet præceps sis, tuum sensum non auderes euulgare. Puto te pluries iam euoluisse illum Auctorem qui sub titulo Anni sæcularis panegyricum scripsit tui instituti, & eorum, quos tulit & educauit. Quid par habet laudatio D. Thomæ à nostris instituta, illi, quam de tuis prosequitur orator ille, cuius fragmenta tantum vidi? Nam virum grauem è vestris, quem rogabam, mihi illius copiam faceret, certè testatus est non obscurè, se pudere mihi dare legendum.

Quis vmquam Narcissus de suâ pulchritudine ita complacuit sibi, vt scriptor ille de suorum hominum dotibus, eruditione, & celebritate plaudit, exultat, triumphat? Vt hominis Christiani, & religiosi fastum & philautiam non ferres in philosopho, quem D. Hieronymus gloriæ mancipium vocat, nec in Ethnico, qui omnia ad ostentationem refert. Sordescit D. Thomas auxesi laudationum à nobis ornatus, præ illis heroibus, quos illustrat ille Annus sæcularis. Nec dubito quin apud te reputes totam hanc tuorum laudationem, quæ nostram D. Thomæ multis partibus superat; iacere infra meritum instituti tui, & eius alumnorum. Saltem illud exemplum effusissimarum laudum in tuos, si sapores, poterat te deterrere à reprehensione adeo acerbâ Dominicanorum, quasi blasphemantium, cum D. Thomam longè disparem, & inferiorem faciunt loco, quo tuos reponis.

Poteras etiam, si sapuisses, abstinere ab alterâ calum-

niâ, quòd auxerimus legitima opera D. Thomæ ſpuriis auaritiæ & ambitionis causâ, vt venderentur chariùs, & ſupra Scoti opera excreſcerent volumina D. Thomæ. Vbique prodis te tui ſimilem: ſi vellem tuas opinationes & coniecturas paſſim per totum opus ſparſas Lectori vno conſpectu repræſentare, demonſtrarem tua iudicia, dum vigilas, abſurdiora eſſe dormitantium ſomniis, aut phreneticorum illuſionibus: quale eſt illud tuum de adulterinis operibus D. Thomæ adſcriptis Criterium.

Cur imputas tanquam vnicæ cauſæ, fatuo, vt loqueris, amori Dominicanorum in Thomam, quod in Diui vergit dedecus, quod eſt in tormentum diſcipulorum, quod denique cuilibet nobiliorum ſcriptorum contigit? Nonne Auguſtino? Nonne Ambroſio? Nonne & Doctorum cuique adſcripti ſunt ſuppoſititij libri? An non idem Thomæ potuit accidere, etiamſi in eius diſcipulorum mentem non veniſſet ridicula illa cogitatio augendi molem voluminum D. Thomæ ſupra Scoti opera? Quis vmquam negauit D. Thomam librorum multitudine Scoto eſſe ſuperiorem, vt dolo opus fuerit ad hanc victoriam comparandam? Verè oſtendis, te nec corticem operum Scoti vidiſſe. Certè ſola D. Thomæ ſumma excedit mole opera omnia Scoti, qui de Theologiâ tantùm ſcripſit ſuper quartum librum Sententiarum, & inde alium librum; quem inſcripſit Reportata Pariſienſia, & præterea, quæſtiones quodlibetales; alia vero quædam exigua opuſcula ipſius Philoſophica ſunt, non Theologica.

Veriſſimè dixi, te non ſcribere cogitationes hominis vigilantis: An ignoras hos ſpurios libros torturam eſſe Thomiſtarum, vt concilient cum his, quæ continent opera indubitata? Neſcis in editione Romanâ iuſſu Pij quinti, alio charactere à legitimis fuiſſe impreſſa? Plus ergo moleſtiarum diſcipulis indè infertur, quàm poſſit magiſter laudis decerpere. Sed affingunt Thomæ opiniones, quæ in totum libertatem auferunt, quas Bellarminus, & Thomas Valdenſis à D. Thoma longè amoliuntur, quas Ferrius, & Ameſius auidè excipiunt tanquàm vera Caluini Magiſtri ſui ſenſa. Dominicus Soto conqueritur aliquos, qui ſe Thomiſtas dicunt, & non ſunt, contendere in potentiâ agente

esse aliquem actum primum distinctum à substantiâ, & potentiâ operatiuâ.

Hâc obiectione parasti tibi viam ad quartam diatribam, quâ D. Thomæ & eius discipulorum doctrinam exagitas: huic difficultati, quam omnibus paginis ingeris, satisfaciam sequenti examine tuæ quartæ diatribæ, quantum breuitas apologiæ patietur. Sed quia fortè non occurreret locus respondendi testimonio Soti: Dico eum nihil obesse sententiæ receptæ apud Thomistas de præuio concursu, quia ea quæstione Sotus disputat, an operatio transiens, qualis est calefactio, in igne sit, an in ligno. Hoc vltimum asserit Sotus, & primum negat contra nonnullos Thomistas Caietanum, Flandriam & alios qui actionem in agente ponunt, & suam sententiam quibusdam D. Thomæ locis confirmant, quod improbat Sotus. Sed longe diuersa est ab hâc de prædeterminatione controuersia ex Soto.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Dictorum ad hanc Diatribam, & toto hoc libro Epilogus, & Confirmatio.

HACTENVS pro rectâ in Deum fide, pro sincerâ in Deiparam, & in Diuos omnes, & in sedem Apostolicam Dominicanorum religiosâ obseruantiâ pugnatum est à nobis contra Theoph. Quo successu, iudicium sit penès æquos lectores, ex aduersarij malis omnibus artibus quòd vbique vel morosum Censorem egerit, vel apertum calumniatorem.

Si quid graue, & alicuius momenti obiecit, falsi manifestè conuictum est, si quid veri calumniis admiscuit (quod solet etiam ipsemet mendaciorum pater) vel nihil ad rem faciebat, vel adeo erat leue, & futile, vt in huiusmodi minutijs aperiendis, aut carpendis morari, & totum esse, non solum otiosi, sed verius sit parum æquî Scriptoris: Præter hæc duo Aduersarij vitia, nempe malam fidem, & morositatem, quorum obseruatio ad iustam defensionem mihi omninò necessaria est, reliquis omnibus peperci, aut si cuiusquam alterius generis

à me ſubnotatus eſt, reuocatum volo.

Cæterùm quod ad fraudes attinet, nullam videtur prætermiſiſſe: ſed illa omnino inexcuſabilis eſt, quâ propius ad hæreticorum plagiarias artes erudito opere à Patre Cothono detectas accedit; niſi fortè eas ſuperauerit. Hæreticis huius ſæculi, qui à Luthero, quaſi à Tauri putrido cadauere muſcarum examina, nati ſunt, frequens eſt vox, & gloriatio; ſe extra ordinem mirabili Dei prouidentiâ nullo tamen miraculo confirmatâ, miſſos, Eccleſiæ iam à ducentis ſupra mille annis collapſæ in grauiſſimos errores à caſu erigendæ, & inſtaurandæ vno Dei verbo, eoque ſcripto, ſemotis quibuſcumque aliis argumentis, & à Traditione & conſenſu ſæculorum, & Patrum, à conciliis &c. Sed dum illos rogamus impensè aut vrgemus, ſtent promiſſis, errores noſtros coarguant, & emendent puro, & mero Dei, & ſcripturæ verbo.

Quid ad hæc hæretici? Cum expreſſa deſint ex libris ſacris loca: tùm tricari, & rixari, tùm ad ſuas interpretationes, aut conſecutiones confugere, vel (quod omnium deterrimum eſt,) locorum ſcripturæ corruptelas moliri, addendo, demendo, immutando. Non tamen eò deuenere audaciæ, quo prorupit Theophilus: nam quas Scripturæ à ſe in linguam vulgarem verſæ admiſcent, & aſſumunt gloſſas, interpretationes, vix eodem quo textum charactere edunt, quaſi eſſent expreſſa Spiritus ſancti verba. Sed frequentiùs diuerſis & minuſculis litteris ea ſcribunt, vel ſubnotant ad marginem.

Sed longè liberior, & minùs ſincerus, quàm hæretici, Theophilus; quæ numquam Canus, & Pettus à Vincentia dixerunt, aut etiam cogitarunt, quæ illis per ſummam, & apertam fraudem imponit, ſingulari charactere, & à ſuo diuerſo edi curauit, quaſi non ſolum eorum ſententiam, ſed etiam ipſamet verſa referret. Nec mirum plus ſibi indulſiſſe in hominum dicta factaque, quàm in Scripturam Sacram ſibi permiſerit Geneua plagiaria, quàm vt à me nominatus P. Coton, & cum laude ſemper memorandus obſeruauit interdum, ſuos errores tentauerit ſancire, & conſecrare adhibitis cum Dei verbo ſimilibus characteribus; ſed minùs licenter & rariùs, magis repugnante ſtomacho, aut recla-

mante conſcientiâ, quàm Theophilus egit.

Sed quid tandem his artibus, & fraudibus promouit? Dicam: ſuæ ipſe conſcientiæ malle, ſaluti apud Deum conſulunt, ſuam apud homines profligauit famam, noſtram potiùs illuſtrauit & auxit, quàm vel minimùm læſerit, aut inumbrarit: quia cum ad nos traducendos, & diuerſorum criminum accuſandos acceſſerit omnibus inſtructus præſidiis, ſummâ rerum peritiâ, librorum lectione, vindictæ cupiditate flagrans, innato odio, & rancore in nos à multis annis exacerbatus, tanto apparatu, & molimine, tàm longâ & anxiâ indagine in libros, & mores noſtros, non potuit ex tenebris eruere niſi conficta aut ridicula, niſi minuta, & futilia, aut apertiſſima mendacia. Nam exceptis paucis huius poſtremi generis, etſi daremus vera, quæ tanto labore congeſſit; quid tandem confecit?

Hoc vnum tantùm, nempè Dominicanorum quemlibet, non eſſe à Deo donatum impeccabilitate, & aliquam culpam poſſe illis obrepere, cuius dum ludi magiſtrum agebat, vix reos diſcipulos flagro, aut ferulâ caſtigaſſet. Vide Theophile, quem fructum tuorum laborum colligas? Euaſiſti ridiculus cum vera narras, & futilia, & maledicus cum rem ſupra verum auges, ſycophanta cum imponis.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Diſtinguntur varia Sanctitatis genera quæ non deeſſe demonſtratur Dominicanis.

CÆTERVM ſi ſanctiſſimo Iobo Vxoris, & Amicorum iniuriis appetito, ſi Apoſtolo Paulo æmulorum fraudibus circumuento, & maledictis laceſſito, licuit ſuas dotes, & laudes non omnino tacere; vix credo nobis vitio vertendum, ſi tantorum Virorum exempla imitemur; præſertim cum non vnius, aut alterius cauſa agatur, ſed ampliſſimæ familiæ per totum orbem propagatæ famam, iura, doctrinam vindicandi neceſſitas incumbat. Non dubito quin probi homines magis Pontificum conſtitutionibus, quàm Theophili Satyris

sint fidem habituri. Quid vero Romani Pontifices de Dominicanis?

Certè adeo aliena sunt ab his quæ Theoph. contendit persuadere, eos esse Diuorum hostes, in sedem Apostolicam rebelles, hæresum Authores,& (vt verbis Tullianis Theoph. vtar) mangones: vt necesse sit, aut ipsum, aut Summos Pontifices mentiri. Audiamus vnum Alexandrum IV. Virum Sanctissimum, in pauperes munificum, Dei gloriæ studiosissimum reliquorum nomine; *Cœlestis*, inquit, *Agricola sacrum Ord. Prædicatorum, quasi lignum fertile Paradiso Ecclesiæ inseruit, vt delectaret amanitate, vbertate satiaret, & fructuum suauitate mulceret. Hoc lignum imbre superno irrigatum plurima poma profert, quorum odore, & sapore conualescunt debiles, languoribus detenti liberantur, carnis infirmitatibus prægrauati, pabulum salutis inueniunt; & internam recipiunt sospitatem. Hæc est illa plantatio, quæ ramos suos vndique expandens, flores honoris, & honestatis profert, & virtutis, & odorum conuersationis, longè latéque diffundit. Hic est Ordo honestate floridus, præclarus scientia, virtute facundus, conuersatione purus, à sede Apostolicâ meritò appellatus. Huius Ordinis fratres sacrarum Litterarum studiis incumbunt, animarum profectibus, Diuinis officiis incessanter intendunt, Prædicationi ardenter insistunt, & lumen doctrinæ vbique diffundunt.* Hæc Alexander IV.

Nec dicas ab eius sæculo omnia pessum iuisse. Certè licet (vt de Sapiente Scribit Seneca) non omnes eodem gradu, eádem tamen viâ maior, aut sanior pars ad sanctitatem progressi sunt. Atque vt encomia, quibus eos Summi Pontifices dignati sunt, confirmemus, & defendamus: id obseruo nullum Ordinum, quibus ornatur ac veluti præsidiis munitur Ecclesia, Dominicano, propriùs ad illius similitudinem accedere, eiusque dotes præcipuas, maximè Corporis vnitatem sub vno Capite, vel Capitis incorruptam fidem, vel partium, quibus constat, Sanctimoniam fuisse assecutum.

Quod ad primam, & alteram dotem pertinet, videmus Ordinum plurimos, qui sub eâdem regulâ Deo militant, neque habere, neque ambiuisse hanc Ecclesiæ

Catholicæ sub vno Summo Pontifice, quasi totius corporis sub vno Capite vnitatem; & in varias familias sponte, vel aliâ ratione quacumque diuisas sub multis præpositis Generalibus degere. At Dominici, non minùs, quàm D. Petri successor semper vnus fuit, Vnus totius Ordinis FF. Prædicatorum Magister Generalis; & quod nonnulli obseruarunt, nec omittendum puto, sicut è tot Petri successoribus in eius reuerentiam, eorum qui ipsius loco sederunt, nullus est Petri nomen sortitus, vel post electionem ausus sibi sumere, aut seruare; ita ex Magistris Ordinis, qui Institutoris Dominici vices gerunt, sedem occupant, nullus nomine Dominicus ad eam hactenus assumptus est.

Vnde cum Illustrissimo Archiepiscopo Auenionensi Magisterium Ordinis quidam congratularentur, ad quod certo certius votis Electorum erat postridie admouendus; respondit ad Electionem se habere impedimentum, nempe Dominici nomen, quod ex Magistris Ordinis nemo obtinuisset: & ita contigit: Nam ab eius electione, in quam pedibus, & manibus erant ituri, Pontificio decreto inhibiti, & in Patrem Turcum consensere. Sed nomina nihil moror, nisi fortè diuino consilio, ad rerum occultarum significationem delecta, euentus, & experientia demonstret: neque etiam illa deest ad rem præsentem: Nam singulari Dei beneficio concessum est Ord. FF. Præd. vt ex septem supra sexaginta prope quos habuit, Generalibus, vix vnus degener fuerit à Patris indole, ideft à boni communis studio, & obseuantiæ regularis, cuius instaurationem omnes ad vnum promouerunt.

Non ita Patres Franciscani secum actum suis Annalibus testantur: nam qui secundus à B. Francisco Ministri Generalis munus excepit Elias, Sanctissimo Patriarchæ dissimilis, eius institutum funditus euertisset, nisi D. Antonius, & Bonauentura ruentem Ordinem validè substinuissent. Has duas dotes Ecclesiæ, reliquæ sunt consecutæ. Quid enim à corpore incolumi, & indiuiso sub vno Capite & sano non speres? Hinc illa totius Ordinis cum Magistris Generalibus concordia, duplici quasi vinculo, nempe filiali in Patrem obseruantiâ, & Patrum pro filijs curâ, sollicitudine, atque arctissimo

vtrinque amore perpetuum ſancita, & ſeruata, adeò ſanctè, & religiosè, vt auditum numquam fuerit corpus inter & caput vllum diſſidium.

Et cum Capitulis Generalibus per leges noſtras conceſſa ſit in Magiſtros Generales poteſtas eos abſoluendi ab officio, ſi illi deeſſe, aut impares viderentur; nullum tamen legimus, hâc pœnâ ab Ordine vnquam mulctatũ fuiſſe. Verum quidem eſt Patrem Munio à Nicolao IV. Sixtum Fabri à Xiſto S. Pontificibus Minoritis, Martialem Auribelli à Pio II. & Nicolaum Rodulphium noſtrâ ætate ab Vrbano VIII. fuiſſe ab officiis amotos; ſed inuito, & reluctante Ordine, qui illorum cauſam acerrimè egit, totis viribus eorum amotioni interceſſit, & cum licuit, Magiſterio reſtituit, vt Auribellium defuncto Pio II. qui abdicauerat. Idem in Rodulphium obſeruantiæ, & pietatis officium collatura erant comitia Generalia, niſi pridie cum eſſet iterùm eligendus, mors illum aut votis omnium præripuiſſet, aut ſubduxiſſet oneri.

Quid à corpore incolumi, cui bene ſemper fuerit ſub ſano, & Sancto Capite, ſub Generali digno ſucceſſore Sancti Dominici, & illius ſpiritus, æquè ac authoritatis participe non expectes? Si fides ſit iis quæ hactenus ſcripſit tribus diatribis Theop. hæreſum, & vitiorum ſentina, nihilo minus, quam Lutheranorum, & Caluiniſtarum ſecta, Deo Diuiſque omnibus, & ſedi Apoſtolicæ bellum indixit. Iſta potuit primus Scribere Theophilus, quis verò non videat eum reclamare IV. ſæculorum Annalibus? Ab illa-ne familiâ hæreſes prodiere, quæ hæreſibus domandis inſtitutione, & ſtudio tota incubuit, quæ plures extinxit, & omnium ſine dubio quæ ab eius primâ inſtitutione graſſatæ ſunt progreſſum intercepit? Atque illud ingenitum odium à Patre ſuo hauſit, & perpetuâ ſerie ad poſteros tranſmiſit.

Nam vt paucis hanc belli ſacri à Dominicanis præclarè & fœliciter geſti hiſtoriam delibem, ipſe Patriarcha Sanctus Dominicus in Palentinâ Academiâ Theologiæ Magiſterio donatus, & inſtructus armis, Abbatis Ioachim, & Almerici errores, in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & in Tholoſatium regionibus Al-

bigenſium hæreſim profligauit. Subinde Hugo Cardinalis in Concilio Lugdunenſi primo ſub Innocentio IV. Summorum Pontificum iura acerrimè propugnauit contra Federici II. tyrannidem, & eius Cancellarij Petri à Vineis Capuani, quantùm illa ſæcula ferebant eloquentis libros.

Concilio Lugdunenſi II. quod Gregorius X. habuit 1274. præter D. Thomam, dum eò pergeret in itinere defunctum, interfuere 3. Cardinales, 30. Epiſcopi ex Ordine aſſumpti, & ingens, ac valida Theologorum turma, ſub Magiſtro Generali Ioanne Vercellenſi, qui eodem loci & temporis comitia Generalia celebrabat. Hos inter eminebat Petrus à Tarantaſia, tum Cardinalis, mox Pontifex creatus nomine Innocentius V. qui Seſſione quintâ Concilij, Regis Tartarorum Legatum ſolemni ritu baptiſauit, & Albertus Magnus ab illo ſecundus; atque hoc potiſſimùm duce victi fuerunt Græci, & abdicatis erroribus, & ſchiſmate, Romano Pontifici ſe ſubiecererunt. Neque in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. defuere Dominicani: nam Eymerico Placentino & Berengario ex noſtrâ familiâ Theologis, Begardorum, & Beguinorum errores confutati ſunt.

Sed non minùs merito, quàm dignitate ſupra hos duos in Concilio Conſtantienſi Sigiſmundi Imperatoris curâ extinguendo Pontificum Schiſmati, & damnandis Huſſitarum & Vuiclefi erroribus anno 1414. ſplenduere Archiepiſcopus Raguſinus, & Ioannes Dominici Cardinalis duo Eccleſiæ ornamenta, & præſidia, qui eam à tot malis vindicarunt.

Quid de Concilio Senenſi dicam, cui Martinus V. Legatum præfecit Magiſtrum Ordinis Leonardum Statium? Quid de Baſileenſi ab eodem Summo Pontifice indicto? In eo pugnarunt acerrimè contra Huſſitas, & pro Eugenij causâ, & omnium Pontificum authoritate Bartholomæus Texerius Magiſter Ordinis, Ioannes Nider, & Turrecremata, tum Magiſter Sacri Palatij.

In Concilio Florentino pro Eccleſiâ occidentali aduerſus Græcos pugnarunt Bartholomæus Lapacius Coronenſis Epiſcopus, & Ioannes à Monte nigro celeberrimâ diſputatione coram Eugenio Pontif. & Impera-

tore Constantinopolitano, Græcis ad bonam mentem, & ad concordiam, atque obsequium in Sedem Apostolicam reuocatis. In Lateranensi Concilio, quod Leo X. 1615. habuit, suam in authoritate Pontificiâ aduersus Pisanum Conciliabulum propugnandâ, eruditionem, & sapientiam Caietanus tum Magister Ordinis approbauit, & viam sibi strauit ad purpuram, imo ad thiaram, quo vt, inquit Possevinus, vota omnium vocabant, & promouissent, nisi mors præripuisset.

At recentior est Concilii Tridentini historia, quàm vt opus sit commemorare nomina, eruditionem, zelum, sex Archiepiscoporum, 17 Episcoporum, & octo supra viginti celeberrimorum Theologorum ex Familiâ Dominicanâ, qui in eo consessu ampliſſimo damnarunt hæresiarcharum Lutherum pessimum, contra quem Dominicanorum primi Tetzelius, Francofordiensis Inquisitor, Conradus Koelim profundissimus Theologus, Siluester, Caietanus, Hogostratus calamum distrinxerunt, sicut Grauina contra Marium Antonium de Dominis ex Societate & Archiepiscopatu Spalatensi Apostatam.

Ex his quæ pauca, in hanc rem ab infinitis selegimus, resipiscat oportet Theophilus, eumque suarum calumniarum pœniteat; atque ex animo agnoscat, omnibus Dominicanis pro suo in Ecclesiam studio magis acre in hæreticos odium, quàm canibus in lupos pro ouilis salute esse ingenitum. Quid verò de Sanctorum cultu & imitatione? Quid de studio sanctitatis? Petrus contendit, ea omnia à nobis exulare, & solam impietatem, & superstitionem regnare; sed non facile persuadebit, nos, quam reliquis dotibus, hac etiam Ecclesiæ esse dissimiles, & ab illa quæ omnium præcipua est abhorrere.

Inter illustres Ecclesiæ à Christo institutæ notas, reponitur sanctimonia: quam variis notionibus, & interpretationibus explicat Bellarminus: vult enim Ecclesiam dici Sanctam à sanâ doctrinâ, iustisque legibus: quod de Deo, nihil nisi supremo numine dignum, de moribus perfectiora nos doceat: deinde vult dici sanctam, quod exemplis documenta cumulet & impleat, nec tantum bonis institutionibus, & legibus imbuat, sed etiam in mores inducat: id est perinde plures efficiat

ſanctos, ac omnes iubet viuere ſanctè: tertio denique vult Eccleſiam dici Sanctam, quod omni ſanctitatis genere, omnibus argumentis (qualia ſunt Prophetiæ, Miracula) nullo ſæculo non abundarit.

Sed quam harum ſanctitatis notionum, quodnam ad ſanctitatem præſidium, vel ad Diuorum cultum adiumentum deſideras, Petre, in Dominicanis? Si dicas nobis deeſſe legem, & Conſtitutiones Sanctas, reclamabunt Pontifices, qui approbauerunt, maximè duo, vterque nomine Clemens, vterque ſapientiſſimus: quorum primus, nempe Clemens IV. collatione initâ inter Dominicanos & Franciſcanos, pares ferè facit vbique, niſi quod iſtis profundiorem paupertatem, illis ſanctiorem diſciplinam, ex opinione communi vindicat; Clementi IV. aſſentiebat Clemens VIII. & eodem ſenſu aſſerebat ad Religioſum ex Dominicanâ Familiâ in Diuos ſolemni ritu, & iudicio referendum, ſibi loco omnium miraculorum fore exactam ſuarum conſtitutionum obſeruantiam. Adeo ipſi ſancta videbatur diſciplina Dominicanorum.

Fortè reſpondebis præcepta apud nos perfecta quidem ſed minime impleri, & deeſſe nobis ſanctitatis exempla. Fateor pleroſque noſtrum longè abeſſe ab eâ, quam profitemur vitæ perfectione. Sed non reliquit nos Deus vnquam ſine ſemine, neque defuerunt viri ſancti, quos imitaremur. Vnde illi octo in ſanctorum album, quinquaginta in Beatorum numerum Eccleſiæ iudicio relati, præter quadringentos ſupra bis mille Martyrii laureâ donatos alioſque innumeros ſanctitate & miraculis claros. Sed non omnia huc conferre conuenit: aliis locis cogemur hoc de ſanctitate argumentum attingere; vt eius calumnias repellamus, demonſtrandum erit nobis ad commendationem Pii V. aliorumque illuſtrium virorum non eſſe confingenda miracula, cùm veris abundemus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [423] - 363
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Reuerentia in SS. Patres.

SEd longius excurri per omne genus sanctitatis extra diatribæ ptopositum, quæ de solo Sanctorum cultu, & contemptu agebat. Fateor eò Theophili totam accusationem verti: sed cum nihil magis sit alienum à contemptu Sanctorum eorum imitatione, & sanctitatis studio, ac similitudine, non potui validius amoliri calumniam læsæ Diuorum reuerentiæ, quàm si demonstrarem apud Dominicanos sanctitatem vbique coli, & seruatam esse legibus, vitâ, moribus, miraculis, scriptis. Insipiens factus sum in commendanda nostrorum hominum sanctitate: sed præter quod possum excusare cum Apostolo, illius stultitiæ genus, quod ista dicere me coegerit Aduersarius; duo addam: in primis huiusmodi viros sanctos datos Ordini, ne (vt in re simili loquitur Seneca) exemplum nobis deesset, & conuicium: id est vt imitari liceret nostros Patres, & nisi illos sequeremur, ignominia nos maneret & pæna; eorumque virtutes non in laudem, sed in iudicium nobis vergerent, & opprobrium sempiternum.

Deinde agnosco Societatem his omnibus sanctitatis partibus & dotibus abundare; vtinam nos & cæteros omnes vincerent; inde enim nihil mali in nos, sed plurimum gloriæ in Deum, & boni in Ecclesiam redundaret. Neque adeò malignus sum, vt nullâ boni nostri iactura, ægre feram aliorum sanctitatem augeri & florescere. Quid enim de legum Societatis sanctitate dicam? Quamuis ignorarem à Sede Apostolicâ probatas, & impensè laudatas, non possem dubitare totius Euangelicæ Perfectionis regulam esse & compendium, nisi innotus mihi esset Tomus Suaresij de Religione 3. qui totus est in commentandis Constitutionibus Societatis: vnde etiam Rodrigues haurit quæcumque suis libris asceticis tradit documenta virtutis Christianæ.

Scio etiam, & plurimum in Domino lætor, vitam ferè omnium consentire legum suarum sanctitati, &

omni genere virtutum præstare. Vna tantùm re non decedemus, & nos Patribus Societatis superiores prædicabimus, nempe sincerâ in Sanctos reuerentiâ & in antiquos Ecclesiæ Patres, eorumque doctrinam cultu & obseruantiâ, idque ex ipsomet Theophilo euidentissimè demonstro. Quàm anxiè, quàm infeliciter omnibus diatribis quæsiuit ex nostris libris argumenta, quibus nos hæreseos, & violatæ Sanctorum reuerentiæ, & læsæ Potestatis Pontificiæ accusaret? Nec potuit quicquam ex tot historiis excerpere, quod vel minimam veri speciem haberet: nec retulit nisi vnum aut alterum locum ex Combefisio, & Cano adulteratum. Adeò altè insedit Dominicanorum cordibus inserta & innata in Sanctos Patres obseruantia.

At non ita de vobis, Theophile, nos sentire sinunt tot propositiones ex vestris authoribus collectæ, sanctis Patribus & præ omnibus Augustino parum honorificæ, ne dicam prorsus contumelioſæ, quas Inquisitio Hispaniæ Generalis Madriti anno 1659. mense Martio die 18. & Vallisoleti eodem anno mensis eiusdem die 28. damnauit. Deum immortalem! quas in nos tragœdias excitasset Theophilus, si apud nostros Authores legisset censuras, quas quidam Societatis Authores in venerandæ antiquitatis Patres tulerunt.

Memini me legisse in disceptatione quâdam P. Rigordi, celebris olim è Societate Concionatoris & Theologi; Caluinum implesse votum Caligulæ: Imperator ille summè optabat, haberet vnum caput Roma quod posset vno ictu obtruncare. Sed pessimæ voluntati defuit facultas. Verum quod Romanæ Ciuitati frustra imprecabatur malum, Ecclesiæ Romanæ intulit Caluinus: omnes Sanctos Patres in vno collegit Augustino, quem *fidelissimum antiquitatis testem* vocabat, vt in vno omnes pessumdaret. Eò mihi videtur Catholicis omnibus, Augustini nomen habendum religiosiùs, quò ipsius contemptu ex Religioso Societatis Theologo, propiùs accedit ad consilium Caluini, & ad iniuriam Augustino, aut potiùs Antiquitati ab ipso pessimo hæresiarcha illatam. Quare non possum non ægerrimè ferre, quas subiungo propositiones.

Augustinum fuisse Doctorem, perinde ac alium quem-

piam ex modernis : nec eius dotes naturales , aut infusas fuisse altioris ordinis , quàm Doctorum Scholasticorum ; & nisi post Augustinum fuisset Christianæ eruditionis facta accessio Scholasticæ Theologiæ , penitus rejiciendam fore. Augustini authoritatem non plus valere , quàm rationes, quas adhibet , probent Augustini authoritatem interponentibus , reponendum esse Ecclesiam suis filiis in dies crescere eruditioribus. Vnde non rectè dici , illud ab omnibus tenendum , quod asseruit Augustinus , nec retractauit: imo non admodum referre , vtrum Augustinus sentiat, quod sentimus ; & ab illo peti posse , vndenam sua sententiæ certitudinem hauserit. Addunt etiam alij, quid atrocius. *Augustini vestigiis non esse insistendum ; sed aliter philosophandum , & miseram fore Ecclesiam , si Augustini placitis obstricta maneret*: vnde censent, *ab eius tutelâ & Pedagogiâ esse vindicandam. Superbia eorum qui oderunt Augustinum ascendit semper* : volunt eius dogmata ab Sede Apostolicâ in terminis esse damnata. Vnde Petauius dissertatione priori Trident. c. 8, dicit, *Non pauca, neque contemnenda Augustini dogmata, vel Ecclesia vniuersa , vel Theologorum , aut omnium , aut multorum , nec infimi subsellii iudicio reprobari : & Concilium Tridentinum non nullis necessario additis fecisse Catholica :* & disceptatione posteriori. cap 5. dicit *Augustini non pauca quæ nec Catholica sunt nec haberi Synodum vlla Oecumenica voluit.*

Volunt etiam hi Censores , *Augustinum à Pelagianis , & Semipelagianis victum , & causâ cecidisse* : vnde asserunt *Iuliani Pelagianistæ argumentis non satisfeciisse : nec qui assentiunt Iuliano posse conuinci rationibus Augustini : nec Ecclesia de Pelagianis triumpharet , si Augustini posterioribus scriptis niteretur :* quia censent , *eius Theologiam de Originalis peccati traduce esse rusticanam , & inducere in sententiam Pelagij.* Hinc Vasquez in primam 2. disput. 132. ait *Augustinum difficultate rei oppressum nihil inuenisse , in quo essentiam peccati Originalis constitueret.*

Si Augustinum hi Theologi velint cum Iuliano aperto hæretico de Originali labe, id est pro dogmate Catholico pugnasse marte ancipiti , imo inclinante in Iu-

lianum victoria, nisi eam suis argumentis validioribus Augustinianis præripuissent; quid dicturos speramus de Cassiano, Fausto, & Massilienſibus Semipelagianis contra Augustinum, Prosperum, Fulgentium, Hilarium Arelatensem decertantibus? Pater Sirmundus Semipelagianos studio partium pro hæreticis habitos satis aperte significat Hist. Præd. cap. 8 his verbis.

Difficile non erat condemnationem librorum Fausti Rhegiensis sperare ab Afris Episcopis (inter quos erant Fulgentius, pluresque D. Augustini Discipuli) apud quos nata Prædestinatianorum hæresis in multorum adhuc mentibus hærebat; quare Mariana libro 3. de morte cap. 8. ait, *quæ à Cassiano dicta sunt omnia de Gratiâ, & libero arbitrio à viris eruditis nostrâ ætate defendi quasi pietati consona, neque deflexa à fidei regulâ sanctâ. Bene consultum esset Triadi Patrum Augustino, Fulgentio, & Prospero, si perinde Catholici haberentur, ac Cassianus, Faustus, alique Massilienses.* Sed si fides sit his Theologis, isti Catholicis, illi hæreticis annumerandi sunt: idque adeo apud illos certum est, vt Ripalda libro contra Baianos ex Prosperi carmine de ingratis obiectiones Semipelagianorum assumat, in argumenta quæ ipsemet Prosper soluit.

Cum Semipelagianos, seu Massilienses inter ac Augustinum & eius Discipulos tota controuersia in eo sita esset, quòd illi communem tantum salutis omnium hominum Dei voluntatem, & ex illâ communem perinde gratiam prodire vellent, quæ daret posse saluari, & prædestinari; atque hoc sensu interpretarentur verba Apostoli, *vult omnes homines saluos fieri*; discrimen verò electos inter & reprobos nasci ex solo vsu illius gratiæ omnibus hominibus, nequidem infidelibus exceptis, vel infantibus in vtero materno defunctis communis, quâ quisque ex innatâ libertate se discerneret, & quasi prædestinaret, ac saluum faceret, & gratiam illam communem faceret efficacem: atque illo vsu, & consensu præuiso Deus quemque saluandum prædestinaret: Contra verò Augustinus contenderet præter communem salutis omnium hominum voluntatem (quam vocamus antecedentem;) Deum habere præ-

lectionem ſaluandorum, & propoſitum efficax ſaluandi, vnde proficiſcatur ſimilis gratia efficax ex ſe ipſa, quæ non ſolum debet poſſe, ſed re ipsâ bene agere, ſanctè viuere, & perſeuerare. Quid in hac diſputatione celeberrima iſti Theologi, quorum ſenſum retulimus? vbique ſtant, contra Auguſtinum, Proſperum, pro Caſſiano, Fauſto Semipelagianis.

Et in primis quod ad ſenſum verborum Pauli attinet, dicunt Auguſtinum ſacrarum authoritatem ſcripturarum ſuâ expoſitione eneruare, & ludibrio infidelium exponere: quod maxime cadit in illam Pauli verborum interpretationem de ſingulari voluntate ſalutis electorum vltra communem, & antecedentem; quam Molina quæſt. 19. art. 6. diſput. 2. ait, *vel ipſo primo aſpectu peregrinam, & extortam apparere*, Louanienſes Societatis dicunt, *non videri ſecundum intentionem Apoſtoli*, Octauius tomo primo libro 10. cap. 3. aſſerit *excogitatas eſſe ab Auguſtino huiuſmodi expoſitiones ad eludendum Apoſtoli locum.*

Quod ad reliquas controuerſiæ partes pertinet, vbique Auguſtini ſententia de propoſito efficaci prædeſtinationis ante præuiſa merita, vel ſaltem præuiſum ſub conditione conſenſum ad communem gratiam reiicitur, *vt parum conſentanea Scripturis ſacris, ſicut loquitur*, Molina diſp. 5. citata, *imo vt error infide, quæ tollat libertatem, præbeat hominibus occaſionem deſpondendi animo, ne dicam deſperandi, quæ exhortationes, & obiurgationes nomine Dei factas in ſcriptura impiis vertat in fictiones, & irriſiones, potius quàm veri animi ſignificationes*: quod aſſertum dicit, *non ſolum indignum Diuina voluntate, ſed etiam blaſphemiæ plenum.*

Hinc alii ſententiam illam D. Auguſtini de prædeſtinatione ante præuiſionem meritorum, aut ſaltem conſenſus futuri dicunt, *non mirum iudicari duram nimis, & indignam Diuinâ Bonitate, fidelium non paucos turbaſſe, qui & Auguſtini authoritate perculſi in Pelagianiſmum declinauerunt: & Auguſtinum quaſi in caligine conſtitutum ad veritatem à recentioribus inuentam non attendiſſe*, quam Molina quæſt. citata, membro vltimo non dubitat, *ab Auguſtino, & cæteris Patribus vnanimi*

vnanimi consensu comprobatum iri, si eis proposita fuisset.

Hinc Vasquez primâ parte disput. 47. gratiam illam communem omnibus, vt supra explicatum est, *etiam pueris ab ortu extinctis concessam, quæ ad fidem & salutem æternam nihil præter liberum consensum aut vsum creaturæ exigat, vt qui illâ potest saluus fieri, re ipsa fiat, fert ab Augustino negari*, & vltra illam requiri quid aliud ad salutem reipsa consequendam. Vnde *ab Augustino*, inquit, *& aliis, qui id docuerunt, petere possumus, vndenam huius voluntatis Dei certiores fuerint effecti.* Mariana verò libro citato cap. 6. *Quid hoc aliud*, inquit, *ex antecedente Dei beneplacito suspendere, quàm hominem fati necessitati subiicere, non ex stellis, sed quod validius, ex Diuinâ sententiâ, vnde nulla sit ad maius tribunal prouocatio, nec quis consilio & arbitrio locus?*

Omitto plura in Augustinum, eaque grauiora à Patre Adamo libro Gallicè scripto contra Caluinum de Augustino eiusque discipulis irreuerentiùs scripta, quæ tamen minùs curanda sunt, quia non est paris cum superioribus Theologis eruditionis. Ipsemet Theophilus hanc disputationem claudat. Ille igitur in censurâ inofficiosæ censuræ scribit, *sancto Fulgentio familiare, Augustini placitis ita mordicus adhærere, eoque rigore, vt non sit sollicitus sententiam duriorem mollire benigna interpretatione, & quamuis illius, & Augustini opinio de obdurations Pharaonis videatur dura, non tamen ipsi placet asperiore censurâ percellendam.*

Benè omninò & prudenter, Theophile, vellem vbique illa æquitate ageres, nec dubito quin tibi displiceant, quæ ex tuis in Augustinum retuli. Certè cum notissima tibi essent, debuerant te deterrere ab accusatione Sanctorum contemptus. Quis enim nostrum vnquam ità per summum contemptum de Sanctis scripsit, & iudicauit?

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Cura, & felix ſucceſſus Dominicanorum in promouendâ pietate populari.

TVam non poteras, Theophile, cauſam futilioribus argumentis proſequi; & ſi ſtatueras præuaricari, apertè conſilium tuum impleſti, & gloriæ Dominicani Ordinis fauiſti, quem adeò ab omni errore alienum probaſti: vt ne vel minimam ſuſpicionem collectis vndequaque argumentis, erroris notam, aut potiùs vmbram illi conflare, aut affingere potueris.

Hanc ergò immunitatem ab omni cenſurâ debent Dominicani non gratiæ, ſed æquitati Iudicum, quia ſciunt, Thomam, eiuſque diſcipulos vnam ſequi Traditionem, quam ſibi omnium ſuorum iudiciorum regulam conſtituerunt. Hinc damnatum martyrium per peſtem, quia antiquitati ignotum, & etiam Traditione viſum eſt tanquam ſpurium, & adulterinum. At longè verius, & magis legitimum pro traditione martyrium conſequuntur, aut merentur Dominicani, quàm ſit illud nuper per peſtem conſtitutum: ſi quid enim hactenus patimur variis Chriſtiani orbis locis, vel imperitorum, vel æmulorum fraude, id propter vnum Traditionis diuinæ ſtudium patimur, pro quâ parati ſumus priùs emori, & ab hominum gratiâ excidere, quàm ab illâ vel latum vnguem recedere.

Probare conatus eſt Theophilus, nos Diuis iniurios, cum tamen pro Diuis ſemper pugnauerimus: id certiſſimè aſſerendum, nullum in Eccleſiâ Dei Ordinem pietatis Chriſtianæ exercitia, & ex his maximè in Deiparam, & in Diuos omnes, cultus fœliciùs, & impenſiùs Ordine Dominicano promouiſſe. Cum enim ad id tria potiſſimùm ſuppetant præſidia, efficaciora, nempe frequentes conciones, libri ſpirituales & inſtitutiones ſodalitatum, quinam illo triplici genere mediorum diligentiùs, & operoſiùs incubuere Dominicanis, pietati, & venerationi in Diuos inſerendæ, & augendæ inter populos Chriſtianos? Quinam ad hoc Dei opus

vbique terrarum feruentiores habuere conciones Diuo Vincentio, aliisque innumeris eiusdem familiæ viris Apostolicis? Quinam vtiliùs libros spirituales ad animarum conuersionem, ad progressum in omni genere virtutum scripserunt?

Sed vt hæc duo subsidia prætermittam; de tertio, quod magis populare est, & efficacius; nullus ordo potest cum Dominicano contendere: fateor cuilibet suas esse institutiones, & sodalitates, & licet omnes colam, ipsi tamen sponte sodalitatibus decedant Rosarii à sancto Dominico in Galliâ primùm, deinde per totum orbem, Nominis Iesu à P. Victoriâ ad cohibendas blasphemias Maurorum in Hispaniâ, & Eucharistiæ à Diuo Thoma Officii eiusdem diuinissimi Sacramenti authore institutis; quibus omnibus veluti inuentis, aut thesauris quibusdam cœlestibus Ecclesiam locupletarunt, & mirum in modum pietatem Christianam, frequentiam Sacramentorum, cultum religiosum in Diuos in populo Christiano auxerunt, & promouerunt vsque ad inuidiam, vel potiùs reliquos ordines ad laudabilem æmulationem excitarunt.

Dominicani enim primi fuere, qui auctore suo Patriarcha, Religiosos, ac Cænobitas è claustris & solitudinibus euocarunt ad celebritatem vrbium, vt proximorum saluti vacarent, contemplationi actionem adiungerent. Illi fuere primi, qui conciones quadragesimales induxerunt, & morem salutandæ Deiparæ ad exordium concionis: vnde meritò illis Prædicatorum nomen adhæsit, & ne cuiquam operam suam negarent; quos non poterant verbo instruere, scriptis docuerunt. Et ne quidquam omitterent, quod conferre posset ad omnium vtilitatem, diuina Sodalitatum inuenta excogitarunt; vt quodam modo certarent cum improbitate impiorum. Sicut enim isti Dæmonem Magistrum professi singulis diebus, noua vanitatis, & improbitatis genera pariunt, & in lucem proferunt; ita nostri homines Spiritu diuino animati non passi sunt se à Ministris Satanæ superari, & summè laudandâ æmularione noua pietatis Christianæ genera, & cultus religiosi in Sanctos & in Deiparam, in Angelos & in Cælites omnes inuexerunt. Et hos Theophilus persuadere vult fuisse in

Diuos iniurios, & sacrilegos. Sed certè fidem non faciet apud illos, qui nouerunt, quot bona Dominicani intulerint in Ecclesiam illo triplici genere præsidiorum à nobis enumerato.

His diuinis Dominicanorum inuentis ad fouendam, promouendamque populi Christiani pietatem efficacissimis addam & aliud nihil superioribus inferius, piarum nempè Iconum, & sacrorum numismatum frequentissimum, & iuxta vtilissimum vsum; cuius originem, aut saltem incrementum, & instaurationem in Pium V. refert eius vitæ Scriptor libro 6. cap. 2. occasione perduellium Belgij, quos Geuseos inde vocarunt.

Nam cum in Regiam Potestatem, & auitam Religionem conspirationis veluti tesseram præter vestem, mendici, æreum seu plumbeum numisma sibi fundi curassent; cuius in alterâ facie Regis effigies erat expressa, ipsorum manibus in fidem iunctis cum his verbis: *Regi fideles vsquequaque*, ex alterâ parte mendicantis hominis speciem bulgasque vel sacculos à tergo gestantis deformassent adiectis verbis *Regi fideles vsque ad bulgas*: his simulachris collo appensis vestibus cinericij coloris induti procedebant Illarum inde gentium Catholici, vt certo Religionis symbolo ab hæreticis secernerentur, æreas, aut argenteas ad collum circumferebant imagines, quæ Christum, & Deiparam repræsentarent: Eas Pius V ritè benedixit & consecrauit, gestantibus sacra Apostolicæ indulgentiæ præmia concessit: quæ Religio sic inualuit, vt vbique gentium Catholici diuinis hisce muneribus locupletari, & præsidiis muniri ambiant & glorientur.

Neque huiusmodi pietatis adminiculis, & inuentis populo Christiano commendandis defuerunt è cælo testimonia: quale est illud, quod libro 5. recurret militis Catholici quem cerea agni cælestis effigies à Pio ritè consecrata, quam collo appensam gestabat, aduersus hæreticorum sclopos ita muniuit, vt non potuerit nisi eo præsidio detracto interimi aut cædi. Frequentibus experimentis comprobatum est vim habere huiusmodi res sacras incendiis extinguendis; nec minùs in aquas, quàm in flammas valere. Nam ipso Pio superstite & imperante, vnus orbiculus cereus intumescenti

Tyberi, & iam extra alueum defluenti cum maximo vrbis periculo iniectus, impetum & vim aquæ repressit, cohibuitque. Sed quibus testibus comprobata sunt Pij miracula? 65. hominum omni exceptione maiorum secundum iuris formulas recepta sunt testimonia, è quibus sex erant Cardinales, vnus Patriarcha, alter Archiepiscopus, Episcopus item & Abbas vnus, sex Canonici, vndecim Cœnobitæ diuersorum institutorum, tres sacerdotes, quinque Administri Summi Pontificis, nouem Doctores Iuris, octo nobiles, aliquot Medici, & Chirurgi. Post hanc testium turbam gregatim, & sigillatim exceptorum, ne criminetur Petrus ad inaugurationem Pij in Diuorum numerum opus esse testibus mendacibus & suppositiis miraculis.

Nihil difficilius, quàm abreptum pietatis impetu se continere, & moderari intra prudentiæ præscriptas metas. Vt enim generosum, & fortem equum meliùs agnoscas, dum se subito cohibet in medio cursu, quam si illum diu, & concitatissimè prosequatur: sic plane veram ac genuinam pietatem à falsâ & fucatâ certissimè distingues, si te tui ita compotem ac potentem faciat; nec sinas te illius ardore adeò ad cursum concitari, vt non possis inhibere, si opus sit, nec patiaris te extra terminos ferri, quos tibi Patres antiqui, quos tibi mos Ecclesiæ & Traditio constituere. Huius characteris & huius generis semper fuit Dominicanorum pietas. Arsit illa quidem, sed semper luxit; feruori prudentiam adiunxit, nec vnquam illi se ita permisere; quin semper sui iuris essent, quin se continerent & tenacissimè antiquæ Ecclesiæ adhærerent. Si hanc moderationem & reuerentiam in antiquos Patres, si nouitatis odium, impietatem vocat Raynaudus, sponte fatemur nos huius impietatis reos esse, illâ gloriamur, atque inter illustres Dominicani Ordinis titulos reponimus.

LIBER SECVNDVS.

DEFENSIO THEOLOGIÆ *Dogmaticæ Dominicanorum & Thomistarum contra diatribam quartam aliosque libellos eiusdem Auctoris, & expostulationem Carterij.*

VLTIMA pars libri superioris induxit nos ad secundi & tertij argumentum. Vtroque Dominicanæ Familiæ doctrinam, & Scholæ Thomisticæ, quæ latiùs patet, & alios Ordines complectitur aduersus quartam diatribam, pluresque Theophili, & aliorum Auctorum libros defensurus sum hoc ordine, vt prius respondeam iis, quæ aduersus dogmaticam Theologiam Thomistarum obiiciuntur generatim, & de diuinâ scientiâ, ac libertate humanâ; deinde ex Theologiâ morali decerpenda ad depellendas in nos, in congregationes Romanas, & in Summum Pontificem querimonias necessaria libro tertio prosequemur. Isto duo exequar. Primò depellam calumnias Diatribæ 4. à D. Thoma eiusque discipulis, 2. satisfaciam expostulationibus Carterii, vbi de scientiâ Dei.

SECTIO PRIMA.

Doctrinæ D. Thomæ dotes & illius ac Discipulorum eius vindiciæ aduersus quartæ diatribæ calumnias.

VBique hæreticos imitaris, Petre, sed hac maximè diatribâ, quâ tuam supinitatem, & fraudem prodis. Is hæreticorum mos est, maximè Petri Molinei, quem in genere scribendi, vt & Lucianum, videris in magistrum elegisse, & longè etiam superas te. Quamuis enim iste suis libris magis scurram agat, quàm philosophum, tibi comparatus posset censeri alter Cato, adeo præ te serius est & humanior: alter verò licet hæreticus & vnius Apostatæ filius, longè moderatiùs agit in Catholicos, quàm tu in Religiosos. Ille ludit dicterijs & salibus aliquandò, tu semper furis & mordes. Vide precor, quâ vrbanitate disputet cum P. Nicolao Coeffeteo Dominicano, antequam ad Episcopatum assumeretur, & quâ tu inhumanitate, & truculentiâ agas cum Magistro Generali omnium Dominicanorum.

Verum propius ad rem. Ille innumeros scripsit libros controuersiarum, quibus eadem semper repetit: & quamuis eius argumenta millies soluerint Catholici, semper eorum responsa tacet & dissimulat, & ne vno quidem verbo refellit, nempe quia non poterat: Et ita apud se reputabat: Plures hos nostros libros lecturi sunt, ad quos Catholicorum responsa non peruenient, & illos hæc argumenta repetita vrgebunt, & ad partes nostras trahent; perinde ac si à Catholicis non possent solui. Huius consilium & exemplum hæretici tibi sequendum putasti. Repetis argumenta à trecentis annis D. Thomæ obiecta, depromis quasi Scriba, aut Pharisæus ignarus, de Thesauro alieno, non tuo, noua & vetera, ab æmulis D. Thomæ millies decantata; quibus scis validè responsum à Grauina, à Ioanne à Sancto Thoma; & vt ipse refers, ab Ægidio Romano, & à pluribus aliis Angelici Doctoris defensoribus. Ad minùs

debebas abstinere ab iis propositionibus, quas falsò impositas D. Thomæ non poteras ignorare, nisi D. Thomas, & eius interpretes tibi ignoti sint. Quod satis testaris hoc tuo syllabo propositionum improbabilium, vt putas, scholæ nostræ, qui potiùs est tuarum insciti arum & calumniarum.

Hoc tuæ quartæ diatribæ examine doctrinam D. Thomæ, quam titulo diatribæ solidam negas, paulò liberiùs, & fusiùs defendam triplici genere argumentorum. Primò diluam quæcumque ex ipso Sanctissimo Præceptore, & eius discipulis refers, & demonstrabo vel à te falsata esse, vel te in D. Thom. apertam veritatem, & SS. Patrum ac Philosophorum Principis sensum impugnare. Vbi tua reiecero figmenta, duo addam argumentorum genera: primum, ex ipsâ doctrinâ D. Thomæ vim eius diuinam demonstrabo; secundo loco vsurpabo, quod mihi hactenus negaui, licet defensionis, ad quam me coegisti inuitum, necessitas ius mihi daret reponendi calumniis nostrorum apertas tuorum accusationes: abstinui tamen, quia putaui, non licere Christianis, & maximè Catholicis aut Religiosis sibi vitia occulta, & incerta, forte falsa, etiam prouocatos improperare.

Sed alia est morum, alia doctrinæ ratio; cum enim publica sit, & libris extet, certò agnosci & impugnari sine scandalo potest, modò agas moderate intra inculpatæ tutelæ terminos, quibus me continebo. Deinde consilium Ciceronis placet, à quo constitutas & seruatas leges disputationis non licet nobis recusare: Nos, inquit ille parens eloquentiæ, & Academiæ Philosophus non ignobilis, *qui sequimur probabilia refellere sine pertinaciâ, & refelli sine iracundiâ possumus.* Cum enim plerumque, & ferè semper apud nos certa sint fidei principia, & disceptatio sit de probabilibus, turpe fuerit Christiano & Religioso nolle subiici legibus modestiæ, quas ipsemet Cicero sibi præscripsit; alias vitio maximè verteretur nobis, quod Euangelij perfectionem professi, officia violaremus, quæ sibi Ethnici præstabant; vt sine acerbitate & odio refellamus alios, & sine irâ refelli patiamur. Hac monitione præmissâ ad primam partem huius examinis me accingo.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [436] - 376
PUBLIC DOMAIN

ARTICVLVS PRIMVS.

Expenduntur 44. propositiones D. Thomæ à Theophilo ascriptæ.

IN primis poteras nos, & teipsum ab inutili labore leuare, si abstinuisses à referendis propositionibus, quæ nihil ad propositum faciunt, & quæ sunt contra mentem S. Doctoris. Diligenter omnium propositionum, quas scholæ nostræ communes vocas, numerum iniui, vim & sensum exploraui, & comperi quatuor esse supra quadraginta in tres ordines diuisas. Ex his sexdecim recensui apertè damnatas à S. Doctore, vel sensu omninò diuerso traditas ab illo, quem affingis; & viginti quatuor, quæ supersunt, decem à Sanctis PP. depromptæ sunt, & extra Scholam Diui Thomæ à plurimis & grauissimis Theologis docentur & defenduntur. Reliquæ numero decem & octo è Principiis Peripateticæ Philosophiæ deducuntur: singulas hoc ordine à me statuto decurram.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Sexdecim propositiones falsò D. Thomæ ascriptæ, aut alio sensu, quàm doceat.

VBinam apud D. Thomam legisti, extra Deum dari ens omninò necessarium quod non possit non esse? Secundo, inquis, cont. Gent. cap. 3. Legistine attentè? Si negas, tuam negligentiam & temeritatem fateris, quòd alienâ fide Sanctissimum Doctorem Atheismi accuses: quid enim aliud est plurima entia omnino necessaria admittere, quàm plures Deos? Si dicas te legisse, arguis te ingenii adeo rudis esse vt non potueris verba intelligere apertissima D. Thomæ, quibus constat illum agere de necessitate participatâ, quæ competit formis subsistentibus expertibus materiæ, aut quæ habeant materiam determinatam ad vnam formam, cuiusmodi

sint Angeli, Anima rationalis, & Cælum, in quibus D. Thomas exemplum ponit suæ doctrinæ; has substantias asserit non habere potestatem intrinsecam ad desitionem, sed non repugnantiam in ordine ad Deum, vt eodem loco expresse declarant verba sequentia: *Dicitur res ad nihilum tendere modo, quo sunt ex nihilo; quod non est, nisi secundum potestatem agentis.* Sed quam falsò affingis scholæ nostræ propositionem sensu hæretico; illam proprio vnus ex tuis defendit Salmanticæ, scilicet posse dari creaturam, cui repugnaret à Deo annihilari.

De hac propositione iterum cum de Ioanne à Montesono agemus: interim duo certissima sunt ex S. Doctore apud omnes sapientes, nullam potentiam naturalem institutam esse, nisi ad actum, à quo sit perficienda, non destruenda: deinde, si quæ sit potentia ad desitionem rei aut corruptionem, eam non esse in re corrumpendâ; sed vel in agente causâ, quæ potest creaturam ad nihilum redigere aut corrumpere, vel in materiâ capaci formarum plurium, quas cum simul complecti nequeat, neque vnâ satiari, dum omnes appetit, necesse est singulas perire, aut corruptibiles esse; & dum vna inducitur, eam, quæ præcesserat, abscedere: hinc rerum contingentia, & ad desinendum potentia, quâ carent substantiæ expertes materiæ, & corporeæ, etiam quarum materia vnius tantùm formæ capax & appetens sit: quales asserit Cœlos Philosophia Peripatetica.

Ex his ergo constat, nullam substantiis ad nihilum esse potentiam innatam, sed totam ab extrinseco agente peti, quâ doctrinâ nihil verius, aut solidius. Quare, vt notat Caiet. ad artic. 2. q. 9. 1. p. *Magna insipientia fuit damnari à quibusdam Parisiensibus*, vt mirum non sit, hanc Censuram ab Episcopo Parisiensi magis reuocatam fuisse, ipsius Academiæ Parisiensis, quàm Sancti Doctoris causâ; quia re verâ in ipsos Authores redundabat.

Non refers sincerius tertiam, & quartam propositionem primi ordinis: Falsum est Gregorium Decimum in Concilio Lugdunensi definiuisse Patrem & Filium non dici duos Spiratores: Verba Concilij de Summâ Trinitate in sexto hæc sunt: *Spiritum Sanctum procedere*

à Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno, non duabus Spirationibus, sed vnica.

Si dicas idem ferè esse, ac si statuisset esse vnum Spiratorem, respondeo consecutionem esse non omninò necessariam, quia pendet ex regulis de multiplicatione nominis adiectiui, & substantiui: & licet D. Thomas in 1. dist. 11. secutus fuerit opinionem illorum, qui nomen Spiratoris, vt adiectiuum multiplicant; tamen, 1. p. q. 36. a. 4. hanc sententiam reuocat, non vt Censurâ dignam, sed vt minùs veram, & nomen Spiratoris secundum leges substantiuorum, negat multiplicari debere. Quâ ergo fide duos Spiratores asseris à scholâ nostrâ admitti contra definitionem Concilij Lugdunensis? Quare sapienter admonet, Concilium statuisse vnam esse Spirationem & vnum principium, permisisse vero disputationi Theologorum, vtrum deberemus admittere vnum Spiratorem secundum leges nominis substantiui, aut duos Spiratores iuxta naturam adiectiuorum, quæ nihil vetat multiplicari stante formæ vnitate, si pluribus insit suppositis. Quo sensu dicit Hilarius 2. de Trin. *Spiritum Sanctum à Patre & Filio authoribus procedere.*

Non video quo fine obiicias nobis D. Thomam in 3. dist. 9. q. 2. asseruisse, dici posse absque hæresi, iste homo cæpit esse Deus. Cum iam te monuisset Ioannes à S. Thoma, eo loco D. Thomam illius propositionis non meminisse. Verum quidem est dist. 7. sequenti, de hac propositione Sanctum Doctorem agere, & idem statuere, quod de ista *Homo factus est Deus.* Et ab vtraque abstinendum, quia resipit hæresim Arrij.

Nescio, vnde extraxeris sextam (neque enim vllum locum citas) qua nos fingis dicere, *Deum de potentiâ absolutâ separare non posse albedinem à subiecto, & in illo conseruare.* Quid mali est hoc negare, cùm propositio contradictoria implicet idem accidens seiungi à subiecto, & in illo conseruari? Eadem fide Græcâ refers propositionem eiusdem ordinis decimam sextam, *eum qui sordet peccato mortali, etiam occulto, si alij impendat correctionem, peccare mortaliter.* Hæc non est propositio nostra, sed tua calumnia. Verum quidem est D. Thomam in 4. dist. 19. q. 9. alicuius culpæ accusare, non

tamen (mortalis quod de tuo addidisti) eum, qui ex officio corrigit delinquentem, dum ipse reus est, & conscius peccati occulti, & vrgeat ex officio corrigendi necessitas, quia indignè vtitur officio. Tamen 2. 2. q 33. a. 5. à culpâ liberat peccatorem, si corripiat cum humilitate delinquentem. Cur igitur auges dicta Sancti Thomæ, & taces quæ in summâ, quasi in vltimo testamento statuit?

Vis etiam propositione decima septimâ Sanctum Doctorem censere, *omnia verba vulgatæ formæ consecrationis calicis esse ità essentialia, vt si deiunge, sit vnum verbum, consecratio non fiat.* Debebas ab illâ objectione supersedere, aut refellere interpretationem communem Thomistarum, qui sanctum Doctorem explicant hoc sensu, vt verba omnia sint de substantiâ consecrationis, quoad integritatem, non quoad substantiam; sicut absolutio Sacramentalis, constat essentialiter his duobus verbis: *Absolue te*, & ipsum Sacramentum componitur tanquam partibus essentialibus, absolutione, confessione, & contritione; cui tamen addi potest, vt pars integralis, satisfactio, sicut absolutioni, *à peccatis tuis*. Quidni potuit S. Doctor asserere eadem ratione, omnia consecrationis Calicis verba pertinere ad substantiam ipsius, vt partes integrales, non essentiales? Ideò cautissime dixit D. Thomas, reliqua quæ adduntur verba, esse de substantia, non de essentia, & pertinere ad integritatem locutionis.

Propositione vigesimâ primâ, & quinque sequentibus, videris mouere litem Sancto Thomæ, quòd Scripserit conclusiones, vt Theologus, non vaticinia, vt Propheta. Ipse, sicut antea monui, scripsit ex decreto Nicolai Papæ, incurrere irregularitatem eum, qui ex inculpatâ tutelâ se aggredientem occidit: & cum obiicis, ius illud antiquum esse reuocatum Clementinâ vnicâ *de homicidio*, multis annis editâ post mortem Sancti Doctoris: certè non potuit de hac reuocatione scribere, nisi Prophetam egisset. Habuisses aliquam expostulandi causam, si negasset ius antiquum potuisse à futuris Pontificibus immutari.

Eadem est responsio ad 21. & 22. propositionem. Diuus Thomas scripsit de votis Religionis secundum

vsum suo sæculo receptum, vt nullus censeretur Religiosus, nisi emisso voto solemni. Ius Canonicum magis apertè id statuebat, *non potest cum effectu Religiosus censeri*. Mitiùs egit D. Thomas: abstinuit à verbo *non potest*, solum dixit 2. 2. q. 186. *non fieri Religiosum per votum simplex*; sed non negauit fieri posse iure positiuo Ecclesiæ, & authoritate Pontificis huiusmodi Religiosos, etiam Pontificio iure posse in eodem statu habere rerum dominium. Quare cum statuit Gregorius XIII. in gratiam Patrum Societatis, quos voluit cum voto simplici Religiosos esse, & cum huiusmodi votis cohærere rerum dominium, nihil lædit doctrinam S. Doctoris, quia sin statuit id fieri posse, etiam non negauit. Nec D. Thom. docuit illam propositionem his terminis, quibus illam obiicit Theophilus, scilicet, *Dominium est indispensabiliter incompossibile cum vero statu Religioso*, nam 2. 2. q. 186. a. 3. sic tantum ait. *Ad perfectionem charitatis acquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas, vt aliquis absque proprio viuat*, & a. 7. dicit *quod habere aliquid proprium perfectioni religionis repugnat*. Hæc autem non opponuntur his, quæ habet Grego. XIII in Bullâ *Ascendente Domino*; quòd scilicet in Religiosis votorum simplicium ex Societate remaneat dominium non vsus bonorum; nam eatenus D. Thomas docuit, habere aliquid proprium perfectioni Religionis repugnare, quatenùs dominium habet annexum vsum; vnde si detur dominium absque vsu, non negat D. Thomas, hoc stare posse cum statu Religioso, licet non perfectissimo.

Itaque mens sancti Doctoris ex vsu suo sæculo recepto, & ex Regulis Euangelij hæc est; nullâ re à Gregorij XIII. Constitutione dissentiens, professionem solemnem Religionis exigere omnem abdicationem, tum dominij, tum vsus, & administrationis bonorum temporalium. Si tamen seruato dominio, fiat tantùm abdicatio administrationis temporalium, decedere aliquid perfectioni Religionis, non tamen tolli; & hoc consentit Constitutionibus Patrum Societatis, apud quos professi quarto voto solemni, nec vsum, nec dominium cuiusquam rei seruant solis professis vota simplicia, Pontificio decreto, aliquod ius, & dominium permitti-

tur. Quod addis de voto solemni, secundâ Diatribâ solutum est: vellem solum mihi indicasses, quo loco doceat sanctus Doctor, *non posse Pontificem dispensare in matrimonio rato.*

Non est verior aut sincerior in referendis aliis propositionibus: nam tertiâ & quartâ apertum calumniatorem agis. Vis persuadere sanctum Thomam, & eius scholam docere, Deum non posse præter terram creatam aliam creare. Id conuincit locus à te citatus q. 41. a. vltimo ad vltimum, vbi ait, *non esse possibilem aliam terram quam istam*, & huius repugnantiæ rationem reddit, quia, inquit, *omnis terra ferretur naturaliter ad hoc medium vbicumque esset: Et idem est de aliis corporibus, quæ sunt partes huius mundi.* Potuit-ne apertiùs suam mentem declarare S. Doctor contra Petri impostoram, se loqui de hoc tantum vniuerso, & secundum potentiam naturalem, quandoquidem inde assumit sui dicti probationem, nempe *quòd ferretur hac terra naturaliter ad medium:* Igitur non negat possibilem alterius vniuersi terram, sed tantum istius aspectabilis, idque secundum potestatem ordinariam.

Nec minùs validè & apertè calumniam tuam amouet 1. p. q. 102, a. 2. ad 2. quò asserentem inducis, quasi rem indubitatam, *Æquinoctium, seu zonam torridam esse prorsus intolerabilem.* Eo loci S. Doctor refert quorumdam sententiam asserentium partem Æquinoctialem (quo loco reponebant Paradisum terrestrem) esse temperatissimam; sed relatâ hâc de re Aristotelis sententiâ, existimantis regionem illam præ æstu inhabitabilem, more suo Aristotelis opinionem probabiliorem dixit in Autoris reuerentiam; sed rem sibi incertam sequentibus verbis testatus est. *Quidquid sit*; quibus rem in medio, & in ambiguo ponebat; & tu vis ab illo certò pronunciatum, *regionem prorsus intolerabilem.*

Fidem tuam desidero propositione nonâ eiusdem ordinis, quam sic refers: *Brutorum animæ sunt indiuisibiles, æquè ac anima rationalis*; Vbinam legisti hanc propositionem indefinitam? Quasi omnium animantium animas faciamus indiuisibiles. Vbinam illam æquiparantiam, *æquè ac anima rationalis*? Sed vbique impostorem agis; & ne desint argumenta, quibus te huius cri-

minis conuincamus, ſuppeditas noua: nam propoſitione 12. imputas Diuo Thomæ dictum quaſi ex propriâ mente, *Cœlos non eſſe contiguos, ſed intercedere ſpatium diuiſibile.* Si legeras locum, quem citas ex 2. ſent. diſt. 2 poteras notare, poſt relatam Aſtrologorum opinionem, qui hoc cenſebant (& inde explicuit, quâ ratione Beati poſſent voces in cœlo formare;) *Quid autem de his verum ſit, incertum eſt, quia nec fide determinatur, nec ratione probatur*; & tamen vis nobis perſuadere eſſe quaſi effatum D. Thomæ: ſicuti propoſitione 13. vis illum ſtatuere denarium numerum cœlorú, cum articuli titulus præferat, vtrum numerus cœlorum conuenienter aſſignetur à Rabano: Ergo nihil de his aſſerit, niſi ex aliorum mente, & iuxtà obſeruationes Aſtrologorum ſui temporis, quæ futuris terminos non præſcribebant.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Decem propoſitiones à Diuo Thoma & Sanctis Patribus exceptæ, à Theophilo reprobatæ.

CONFLASTI nubem ſexdecim propoſitionibus, aut potiùs impoſturis grauidam; quæ videbatur minari fulmina & tonitrua; ſed vno flatu in fumum euanuit. Alteram illius loco ſufficis, ſed nobis beniginiſſimam, quæ effuſura ſit in ſcholam noſtram pluuiam aureâ pretioſiorem, quâ fœcundetur & floreſcat, vt contra tuam mentem illi hanc laudem paret, SS. Patrum, & totius Eccleſiæ doctrinam aſſecutam eſſe, & acerrimè propugnaſſe.

Neque enim aliud proficis cum Scholæ noſtræ improperas primò coexiſtentiam realem rerum futurarum in æternitate; Secundò Angelum primo inſtanti liberum, & impeccabilem; Tertiò Angelum conſtitui in loco per operationem. Quarto plures Angelos non poſſe conſtitui formaliter in eodem loco; Quintò adultum primo inſtanti, quo rationis compos eſt, debere ad Deum conuerti, & ad illum vt vltimum finem, vel certè ſaltem ad bonum ſe referre honeſtum, & ſi deſit huic officio, quod primum inſtat implendum, peccare mortaliter, ac proinde primum

adulti peccatum non posse esse veniale ; nec subinde adultum cum illo solo originali iuncto decedere , quod nobis tanquam sextum paradoxum improperas; septimum verò non posse assumi à Deo instrumentum creationis ; octauum benedictionem panis,& vini non esse à consecratione distinctam; nonum humanitatem Christi existere per existentiam increatam ; decimum & vltimum , essentiam & existentiam distingui realiter in creatis. Dum totis viribus contendis probare, nos ab surdiora Stoicis paradoxa defendere ,te ab Ecclesiæ, & SS. Patrum sensu alieniſſimum, & nos illius defensores acerrimos esse demonstras ; quod harum decem propositionum breuissimo examine efficaciſſimè conficiam.

Coexistentiam rerum futurarum in æternitate infinitâ simul , & indiuisibili (quæ proinde omne tempus ratione infinitatis ambiat, idque simul ratione indiuisibilitatis) necessariam Deo ad immutabilitatem , & intuitionem suæ cognitionis , non à se inuenisse D. Thomam,sed ab Augustino, à Boetio, aliisque SS. Patribus in his versati non abnuent,& hanc coexistentiam realem præter omnes D. Thomæ discipulos è tuis acerrimè defendunt Granado , Christophorus Gil, Ruis, Marcus , Typhano , Henriquez ; nec repugnat Fonseca, plureſque alij; etiam probabilem asserit ipsemet Molina, & qui negant , potissimum Vasquez, & Suarez torquentur maximè, nec sibi , aut aliis satisfaciunt , dum dicunt, quòd cùm futura secundum se sint determinatæ & finitæ veritatis , ad illorum certam & intuitiuam cognitionem, non esse necessariam , nec possibilem causæ cognitionem , nec præsentiam etiam realem in æternitate , sed sufficere obiectiuam. Quæro igitur cur ab Angelis neges huiusmodi futura cognosci ? Si dicas cum Vasquez & Suarez,non esse illis obiectum proportionatum, apertissimè petis principium , cum , vt monui , sint determinatæ & finitæ veritatis obiectiuæ , quæ proinde Angelorum captum non superent. Vides ergo nos diuinæ scientiæ & SS. Patrum vindices, quam tu , tuique, ne quid aliud dicam , malè defenditis aduersus impiorum impetus.

Nec poteras apertiùs, & impensiùs nobis fauere, & glorioſissimum titulum veritatis fidei, & SS. Patrum consensus

consensus defensorum ; quàm dum septimam propositionem improperas , quod creationem instrumenti consortium admittere negemus. Nihil hac propositione verius & solidius , quæ duplici hoc principio nititur : instrumenta non agere , nisi vt mota à principe agente , & creationem cum è nihilo rem & effectum educat , esse quoad terminum substantialem , absolutam ab omni motu : Ergo nullum creatio motum , ac subinde nullum admittit instrumentum. Huic demonstrationi accedit authoritas Patrum , qui Arrianis loca scripturæ , quæ ex creatione , quam verbo Diuino , & Spiritui sancto attribuunt , diuinitatem vtriusque probant , hoc tuo de creationis instrumento , putido principio labefactabant : Verbum & Spiritum sanctum dici creare vt instrumentum , non causam principem : sed illis Athanasius , Cyrillus & reliqui Patres effugium præcluserunt septimâ illâ propositione , repugnare instrumentum creatum misceri creationi , adeo eximia est Deo. Velim, Petre , vt similia in nos conuicia colligas , quibus super sidera feres scholam nostram.

Non dispar est gloria ex octauâ propositione , vel tertio Paradoxo de impeccabilitate Angelorum primo instanti ; nam is est sensus SS. Patrum , & totius Ecclesiæ, quem S. Doctor rationibus validè confirmauit ex hoc principio : Cuiuslibet rei primam actionem singulari iure ascribendam Authori , à quo instituta est : & huic sententiæ præter Thomistas omnes subscribunt extraneorum plurimi , Bonauentura , Richardus , Alensis, Argentina , Hugo à S. Victore. Et ex tuis Granado , Arrubal : & adhuc à scholis explosam dices , & si superis placet, absurdam , quamvis necessariam ad defensionem communis Ecclesiæ doctrinæ ? Nonne consensu Patrum receptum est , Angelos omnes primo creationis instanti liberè Sanctificatos , & secundo instanti aliquot etiam illorum peccasse , reliquos *in veritate stetisse* , nullo veniali peccato , nec à bonis, aut malis admisso ? Rogo te, Petre , quî fieri potest , vt adeo certò asserat Ecclesia ex innumeris Angelis nullum illo instanti peccasse etiam venialiter , si liberum fuit illis vtroque genere peccati delinquere ? Si id contingens sit , vnde scitum est illos omnes à peccato fuisse immunes ? Quâ de causâ illos

Deus omnes nullo excepto à peccato exemit? Vides, vt infinita absurda euadas contra doctrinam communem Ecclesiæ, recurrendum ad D. Thomæ principium. Faceſcant ergo tuæ calumniæ. Adjungam alia duo de primo peccato adulti, & de præcepto, quo vrgetur primo instanti, vt ad Deum se referat, cognatione argumenti cum superiori.

Sensus etiam Ecclesiæ est, adultorum nullum decedere cum veniali solo adiuncto originali, quia nullum scriptura locum assignat, vbi dare possit pœnam peccati venialis; non purgatorium, quia est locus animabus iustis purgandis; non infernum quo peccata actualia, & letalia castigantur. Hoc exemplo maximè torquentur tui. Quid ad hæc S. Thomas? Iudicauit hunc nodum se vindice dignum, & eâ magnitudine ingenij omnibus difficultatibus insuperabilibus pari, hanc sic euicit. Certum est Angelos primo suæ creationis instanti physico, & homines morali, vbi primum rationis compotes fuerint, tunc maximè vrgeri præcepto, Deum vt Dominum agnoscendi, ad illum se referendi, vel ad minùs statuendi sibi finem vltimum, & bonum honestum, ad quod, tanquam ad regulam, suas actiones exigant. Hoc docuere Philosophi, hoc cecinere Poetæ fabula sui Herculis Iunioris in Biuio positi, vt voluptatis, aut virtutis viam ineat. Hoc maximè commendat Seneca, & damnat eos, qui tunc viuere incipiunt, cum desinunt, id est, sub horam mortis vitam instituunt; aut, quod peius est, antè desinunt viuere, quàm incœperint vitam Christianam aut moralem instituere.

Ne causeris rigidius esse quod à nobis exigit Theologia. Audi Senecam Ep. 71. id officij omnibus, qui ratione viuunt, præscribentem, iisque elegantissimis verbis, & exemplis persuadentem. *Scire debet quid petat ille, qui sagittam vult mittere; errant consilia quia non habent quò dirigantur, ignoranti quem portum petat, nullus suus ventus est; non disponet singula, nisi cui iam vitæ summa proposita est. Ideo peccamus, quia de partibus vitæ deliberamus omnes, de totâ nemo.* His malis curandis, & auertendis statuit Diuus Thomas primâ vitæ parte de summo bono, seu Deo cogitandum,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [446] - 386
PUBLIC DOMAIN

eóque dirigendum totius vitæ cursum.

Quæro à te, Petre, si hominem primo illi instanti morali eximas à præcepto amandi Deum &c, quo tempore vis instare? Dices cum multis tuorum, ad finem vitæ. Benè est; sed ne quid grauius dicam, illos & te, ad Senecam remitto. Certe minus indulgeret Ethnicis Seneca, quàm tu Christiano. Hinc ergo consequitur responsio ad casum, non posse contingere, veniale solum cum originali iungi in mortuo, quando quidem reus est mortalis, nisi illi præcepto satisfecerit. Hæc omnia, dices, sunt explosa, non apud omnes: vnde falsum est, à solis Thomistis tuas dictas propositiones defendi; nam ad minus illis subscribunt Nauarrus, & Curiel, qui loco plurium esse possint, nulli Canonistarum huius sæculi, aut Theologorum secundi.

Redeo ad quartum, & quintum paradoxum, de loco Angelorum. Affero (præter innumeros, quos extra scholam D. Thomæ defensores habent hæ duæ propositiones; quales sunt Ægidius, Argentina, vterque Augustiniani Ordinis Generalis; Gotofridus, Henricus, Picus Mirandulanus ingeniorum Phœnix, & ex tuis Bubalus, à quo etiam Vasquez non abhorret) adeo seipsis tutas esse has propositiones, vt nihil censeam in Scriptura, & Traditione solidius, aut fundatius.

Non ne concedes de loco spirituum perinde ac de præsentiâ, & immensitate Dei esse statuendum? Puto te hoc omnino admissurum. Hoc ergo constituto, consule Scripturam, consule Patres. Nil reperies verius hoc inuicto scholæ Thomisticæ principio, Deum in se ab æterno, vt loquitur Tertullianus, *sibi fuisse mundum, locum, & omnia*; & præter hanc præsentiam in seipso æternam, tres habuisse temporarias, communem, qua omnia creat, & conseruat; duas singulares; vnam verbi, per missionem Incarnationis; alteram Spiritus sancti per infusionem gratiæ, & gloriæ. Nisi velis illudere Scripturæ, & pondus sententiarum eius figuris frangere; non potes negare, has duas Verbi, & Spiritus sancti toties decantatas missiones, nouam requirere præsentiam; subsistentiæ verbi; quâ perficit & terminat humanitatem, & Diuinitatis, quâ se dat animæ iustæ, & beatæ possidendam & fruendam sicut præsens est per

immensitatem, & implet cœlum ac terram, quatenùs res omnes creat aut conseruat, vt Psalmista, & Apostolus hanc præsentiam communem ex illa operatione probant.

Quid ergo verius, quid diuinius hoc principio; Deum rebus præsentem non esse, nisi vt perficit? Et ideò cum sit triplex perficiendi genus, nempe, quo creat, quo terminat humanitatem, quo beat, hinc manifestè deducitur tres esse Dei præsentias omnium operatorias, quæ extra Deum posita sunt. Cùm enim omnia contineantur ordine naturæ, gratiæ, & vnionis hypostaticæ, videmus præsentiam communem ordinem naturæ, singularem Verbi vnionis hypostaticæ, tertiam Spiritus sancti gratiæ ordinem constituere: Ergo hoc principium D. Thomæ, Deus est præsens rebus vt perfectiuus, stat firmius vniuersi cardine.

Et inde deducimus, & confirmamus, quas tu, vt paradoxa reiicis, propositiones; Angelos more Dei esse in loco naturaliter, vt agunt, vel præternaturaliter, vt patiuntur & ligantur igne inferni. Et cum plures Angeli nequeant, vt causæ totales, nec velint, aut deceat, vt causas partiales eumdem effectum producere; quid mali est, si plures negemus esse posse in eodem loco formaliter, licet in eodem materiali innumeros admittamus?

Videris octauo paradoxo secuutus Vasquez, qui censet opinionem D. Thomæ, non aliam benedictionem panis & vini, à consecrationis verbis distinguentem derelictam esse in scholis; nam vt omittam momenta rationum, quibus fulcitur, & infirma argumenta, quibus ipse Vasquez impugnat, mirum est, ausum fuisse explosam dicere, cùm præter Thomistas, præter antiquos, Alexandrum, Marsilium, Durandum, Hugonem, & ex tuis Valentiam & Henriquez, expresse ita habeat Catechismus Pij V. à tribus è nostris Theologis scriptus. Sed ille tibi potiùs execrationi est, quàm veneration: licet Summi Pontificis nomen præferat; ad minùs æquè commendandus, ac Rituale Pauli V. cui asseris vim ex Cathedrâ definitionum. Sed ille tibi, vt dixi, stomachum, & bilem mouet duplici de causâ, quia prædeterminationi Physicæ fauet, & quia splendore

eloquentiæ tuos oculos caligantes fatigat, & tibi causam gloriandi & iactantiam aufert, de Theologiâ monachorum barbarie sordidâ, à te ornatâ: non credent, qui Cathechismum legerint, cui ex vestrâ officinâ in Theologicis nihil prodiit illi opusculo par grauitate sententiarum, aut verborum delectu, & tot editionibus celebre.

Nonum apud te paradoxum, quo asserimus humanitatem Christi existentiâ increatâ existere; & decimum, quo distinguimus in creatis substantiis essentiam ab existentiâ, quæ à te enumerantur inter minùs solidas, & improbabiles propositiones à scholis explosas, à Philosophis & SS. PP. hausit D. Thom. & confirmauit ex iis quæ de Deo fidei & rationis lumine nobis innotescunt. Vnde certissimè asserо, si ab hac sententiâ recedas, vix mysteria fidei explicari posse. Nullus enim locus (vt cætera omittam) esse poterit maternitati sacratissimæ Virginis, aut vnioni substantiali humanitatis cùm verbo, si ipsam asseras existere per se existentiâ substantiali completâ ante assumptionem ad verbum, cùm iam terminauerit, aut potiùs exhauserit totam vim generatiuam Deiparæ: quæ proinde mater humanitatis per se existentis dicetur; nullâ vero ratione Dei, nisi sensu, quo Nestorius non negasset. Quid enim humanitati sic per se existenti putant aduenire perfectionis, aut vnionis substantialis, vt vnam cum verbo personam conficiat?

His difficultatibus aliisque grauioribus fatetur Cardinalis de Lugo disp. 12. num. 25. hactenus in illâ disceptatione de constitutiuo suppositi creati nullum Authorem conquiescere, aut inuenisse aliquid, quod satisfaceret. Ita planè sentio, nisi distinctionem existentiæ ab essentiâ admittas, quam S. Thomas desumpsit tum ab Auicenna, & eius discipulis inter Arabes celeberrimis, vt illis hac ratione ad Christianismum, & Incarnationis fidem viam pararet; tum ex SS. Patribus, qui ferè omnes existentiam soli Deo essentialem, creaturis vero omnibus contingentem & accidentalem asserunt. Hac vero sententiâ constitutâ, Trinitatis & Incarnationis mysteria explicari, & defendi possunt: in quibus nil mirum, si Theologorum reliqui sibi nec aliis satisfaciant,

cum à viâ ſecuriori, quam D. Thomas ſtrauit & calcauit, longè aberrauerint.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Octodecim Propoſitiones Peripateticæ, vindicatæ in Fidei obſequium, à Petri objectionibus.

EX quadraginta quatuor propoſitionibus ſcholæ noſtræ, quas aſſerit Petrus ab aliis exploſas, ſuperſunt octodecim eaſque omnes S. Doctor ex Peripateticis principiis deduxit, vt breuiſſimè demonſtrabo. Vnicus autem, & certè præcipuus D. Thomæ ſcopus, quem ſemper præ oculis habet, quò omnes concluſiones aduocat, is eſt; nempe vt ſubiiciat rationem & Philoſophiam fidei. Vnde quidam grauiſſimus Præſul, & eloquentiſſimus Eccleſiaſtes Thomam vocabat Ariſtotelem baptiſatum. At ego veriùs dixerim Ariſtotelem Ethnicum Chriſtianum feciſſe hac regulâ, nempe gratiam perficere naturam, non deſtruere, & vtriuſque progreſſum ferè iiſdem legibus metiendum eſſe.

Ex hoc principio deducit concluſiones infinitas maximè 1. 13. 11. 19. & vltimam primi ordinis. Vndecimam quidem, quâ aſſerit habitum Charitatis non intendi per actus æquales, aut remiſſos, ſed per intenſiores: quia augmentum illud metiendum eſt iuxta leges qualitatum naturalium, vel habituum moralium: quod certum eſt non augeri, niſi perfectioribus actibus. Si dicas hoc ſingulare eſſe virtutibus infuſis, vt mereantur augmentum, etiam actibus remiſſis, hoc non negat D. Thomas: ſed vnde probas, debere dari eodem inſtanti, cum præmium tempore ſit ſæpiſſimè merito poſterius? Satis ergo eſt, ſi illud augmentum detur ante ingreſſum gloriæ, tum cum Deus præterita merita remunerat.

Eadem regulâ nititur duodecima propoſitio, quæ aſſerit vltimam diſpoſitionem ad gratiam Sanctificantem effectiuè eſſe ab habitu Charitatis. & huic Sententiæ præter Thomiſtas ferè omnes ſubſcribit Vaſquez cum ſuis diſcipulis: Probatur ex principio conſtituto. Nihil vetat gratiæ, & naturæ ordinem iiſdem legibus dirigi, & vtrobique dari mutuam cauſarum dependentiam in

diuerso genere. Cum ergo id contingat generationi naturali, vt dispositio vltima ad formam sit ab ipsamet formâ effectiuè cui materiam parat; Quidni seruabimus eumdem in regeneratione supernaturali ordinem, vt contritio, vel dilectio sit à Charitate habituali, tanquam à principio effectiuo, & ad illam inducendam in animam viam paret? Sic reciproca est causalitas in diuerso ordine generationem inter & corruptionem; inter ventum impellentem, & aperientem fenestram; & fenestram, quæ cedit vento ingredienti. Nihil ergo mirum, hoc principium, quo nititur mutua dependentia causarum in diuerso genere acriter impugnari à Recentioribus, cùm de Lugo disp. 9. de Pœnit. hac de re fateatur, ea semel admissâ mutuâ causalitate, Thomistas in tuto esse ab illis argumentis, quibus libertatem læsam à prædeterminatione conantur euincere.

Præter illud Physicum nostræ propositionis quintæ fundamentum, aliud Theologicum paris momenti adiungo, quòd nostra sententia facillimè expediat nodum insolubilem Aduersarijs. Certum est (& hoc Bellarminus etiam demonstrat) primum actum contritionis gratiâ informatum mereri quidem primum gradum gloriæ, qui illi respondet, minimè verò primum gradum gratiæ. Cuius rei intricatæ expedita & obuia ratio est, gloriam cadere sub meritum illius dilectionis, quia est terminus extrinsecus, quem respicit; secus vero gratiam habitualem quia est illius actionis principium quod sub meritum non cadit, iuxta commune Theologorum effatum.

Ad eamdem regulam exigimus decimamtertiam propositionem, nempe peccatum veniale esse posse in appetitu sensitiuo, & vltimam illius, videlicet numero vigesimam sextam, quæ virtutes morales acquisitas, aut infusas castitatis fortitudinis, ponit in appetitu concupiscibili, & irascibili, iuxta receptam in nostris scholis opinionem; de quâ videri possunt Salmanticenses 1. 2. tract. 12. d. 3. quam etiam plures extraneorum sequuntur, & vtraque ex Peripateticis principiis assertis sic à D. Thoma probatur.

Nemo nescit appetitum sensitiuum hominis hoc differre ab appetitu brutorum, & à membris, & sensibus.

externis, quòd has partes omnis rationis & libertatis expertes despoticè regat animus, appetitum vero politicè, id est, quasi imperio rationis obsequentem. Corpus vero obsistere nequit, nisi adsit obstaculum, aut infirmitas, sed ad eius nutum regitur, neque agit, sed agitur: secùs vero appetitus, qui in homine potest esse rationis sequax, & contumax; potest obedire, & reluctari: Ergo virtute illi opus est, vt subsit rationi, à quâ aberrare potest. Et cum aliunde ea sit lex vniuersi; quòd, (vt habet Dionysius) *infimi supremum attingat supremi infimum*, & ratio in homine sit infimus gradus supremæ naturæ intelligentis; appetitus vero sit inferioris naturæ sensitiuæ veluti apex, & suprema perfectio; quid mali est, aut potiùs nonne oportet, vt hæ partes mutuò sibi suas dotes communicent? Et si ex illâ directione partis superioris participet appetitus ordinem rationis, & aliquid libertatis, ergo capax esse potest actus studiosi, vel mali, & ad minùs peccati venialis, vt vera sit lex à Dionysio euulgata, *supremum infimi attingit infimum supremi.* Et his breuiter ac strictim dictis duæ propositiones, quas vt improbabiles traducit Petrus, solidè hoc fundamento subsistunt.

Cui adde aliud ex Ethicâ non minùs firmum & immotum, habitum virtutis, aut vitij in eâ facultate collocandum, in quâ boni, aut mali ratio absoluatur. Et cum hoc discriminis intersit bonum inter & verum, quòd istius cognoscendi initium, seu dispositio sit à sensibus cognoscitiuis (seu externi sint, seu interni) illud verò sola mens assequatur, quæ proinde capax sit habituum, & virtutum, quibus veritas attingitur: Contrà verò boni honesti, quod in moderandis affectibus timoris, aut voluptatis ex regulis temperantiæ & fortitudinis à voluntate sit exordium, actibus verò appetitus sensitiui perficiatur; aliàs si absoluta ratio huius boni honesti esset penès solam voluntatem, nihil prohiberet quin Angeli castitatis virtutem, Dæmones luxuriæ vitium sibi compararent; cum illi rebus castis, isti turpibus delectentur.

Ex quibus omnibus planè consequitur in appetitu sensitiuo residere virtutes, quæ voluptatem carnis, aut timorem mortis moderentur; quandoquidem illius fa-

cultatis actibus absoluitur, & consummatur temperantiæ, & fortitudinis ratio, provt virtutibus moralibus accensentur, quarum solus homo capax aut compos est, vt medium tenet Angelos inter & bruta, id est, vt habet congenitum appetitum sensitiuum, quem politicè regat, & ita sit audiens, & obnoxius rationi, vt etiam contumax esse possit. Verissimè ergo, & peripateticè has virtutes morales collocat Sanctus Doctor in appetitu sensitiuo, non in voluntate.

Ex iisdem Principiis Peripateticis deducit S. Thomas plures propositiones, maximè quintam primi Ordinis, non posse sub vnâ specie Angelicâ dari plura indiuidua; & secundi Ordinis quintam, duo accidentia eiusdem rationis non inesse simul eidem subiecto; & sextam plures albedines non posse dari naturaliter abstractas; & septimam intensionem qualitatum non fieri per additionem graduum, sed per radicationem eiusdem qualitatis; & vndecimam principium indiuiduationis esse materiam; & vltimam, habitum scientiæ esse simplicem qualitatem, & tamen intendi.

Hæ omnes propositiones pendent ab vnico principio de indiuiduatione, ita comperto in scholâ Peripateticâ; vt fateatur Fonseca, si in hac re D. Thomas errauerit, communem illi esse cum Philosopho lapsum. Si potentiæ, habitus, & operationes, suam specificam rationem ab obiecto exterius posito sumunt, iuxta axioma receptissimum ab omnibus Theologis, & Philosophis, (quod pauciſſimi, & præ aliis Ripalda ausus est impugnare, sed Cardinalis de Lugo dicit hoc à se mutuatum) quid mirum, differentiam indiuidualem, quæ intra eamdem speciem solo numero res distinguit, quæ est ens materiale, & quasi per accidens & secundariò intentum, desumi, vel à materiâ, vel à subiecto, vel à materiâ signatâ quantitate, cum oporteat cuiusque rei rationem ab eo repeti, cui per se primò conuenit? At nemo negat diuisionis in plura eiusdem rationis, radicem esse materiam, & quantitatem, igitur iuxta principia verè Peripatetica compertæ sunt omnes numeratæ assertiones, quæ præter D. Thomæ discipulos, omnes ferè habent defensores veros Peripateticos, maxime Auerroem; huius enim vi axiomatis malè compulsus est in illum errorem, non

dari nisi vnam animam rationalem omnium hominum ; adeo constans erat apud ipsum iuxta mentem Philosophi, multitudinem numericam non esse nisi à subiecto & materiâ ; & ne à Philosopho discederet, in tam grande absurdum deductus & prolapsus fuit.

Sed notandum diligenter est, aliud iudicium esse de Animâ rationali, ac de completâ forma spirituali subsistente ; illa potest multiplicari ; secus ista, quæ vt multiplicetur, debet dicere ordinem ad materiam, actu vel potentiâ ; & cum vtroque modo à materiâ non abstrahat anima, sed Angelus, hinc manifestum est Animas rationales solo numero posse multiplicari, non Angelos, sicuti præter Thomistas docent plures extranei, maximè Granado. Neque hîc locum habet distinctio potentiæ ordinariæ, & extraordinariæ, neque enim admittitur in causis formalibus, v. g. non potest Deus cum albedine vt quatuor immutatâ, facere album vt decem. At si natura Angeli formaliter eadem ratione constituatur, quâ specifica, & indiuidua, sicuti de potentiâ ordinariâ non potest habere plura indiuidua distincta numero ; ita nec de potentiâ extraordinariâ.

Et ex hoc fundamento facile resoluitur propositio quartadecima, quâ dicimus implicare vnum corpus esse circumscriptiuè in pluribus locis, cui præter antiquiores extra scholam D. Thomæ subscribit Vasquez : & ratio implicationis facillima ex dictis est, causæ formalis effectus multiplicari non potest ipsâ causâ inuariatâ, etiam de potentiâ extraordinariâ, quæ hîc, vt dixi, non habet locum, at affectus formalis quantitatis ad minùs secundarius est constituere corpus circumscriptiuè in loco ; ergo illâ inuariatâ, vt supponimus, non potest idem corpus in pluribus locis constitui. Duo autem aut plura corpora eodem loco contineri nihil vetat ; ad hoc enim satis est secundum quantitatis effectum tolli, aut impediri, quod longè minùs repugnat, quàm inuariatâ formâ multiplicari : quod tamen omninò necessarium est, vt idem corpus in pluribus collocetur spatiis.

Obieceras etiam aliam propositionem à nobis ex D. Thoma, vt ais, assertam, scilicet, *Corpus Christi viuum esse planè diuersum à mortuo* ; sed hoc etiam nobis & D. Th. imponis: *Nam* 3. p. q. 50. a. 5. oppositum planè docet ;

dicit enim, *Corpus Christi viuum & mortuum esse idem numero simpliciter, id est, absolute, & nullo addito; quia scilicet*, inquit S Doctor, *est supposito idem, non autem, simpliciter, hoc est omnino totaliter: Nam amisit in morte aliquid ad essentiam viui pertinens, scilicet vitam.* Imò acutissimè subdit D. Thom. *Si diceretur, quod Corpus Christi mortuum totaliter idem remaneret, sequeretur non esse corruptum, corruptione, dico, mortis; quod est hæresis Gaianitarum.* Caueat ergo Petrus ne dum D. Thomæ calumniam molitur in illam hæresim dilabatur.

Propositiones, quæ supersunt examinandæ, deduxit S. Thomas ex doctrinâ receptâ Platonis, & Aristotelis de materiâ primâ, quam puram potentiam, & propemodùm nihil appellant, & opponunt Deo, vt entium infimum supremo. Ex his infert D. Thomas propositionem primam, secundam, tertiam, octauam, decimam, decimam-septimam secundi ordinis. Fateor has D. Thomæ & Aristotelis propositiones, longissimè abesse à Democriti, & Epicuri, & aliorum Philosophorum placitis, qui generationes substantiales, animi immortalitatem, diuinitatem, & prouidentiam negabant ex opposito principio, quòd materia prima esset ens completum, actuale, capax tantùm formarum accidentalium. Inde Galenus inferebat animam hominis non esse formam substantialem, sed harmoniam.

Vnde videat Petrus, videant reliqui osores Doctrinæ Thomisticæ, & harum maximè propositionum, materiam non habere propriam existentiam; implicare separari ab omni formâ, recipere immediatè accidentia; dari resolutionem vsque ad materiam primam; videant, inquam, & obseruent dum ista explodunt vt paradoxa, causam agere Democriti, Epicuri, Religionis & Prouidentiæ hostium instaurare opiniones. At contra D Thomas hoc vnum inspexit, vt Philosophiam aduocaret in obsequium fidei, & illius sequax esset, non in Deum rebellis. Ideo has de materiâ opiniones secutus est; nam si eius actualitatem augeas; si velis accidentia immediatè recipere, occludis viam ad generationem substantialem, ac subinde ad animæ rationalis cum corpore vnionem substantialem. Hinc ergo patet, Petrum, dum vult tenebras offundere nostræ scholæ, maximam illi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [455] - 395
PUBLIC DOMAIN

lucem attulisse. Vnde conscius bellum S. Thomæ, & eius discipulis in commune indictum pessimè sibi successisse, vt hoc dedecus deleat, inire vult cum quibusdam nostrorum singulare certamen, ratus se facilius seorsim singulos, quàm omnes iunctim victurum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Dominicanorum, & Discipulorum D. Thomæ vindiciæ, aduersus alteram quartæ Diatribæ partem.

NEscio, an Petrus in Sanctum Doctorem id meditetur malum, quod sibi euenturum diuino consilio, & Iudæorum manibus, Christus prædixerat: *percutiam Pastorem, & dispergentur oues gregis.* Non vno loco D. Thomam sibi percussisse visus est obiectis quadraginta quatuor dogmatibus, vt putat, improbabilibus, & paradoxis, & totidem credit se illum vulneribus confecisse, & pastore ita deiecto & afflicto, totum gregem omnesque discipulos dispersum iri. Non dubito, quin Angelicus præceptor, dum te videt, Theophile, ita in se suosque sæuientem, inclamet verbis Christi: *Theophile, Theophile, quid me persequeris? Durum tibi est contra stimulum calcitrare.* Nec minùs Christi charitatem, quàm vocem imitatus addet; si te liuor & odium in me impellit, illud, vt libuerit, exple, *sed sine Discipulos meos abire.*

Verum hanc humanitatem à te frustra requirat: neque enim ita tui compos es, aut rationis audiens; vt possis, etiam si maximè velles, vlli Thomistarum parcere, si vel minima subsit carpendi occasio, aut à conuitio abstinere cuiusquam, quamlibet insontis & sancti, qui Dominicanam vestem ferat. Exemplo sit D. Catharina Senensis, quam grauissimæ hæresis damnas, nullâ, vel minimo verbo, datâ occasione adeo atrocis & sacrilegi iudicii, nisi quòd fuerit Dominicanæ Familiæ ornamentum.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Defensio D. Catharinæ Senensis, Capreoli, & Ioannis à Neapoli, vbi aliqua de Durando, Catharino, Campanella, & Cajetano.

QVi hostium fines armati ingrediuntur, & vastant, aut Ciuitates vi expugnant, longè humaniùs, quàm tu in nos, Petre, agunt. Neque enim nullo discrimine sæuiunt in omnia: sed si quis pietatis, aut humanitatis sensus sit, abstinent à direptione, & incendio templorum, à puerorum, senum, & mulierum cæde; parcunt etiam militibus, qui se dedunt, & arma abiiciunt. Hanc humanitatem in te desideramus Theophile: omnes Dominicanæ Familiæ, nullo sexus, aut generis discrimine ad mortem deposcis, vel quod peius est, illis æternam infamiam importas.

Nonnulli communem causam, & Doctrinam familiæ nostræ deseruerunt, quales sunt Durandus, Catharinus, Campanella. Ab ea etiam paululùm deflexit Caietanus, vbi assumptus ad purpuram, se contulit ad Scripturæ sacræ interpretationem. Quibusdam minùs licuit res Familiæ nostræ attingere, quàm senibus, pueris, & virginibus militare. Ac proinde Virgines Deo sacræ, & maximè omnium illustrissima ac sanctissima Catharina Senensis, videbantur extra teli iactum, ac sæuitiæ tuæ vim ac impetum positæ. Sed hostiliùs nobiscum agis, quàm vsquam hostium vlli. Neque Virginibus, neque Diuis, aut rebus sacris parcis. Innocentissimam Catharinam Ecclesiæ Catholicæ columen accusas grauissimæ, de visione beatâ, hæreseos, oratione decimâ septimâ die 12. Augusti anno 1377. Romæ habitâ, quam referre visum est ex editione Aldi Manutii anno 1550. vt inde Lector agnoscat non minus iniquam Catharinæ, quàm olim Susannæ accusationem. Sic igitur more, & exemplo Christi inter orandum, Patrem æternum compellat, & alloquitur.

O ingrati animi hominem! O diuinitatem omni altitudine sublimiorem! O incomprehensam charitatem! Tu nos

Pater aterne, doces, hominem, dum se introspicit, te in seipso nosse & complecti, quia ad tui & totius Trinitatis imaginem formatus, vnius substantiæ est triplici facultate instructus. Pollet memoriâ, ex tuæ potentiæ similitudine, ne vnquam tui, & tuorum beneficiorum obliuiscatur. Rationis etiam compos, & Filij tui vnigeniti sapientiæ particeps est, vt te agnoscat, & te amandi causa voluntatem Spiritus sancti liberalitate, ad eius bonitatis imitationem habet. Homines igitur his tuis donis ornatos, non modo ad tui similitudinem creasti, sed voluisti etiam sui in te similitudinem, & ideam haberent: atque ita non solum tu in homine, sed homo in te existit. Sed hanc mutuam cognationem mei tecum, sero, neque hactenus noui; atque hæc est summa cæcitas hominum, qui in te peccant? Nam si caperent, quid sit, te in seipsis, aut se in tuâ diuinitate existere, non possent te super omnia non amare, & non odisse peccatum. Verum hæc ignorantia, non nisi à tuæ gratiæ absceſſu & carentia est; hæc vero ab interiecta amoris proprij, te inter & nos, nube prouenit. Tanta vero est hominum inter se naturæ similitudo & necessitudo vt si ab illis exulet mutua dilectio, sint quasi à propriâ naturâ extorres. Hæc D. Catharina. Deinde pro singulis, qui sibi cordi, aut commendati erant, rogauit Deum, Diuinæ suæ naturæ participes faceret, mutuâ charitate, quâ ad Deum, qui charitas est, propiùs accedimus. Quod ad se attinet, subiunxit, se non aliam à Deo gratiam ambire, quàm grauissima & longissima quæque mala forti & læto animo eius causâ per totam vitam, tandem martyrio consummandam, patiendi

Quæ tibi, Theophile, hæreseos sunt comperta, aut suspecta verba, ex hac sanctissimæ Virginis oratione? Quo loco lateat venenum, indica, excute; quia oculos nostros, imò omnem coniecturam, & suspicionem effugiunt. Nec solum nobis videntur ab omni errore remota; sed etiam ab ardentissimâ charitate profecta. His tamen verbis inesse contendis hæresim de visione beatâ, passiuè tantum cælitum mentibus receptâ nullo in illam potentiæ agentis influxu, sed patientis officio. Atque illam hæresim, quasi apud Thomistas hæreditariâ traditione acceptam hausisse vis D. Catharinam à Patribus

noſtris, quos à confeſſionibus habuit, quorum ſe curæ & arbitrio permiſerat. Atque vt fucum facias incautis, Ioannem à Neapoli è Theologis noſtris addis in eo fuiſſe errore: & Capreolum etiam perperam de viſione beatâ ſenſiſſe in 4 diſt. 49.

Deum hominesque teſtari poſſum, nullam, per majorem, aut cæcitatem, aut improbitatem fuiſſe conflatam hac, quam moliris in Dominicanos, calumniam; vt non mirum ſit, Auguſtiſſimi, & præ omnibus Catholici Senatus Tholoſani Decreto, tuum libellum manu carnificis flammis addictum, quod commeruerat, hoc ſolum nomine ſacrilegij, etiamſi alia crimina defuiſſent, quod Virgini Catharinæ, & toti Familiæ Dominicanæ impoſueris errorem, de recepta paſſiue tantùm viſione beatâ mentibus Cælitum; à quo nulli hominum magis, quàm noſtri Theologi abhorrent.

Verum quidem Scoto, & Nominalibus non diſplicere vitales operationes (qualis ſine dubio eſt viſio beatifica) etiamſi paſſiuè ſint receptæ in potentiâ, nec actiuè ab illa profluant, cenſeri vitaliter prodire. At Thomiſtæ omnes id pernegant, & vno conſenſu aſſerunt, non magis intellectum aut voluntatem agere ſi volitio aut intellectio per miraculum immitteretur ab illis minimè elicita, quàm ſaxum aut ſtipitem, ſi illis eadem actio vitalis inhæreret. Hæc omnium Thomiſtarum vna vox, & concors ac perpetua eſt ſententia contra Scotum, & Nominales, de actu vitali vniuerſim, & de viſione beata ſpeciatim contra Hugonem à S. Victore, & Ioannem à Ripa antiquum Theologum neſcio cuius familiæ, quia ea tacita Capreolus latiſſimè refert & refellit argumenta, quibus contendit humanitatem Chriſti, perinde ſcientia increata potuiſſe videre diuinam eſſentiam, & reipsâ intellexiſſe omnia, ac verbi perſonalitate ſubſiſtebat.

Et hinc puto deceptum Valentiam, Ioanni à Ripa vero huius opinionis Authori ſuffeciſſe Ioannem à Neapoli, nullâ fraude, ſed caſu, aut negligentiâ aliquâ: neque enim Valentiam accuſo; ſed damno Theophilum; quod cum alia ſit Actoris in reum, alia Theologi diſputantis ratio; huius bonam fidem facile excuſem: At ſi hæreſeos nominatim quem accuſes, næ oportet accuratiſſi-

mè inquirere an re vera lapsus sit. Sed frustra hanc æquitatem & diligentiam à Theophilo speres, qui auidissimè calumniandi causam quærit ; & vt de famelico alias diximus, cui nullus cibus quamlibet ingratus displicet ; ita Theophilo calumniæ quamlibet atroces, & sacrilegæ videntur in deliciis esse.

Eadem fide refert Capreolum, & reum peragit citato loco 4. sent. dist. 49. a. 4. respons. ad 1. Scoti, & ad 3. Aureoli, circa secundam conclusionem, vbi nihil habet nisi subtilissimam & efficacissimam doctrinam ex D. Thoma desumptam ; quâ confirmat elogium ab ipso Petro relatum, esse Capreolum animam D. Thomæ ; solâ responsione ad 3. Aureoli, hæc verba habet : *Dicitur quòd visio beatifica in quantum beatifica, est à solo Deo, & non ab intellectu agente, vel possibili, sed nihil prohibet, quin sit ab intellectu possibili effectiuè.* Huius verò distinctionis de actu visionis secundùm substantiam, & secundùm formam, quam fingit Petrus, ne verbum quidem apud Capreolum, saltem locis ab illo citatis: aliunde verba relata Capreoli habent facilem & sanam explicationem, quod visio beata sit sub ratione beatitudinis à Deo, vt obiecto vnito, per modum speciei impressæ, & expressæ, & vt principio infundente lumen gloriæ. Ita Capreolus est ab omni errore immunis vt Dominicanorum hostis infensissimus, nihil potuerit inuenire in eius scriptis ampliſſimis, quod pateret calumniæ : & ne intactum prætermitteret, affinxit illi, quod nunquam somniauit. Benè est, mi Petre, dum vis accusare Dominicanos, ab omni errore absolus, & demonstras esse super omnem laudem, quandoquidem nihil occurrere potuit, quod morderes, quod reprehenderes, nisi de tuo addidisset.

Hæc paululum immutato ordine, primum de D. Catharina, ex cognatione rei, Capreolo, & Ioanne à Neapoli diximus ; quòd apertior, & grauior calumnia animum perculerit, & ad defensionem innocentissimæ Virginis abripuerit, quasi à Dracone deuorandæ, licet illam aggrediatur Aduersarius quadam specie miserantis. *Dolendum est*, inquit, *sanctam Virginem Catharinam Senensem, ab aliquo malè solido Cyriaco, hausisse eam reprobam doctrinam, vt patet ex eius Oratione 17.* Dum

hæc

hæc verba legi, eo maligniora visa sunt, quo breuiùs & obliquius Diuam petunt. *Pessimum genus inimicorum, laudantes*, ait Tacitus, addo ego, *dolentes & in speciem commiserantes*. Visum est etiam è re nostra fore, has Dominicanorum vindicias ordiri ab eâ injuriâ D. Catharinæ illata, vt inde prudens Lector agnoscat, quo animo futurus sit Theophilus in Theologos scriptores, quos maximè lacessit; cum nec sexus, nec sanctitatis vllam rationem habeat.

Perinde nobiscum Theophilus agit, ac Imperator victoriis insolens, qui subactam nationem deleturus, nulli statuit parcere; & ad se, etiam dum bellum ardet, transfugis veniam deprecantibus indicit moriendi necessitatem. Ita sæuit in omnes Dominicanos Theophilus, & in eos, maxime qui omnino, aut aliquâ ratione à communi causâ defecerunt; quales sunt Durandus, Catharinus, Campanella, quibus Cenotaphium non statuimus, vt ipse dixit ritu Pythagoreorum, vti magistri communis desertoribus; sed nec illis etiam Apologiam debemus. Durandus habet suas in Academiis Cathedras quarum Candidati, aut possessores illum acriter defendunt. Quod ad Catharinum attinet, non debebat à Petro omnino contemni, quandoquidem Immaculatæ Conceptioni splendorem contulit, depulsis etiam debiti tenebris.

Campanellam mirè vexat Petrus. Plures illius lapsus non diffitemur, sed cum è doctissimis huius sæculi sit habitus, & fortè fama fuerit supra merita, non existimo tamen omni laude carere, quia major fuit impetu ingenij, quod in conuersationibus eminebat, & in libris obscurum est ac pene extinctum; vt doctissimorum virorum iudicia rapuisse magis visus sit quam meruisse. Et certè loco miraculi plurimis fuit carcer per octodecim annos ab ipso insonte magna constantia toleratus; & quod toto illo tempore sine vllo librorum subsidio, cartha etiam destitutus, tot scripserit, & omnes artes per se didicerit, quod ex inimicorum manibus euaserit, & appellatione ad Sedem Apostolicam ad libertatem sibi viam aperuerit.

Hæc obiter de Campanella, non vt illum omnino defendam, sed à contemptu vindicem, à vituperio in gra-

tiam grauissimorum virorum, ac etiam Summorum Principum, qui magni ipsum fecerunt. Certum est Campanellam plus valuisse impetu, quam iudicio; & disceptatione extemporaneâ, quam scripto, & nullum fortè illi ingenio, aut omnium scientiarum complexione parem: & si alterius Ordinis à nostro, qui vni D. Thomæ addictus est, togam induisset, fortè, vt quoddam scientiarum lumen fuisset habitus; quia nihil est, potissimum è scientiis Astrologiæ, medicinæ, & aliis, quod suo marte non attigerit. Vnde Cardinalis Pallauicinus in suo libro inscripto *Vindicationes Societatis Iesu*, c. 27. ait: *Thomas Campanella Dominicanus vir qui omnia legerat, omnia meminerat, præualidi ingenij, sed indomabilis.* Hunc ergo virum quem Cardinalis Pallauicinus adeò commendat, Theophilus dicere audet ignorantissimum.

De Caietano aliàs dictum est, nullum illo fuisse ab omni errore remotiorem, quamdiu Diuo Thomæ adhæsit; nullum ad lapsus magis præcipitem, cum ducem deseruit, & sibi fidit: quamuis sex libris contra illum scriptis, plures Catharinus calumnias inseruerit, quam Cajetani errores. In Scripturis commentandis habet plurima à se inuenta, quæ placent maximè his, qui non sua tantum admirantur; ex illo Ecclesiastæ maximè Hispani plurimas cogitationes subtilissimas decerpunt, quibus suas conciones veluti gemmis ornant. At maximè Cardinalem Caietanum commendat numquam satis commendatus Cardinalis Pallauicinus in citato libro Vindicationum dicto cap. 27. vbi sic ait: Cajetanus ille exacti sæculi primum decus in Liceo, & quasi vnus omnium dignus qui Diuinam illam tanquam humanæ Sapientiæ summam Commentariis ornatissimis cumularet. Palauicino duos è Societate adde Bellarminum & Posseuinum, ille quidem de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 1500. his duobus verbis Thomas de Vio Patriâ Caietanus vir fuit summi ingenii, nec minoris pietatis: summam laudum complexus est, quas paris animi candoris ex eadem societate Posseuinus quo nullus dissimilior fuit Theophilo, sine inuidia latè prosequitur, & Summum Pontificatum illi omnium votis conferendum asserit, nisi mors tanto oneri subduxisset.

Possem plura addere encomia Caietani ex Posseuino, Bellarmino, aliisque, qui mirè illum laudant, ab ingenio, à summa eruditione, à scriptis, à maximis in Ecclesiam meritis, quæ Leonem X. impulerunt, vt anno trigesimo ætatis assumptum ad sui Ordinis Magisterium, aliquot post annis ad purpuram eueheret; ad difficillimas, & iuxta honorificentissimas legationes admoueret; & in ipsa expugnatione ac direptione Romana, cum vix cuiquam suis malis & periculis implicito liceret de alienis meminisse; non potuit tamen Clemens VII. tantâ ruinâ oppressus Cajetanum obliuisci, & in ea calamitate sollicite inquisiuit, quid illi accidisset. Num, inquit, maximum hoc Ecclesiæ lumen occidit? Et tamen hunc virum omnibus præter te, & Catharinum, venerandum insectaris crudelius ipsis Lutheranis, è quorum manibus redemptus est magno pretio, & totius Ecclesiæ votis ereptus immatura morte; quæ vt testatur Posseuinus ad Pontificatum erat euectura, si vno die superstes fuisset Clementi VII.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Excusatur opinio Ferrariensis de Transubstantione collata cum opinione de Lugo.

MOnui initio huius libri, plura mihi permissurum, ad Præceptoris Angelici, eiusque discipulorum Doctrinæ, quam ad fidei, pietatis, morumque defensionem. Nam cum longè alia sit differendi, & opinandi salua fide, alia probe, aut secus viuendi ratio; cum vitiis & erroribus certa & grauis; opinionibus autem probabilibus modica aut nulla creetur infamia, vel damnatio debeatur; cum nobis vitia, & hæreses obiecit Petrus, contentus calumniam refellere, nolui similia, quæ poteram forte vera reponere, quia occulta sunt, quia scandala pariunt & infamiam: opiniones vero quas vt improbabiles, & Paradoxa D. Thomæ, eiusque discipulis obiicit, nihil dubitabo excusare, & defendere collatione Authorum ex Societate, qui similia & fortè absurdiora docent, vel etiam erronea. Id experiemur isto Paragrapho.

Ferrariensi obiicis docuisse, *quando ex speciebus sacra-*

mentalibus putrefactis generantur vermes, manere quantitatem specierum, cum solâ substantiali formâ vermis adueniente; nullam autem ibi materiam reperiri, atque adeo existimare vermes illos differre specie à cæteris vermibus; quod putat se habere ex D. Thoma 4. cont. gent. c. 66. & ex 3. p. q. 77. a. 5. & in 4. dist. 12. q. 1. a. 2. Sed esto sit ita interpretatus D. Thomam Ferrariensis contra sensum Capreoli, Cajetani, & aliorum Thomistarum quid inde? An non potuit interpres D. Thomæ aliquid fortè minus verum asserere.

Si vellem representare, quæ ex tuis doctissimi, & recentiores de conuersione Eucharistiæ docent, audires absurdiora; quale est illud Cardinalis de Lugo, qui ad conuersionem triplex vinculum exigit corporis Christi cum speciebus, primum per proprium vbi, secundum per virtutem actiuam, & quasi creatiuam, qua corpus Christi species è nihilo retrahit, & sine subiecto conseruat; sed hæc duo vincula debiliora censet, quam vt possint speciebus corpus alligare, ideo istis addit virtutem trahendi corpus quocumque ferantur, vt funiculus triplex difficile rumpatur. His ita constitutis conuersionem sic explicat, vt nihil repugnet iuxta illius principia quamlibet creaturam in Deum, vel è contra Deum in creaturam conuerti: quia conuersionem idem omnino esse putat, quod vnum loco alterius succedere, vt illius officio fungatur. Ita Angelus qui mouet cælum in Deum conuertatur necesse est, si eo amoto Deus moueat orbem cæleſtem: Non puto hanc de conuersione sententiam saniorem aut probabiliorem esse illa quam Ferrariensi improperas.

Quamuis Ferrariensis 4. contra gent. c. 66. ingenioſe discurrat de quantitate, vt vicem & locum habet materiæ, dum putrefiunt species sacramentales, & illi attribuendum dicat quidquid materiæ veræ, si adesset, conueniret; atque ita in illam refert tanquam in principium passiuum eductionem, & sustentationem nouæ formæ, vt euitet quod intercederet miraculum, si noua materia crearetur: ea ratione qua certum est dispositiones quæ antecedunt generationem vermium recipi in quantitate, formam autem genitam induci in subiectum prius dispositum: Authoribus vero qui censent putrefactis spe-

ciebus sacramentalibus, creari à Deo materiam, ex qua instantanee educatur forma vermis, asserendum omnino est, priuationem formæ vermis non præcessisse in materia, & sic non videtur ex ista sententia posse vitari quin illa productio vermis sit vera creatio : nam si esset generatio, debuerat priuatio præcedere aliquo tempore, vel saltem instanti temporis. Has difficultates soluere debuisset Raynaudus, vt merito sententiam Ferrarienſis suggillaret.

Addere possumus errores Thomæ Bonartes Nordrani Angli è societate in suo libro impresso Coloniæ anno 1659. inscripto. *Concordia scientiæ cum fide, &c.* Quo sacrosancta Fidei Christianæ mysteria euertit ac tollit; præcipuè mysterium Incarnationis, ac transubstantiationem in Eucharistia. Christum purum hominem facit: negat enim in Christo vnionem hypostaticam ad verbum; & naturam humanam Christi subsistere in verbo, docet nihil aliud esse, quam omnia opera Christi indiuisibiliter à Deo & homine, vt ab vno principio prodire. Hinc, quia operationes sunt suppositorum, in Christo cum sit vnum Principium agendi ex Deo & homine constitutum vnum tantum esse suppositum dici conuenit diuinum potius, quam humanum : quia ad agendum primas Deus habet, homo comparatur vt instrumentum perfectissimè Deo dirigenti subditum.

Hæc est Bonartis de mysterio Incarnationis doctrina; Et eius verba lib. 4. pag. 225. *Propone tibi Christum eo modo agentem, vt quidquid agat humanitas, id simul agat operâ coniuncta diuinitas, vt ab vtraque proximè, & simul actio procedat, &c.* & post multa. *Itaque cum efficientia humana Diuinæ composita velut absorpta, & obruta videatur; haud obscura est ratio, qua Patribus persuasit, vt Diuinam tantum hypostasim Christo tribuerent, & naturam humanam personalitate propriâ spoliatam dicerent; illi quippe principio tamquam hypostasi actio ex vsu sermonis communis ascribitur, in quo & dignitatis, & efficacitatis amplius cernitur; vnde subsistentiam illam quam vocant positiuam, Antiquis, & Patribus, & Philosophis ignotam, fideique improbatam, &c.*

Et pag. 229. sic ait. *Anima Christi tum in intellectu, tum voluntate, adiumentis talibus est ornata, qualia*

instrumento ad actiones Deo dignas, cum Deo simul edendas destinato congruant; habet etiam corpus sic agenti conueniens, tum Deus actiones proximè cum sola Christi humanitate producit, quasque illa passiones recipit, ipse quoque ad receptionem agendo præparat, atque disponit. Hoc si cogitatione comprehensum teneas, & naturam vnione vera, & Physica propriè assumptam, non autem in humana, sed Diuina hypostasi subsistentem, quia Deo vt pote & digniori, & longe principaliùs agenti actio attribuitur, quamlibet vero, vt Diuinum maxime humanitatem etiam summè perfectum, atque instrumentum Diuinitati maximè coniunctum intellige.

Secundo tollit sacrosanctum Eucharistiæ mysterium, negat enim Corpus Christi, quod est in cælo, esse idem in Altari; sed aliud distinctum semper assumit pro distinctione hostiarum. Item negat Corpus Christi totum esse in tota hostia, & totum in qualibet parte ipsius, sed vel sub qualibet particula sensibili esse quoddam Christi Corpus, adeo vt vnaquæque particula suum habeat, vt ipse loquitur, *minimum animalculum*, vel diuisione factâ non esse Corpus Christi integrum sub qualibet parte. En Bonartis verba, pag. 143. *Hic igitur Christi Corpus quod in cælis est, illud ipsum propriissimè sumptum in Altari non sisti, sed panem propositum in tantumdem carnis, vinum item in sanguinem virtute Diuina, sed ea quæ modo explicata est conuersione mutari, hacque anima Christi copulata, à verbo assumi hypostatice, &c.* & pag. 253 ait, *Pani, & vino transmutatis coniungitur Diuinitas, ex iisdem Christi Corpus, & sanguis efficitur, non autem corpus quod in cælis est eorumdem loco subiicitur, &c.*

Quid ad ista Theophile? Nonne sunt hæreses crassissimæ? An non euertunt ac funditus tollunt Catholicam fidem? Hæc non à Dominicano aliquo, sed ab vno ex tuis scripta, ac edita reperies in Thoma Bonarte, qui libro edito suum nomen apposuerit, non tamen scripsit se esse è Societate Iesu, ne forte ipsi daret pœnas suorum errorum; sed damnato à sacra Congregatione libro, Thomas ad vrbem aduocatus fuit, & à suismet, vt audiui, punitus. Scio tamen aliquot ex eius

instituto, hæreſes adeo craſſas aliquo ſenſu toſerabili mollire conatos.

Quid ſimile contigit annis ſuperioribus Venetiis, vbi quidam è Societate eiectus publice defendit, hanc propoſitionem, *Aliquis Deus eſt poßibilis*, quam etiam plures Theologi è Societate in gratiam eiecti, quem amore proſequebantur, acerrimè tutati ſunt. Hoc vnum v[illegible] Bonartes ſuo libro alias errorum referto admiſcet *ſcientiam mediam Deo eſſe indecoram, hominibus horrendum, &c.* & hoc latiſſimè probat; quamuis erret quod neget Deum vllo pacto cognoſcere futura conditionata.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Defenſio Cani, Dominici, & Petri à Soto.

VIx vlla Diatriba parcit Cano Theophilus, & cum nihil habeat quod obiiciat nouum aut graue; eadem repetit vſque ad nauſeam: quale eſt illud de reprehenſione Stephani: vel obiicit leuia, aut quæ plures ex Antiquis & recentibus Theologis doctiſſimi & grauiſſimi defendunt; qualia ſunt hæc tria, primum de matrimonio nullo, ſi ſolis nutibus ineatur ab illis, quibus ad eſt facultas loquendi, vel ſi abſit Parochus, quem contendit eſſe huius ſacramenti Miniſtrum; & de Chriſto quem vult caruiſſe gaudio, quod ex viſione beata conſequitur, eo momento, quo maximè vrgebant paſſionis, & mortis dolores. Tria etiam obiicit Dominico à Soto: accuſat temeritatis, quod auſus ſit pœnis, quas animæ defunctorum luunt, certum tempus definire, nec patiatur extra decennium protendi. Secundo quod neget Epiſcopatum eſſe Ordinem & Sacramentum. Tertio, quod frequentiam chori ad diuina officia celebrãda non dubitarit aſſerere partem eſſentialem Religionis eſſe. His duobus adiungit Petrum à Soto, & illi vitio vertit, quod Emanuelis Sa, aliorumque Societatis Theologorum in anteceſſum docuerit de Sacramento Pœnitentiæ inter abſentes per Epiſtolam, aut internuncium, validè & ritè adminiſtrando ſententiam.

Has omnes Theophili accuſationes, quibus tres do-

ctissimos; & grauissimos Dominicanos petit, in vnum paragr. conieci; non solum quod coætanei, conterranei, eiusdem familiæ, & Prouinciæ Castellanæ, in Academia Salmanticensi professores Theologiæ primarij, summa & pari fuerint eruditione, sanctitate morum, & elegantia supra scholæ stylum; sed quod etiam, quæ ex illis obiicit Theophilus sint communia pluribus Theologis omnium ordinum; nihil illorum ad fidem pertineat, saltem si obseruemus, quo illi tempore scripserint.

Quod ad Matrimonium spectat, cui vim sacramenti negat Cano, si solis nutibus celebretur; præter quod habet hæc opinio aliquod ex Concilio Florentino fundamentum, eo decreto, quo generatim statuit, sacramenta omnia rebus & verbis constare, & nulla esse, si altera illarum partium desit; certè in eam sententiam inclinant Scotus, & Durandus, pluresque alios Canonistas, & Theologos refert Sanchez: his adde duo lumina & ornamenta Academiæ Duacensis Franciscum Siluium, & Guillelmum Estium, qui in 4. dist. 26. paragr. 2. late confirmat sententiam Cani, & ab omni censura vindicat.

Nec difficilior est tertia obiectio ex lib. 12. de locis c. 14. vbi cum proposuisset argumentum, quo probatur summum dolorem ex Passione Christi non potuisse stare cum gaudio beatifico ex visione consecuto, varias adhibet solutiones, & tandem concludit sibi non displicere, quod nonnulli dicunt, Christum eo momento cohibuisse gaudium, quod ex Deo clarè viso in voluntatem erat deriuandum; sicut etiam gloriam corporis toto decursu vitæ mortalis detinuit, quæ ex gloria animæ necessariò erat nascitura, nisi eius progressum inhibuisset: & hanc responsionem, *sibi eo*, dicit, *plausibiliorem, quo maiores nobis igniculos excitat tum pœnitentiæ, tum amoris, tum gratitudinis erga Dominum.* Hæc autem sententia sic à Cano ipso explicata non videtur absque aliquo fundamento prolata; nec verum est, quod contra subdit Raynaudus, *eodem iure fingi posse, Christum eo tempore caruisse visione beata*; nam cum visione beata non pugnat gaudium, quod à Christo Canus tollit, vt det locum summæ tristitiæ, quam fides docet tempore passionis fuisse passum.

Quem Theophilus miris exagitat conuitiis Canum, & vocat canem latrantem, Molossum efferatum, paulo honorificentius habet fide dignior, minusque ex irâ impotens è Patribus Societatis, Franciscus Garcia, in prolegomenis Euangelici Concionatoris, de Ecclesiæ Canariensis præsulibus *Verissime*, inquit, *possim affirmare vnum Melchiorem Canum suspiciendâ Monachalis togæ authoritate, acumine ingenij in differendo, constantiâ atque felicitate argumentorum, multiplici nexu vinctorum robore, in ipsâ doctorum instituti Dominicani Academiâ, potuisse integræ classis vicem præstare.*

Mordet etiam Dominicum Soto; sed non sunt admodum grauia aut difficilia, quæ obiicit de pœnis animarum Purgatorij ad decennium protractis, & de Episcopatu à numero Sacramentorum & Ordinum excluso, & de choro inter præcipuas religiosi instituti partes accensito: Nam quod ad tempus attinet decennio præfixum luendis purgatorij pœnis, aut maculis eluendis, res incerta est, nec opportuna nisi coniecturis: quibus fortè nimis indulsit Soto, vt antè monuerat ex ordine nostro Antonius Senensis.

Grauior est altera quæstio de Episcopatu; An sit ordo & Sacramentum distinctum omnino à Sacerdotio. Sed non est defensio Soti, & solutio difficilior. Non negat Episcopatum esse Ordinem & Sacramentum, sed contendit, à Presbyteratu non esse omnino distinctum, nisi quadam extensione, aut accessione characteris: quasi Episcopatus sit summus gradus Sacerdotij, cui præter facultatem conficiendi corpus Christi naturale, accedat potestas in Corpus Christi mysticum, & ius conferendi duo sacramenta, Ordinis, & Confirmationis; quorum vno milites Christi, altero eius ministros instituunt. Sententiæ Soti sic explicatæ non deest patrocinium ab authoritate, neque ab argumentis: Nam præter antiquos Theologos D. Thomam, Richardum, Albertum, Bonauenturam, Scotum, & alios innumeros, accedunt etiam recentiorum plures. Vnde Azorius 2. paragr. instit. lib. 3. relatâ censurâ Hugonis, quod nullus nisi cæcus & inordinatus dubitet Episcopatum esse Ordinem distinctum, cum singularem à Sacerdotio ordinationem requirat, subdit hæc verba. *Certè miror*

cur sic contra Theologos linguam laxauerit cæcus ergo ipsius iudicio erit S. Thomas, cæcus S. Bonauentura cæcus Scotus, Richardus, Albertus, qui sentiunt Episcopatum non esse Ordinem. His omnibus adde Reginaldum, Henriquez, Comitolum, triadem è Societate Theologorum doctissimorum alioſque plures, quos Diana latè refert parte 12. tract. de consecratione Episcoporum resolutione 10.

Nec minus argumentis, quam Theologorum suffragio munita est hæc sententia Mihi semper placuit illud ex Paludano subtilissimum. Si velis Episcopatum à Sacerdotio distingui genere, aut specie characteris, nec esse illius accessionem; vel pares sunt, vel superior Episcopalis character, vel minor est Sacerdotali. Pares esse repugnat ex illa lege, quod diuersæ rerum essentiæ, minus possint esse æqualis perfectionis, quam diuersi numeri pares, quorum tota ratio inæqualitate constat. Nec superior esse potest character Episcopalis Sacerdotali, cum potestas in corpus Christi naturale propria Sacerdotio, præstet potestati in corpus mysticum, quam Episcopatus addit. Inferiorem etiam dici minime conuenit; cum Episcopatus sit quasi apex Sacerdotij, & Episcopus supremum Sacerdotij gradum occupet. Ex his concludit Paludanus Episcopatum non esse diuersum charactere à Sacerdotio; sed illius accessionem aut extensionem conuenientissimè definiri

Vltimò tandem Dominicum Soto reprehendit, quod lib. 10. de Iustitia & Iure, q. 5. a. 3 vbi disputat ad finem, an professi religiosi nondum sacris initiati ad recitandum priuatim sacrum officium obligentur, quod in choro à communitate totâ publicè celebratur: videtur eo loci Soto censere, chorum esse de substantiâ religiosi instituti; nec eam dicendam religionem, quæ choro sit destituta. Non dubito quin Petrum pessimè habuerint hæc verba Soti: *Loquor de Religionibus antiquis: nam si alius Religionis modus, citra huiusmodi obligationem admittatur; certè vix nomen Religionis meretur, quippe quæ maximo splendore religionis careat* Hoc verbum addit quod videtur te suggillare: sed cum dicat chorum esse splendorem Religionis, non negat quin Religiosi sint qui illo carent, quandoquidem ad splen-

dorem, non ad substantiam pertinere censet; maximè si frequentiam Chori, vt tui faciunt, aliis & pietatis, & charitatis in proximos exercitiis compensent; in quo vbique sumn è laudanda societas quæ instruendæ iuuentuti, aliisque piisoperibus diligentissimè incumbit.

Hac in re post ordinationes Pontificias, hanc vtrinque æquitatem seruandam censeo, quam de esu ciborum licitorum statuit Apostolus: qui frequentant Chorum Religiosi, non inde superbiant, & boni etiam consulant, si qui grauibus, & necessariis occupati non frequentent; neque etiam isti contemnant eos, qui Choro die ac nocte inseruiunt; sed potius venerentur, nec sint in eodem sensu cum Valentia, qui ausus est scribere Chorum institutum, quasi in exercitium, & solatium eorum qui ad litteras, vel ad aliquid vtilius erant inepti: quod ita ægrè tulit vnus è Patribus nostris, vt quamvis religiosissimus, & modestissimus ad marginem hanc censuram apposuerit, loquitur insipienter.

Non parcit Petrus suo cognomini Petro à Soto Theologo doctissimo, & iuxta illustrissimo, qui præter eruditionem, & singularem pietatem, à Confessionibus fuit Carolo V. oblatum ab illo Archiepiscopatum Toletanum recusauerit, & Pontificis nomine interfuerit Concilio Tridentino, cui immortuus est glorioſissimè. At que eius famam immortalem auxit, quod à Philippo II. & Reginâ Mariâ delectus Theologiæ Professor cum Ludouico à Soto Maiori, depulso Bucero, & Petro Martyre Academiam Cantabricensem in Angliâ celeberrimam, Doctrinæ Catholicæ ad tempus vindicarit: Brentium magni nominis Lutheranum Scriptis agressus sit; atque huic certamini immortuo, non putauit infra suam eruditionem, & dignitatem Cardinalis Osius succedere, eiusque partes, ac defensionem susciperе. Si hæc omnia te, Petre, non poterant cohibere à suggillando viro celeberrimo; debebas ad minus attendere intimam ipsi, & sanctè seruatam cum PP. Societatis arctissimam amicitiam; & vt meminime legisse apud Orlandinum aliquando à Societatis collegiis exceptus est cum magno scholarum applausu, cum Epigrammatibus, & litterariæ pompæ apparatu.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [471] - 411
PUBLIC DOMAIN

Sed quid tandem illi obiicis, quod tantam possit gloriam obscurare? Quod censuerit Sacramentum Pœnitentiæ vrgente necessitate consummari posse per litteras; *Quæ sententia*, inquis, *fuit olim inter Dominicanos valde recepta*. Fateor, illos excusant, aut in bonum sensum trahunt Aluarez, & alij; sed esto errauerint, citra contumaciam tamen, aut periculum hæreticis factum, quia scripserunt, & defuncti sunt multis annis ante Decretum Clementis VIII. hâc de re editum, quo prohibet, & damnat verbis expressis hanc opinionem, vt ad minus falsam, temerariam, & scandalosam: & præcipuè ne deinceps publicè, priuatisque lectionibus, & concionibus quasi vnquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, & ad praxim reducatur. Idem Catechismus Romanus docuerat, hoc sacramentum neque per nuncium, neque per litteras administrari posse. Theologi nostri omnes huic decreto semper paruerunt. Sed visus est Franciscus Suarez ab eius reuerentia recessisse cum 3. p. disp. 21. sect. 4. scripsit, post eius decreti euulgationem, corporalem præsentiam Pœnitentis, & confitentis cum Sacerdote absoluente non esse essentialem Pœnitentiæ Sacramento, & Decretum Clementis sensu copulatiuo intelligendum esse.

Verum à Sanctissimo Pontifice hac censura notatus est, vt refert Isambertus de pœnit. disp. 18 a. 7. *Die 18. Augusti anni 1605. Sanctissimus decreuit ex tomo 4. P. Suarez Iesuitæ in 3. p. D. Thomæ dist. 21. de Confessione sac. cui titulus est: vtrum de necessitate Confessionis sit, vt pœnitens Sacerdoti absenti immediatè, & per seipsum reuelet peccata sua, totam esse amouendam, nec aliam esse subrogandam.* Hæc de Confessione absenti facta, vel absolutione impertita absenti. Nec memor recentis historiæ debebas, Petre, nobis obiicere antiquatas nostrorum opiniones. Sed de hac controuersia fusiùs alio loco.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [472] - 412
PUBLIC DOMAIN

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Defensio Bannezij, Pontij Legionensis, & Carmelitarum discalceatorum.

HORVM trium iungimus apologiam, quia vt ex nostris responsionibus constabit, præter causam communem defensionis Angelicæ doctrinæ, maxima inter illos cognatio est ab officiis, aut à mutua charitate, ad eos omnes pati iniquissimam censuram. Iamdiù Banneſio, Theophile, bellum indixeras scripto in ipsum infami libello, nunc pugnam instauras, & illi sex errores impingis.

Accusas imprimis, quod negauerit reuiuiscentiam meritorum. *Valde commodè*, inquis, *ad iniiciendam lapsis desperationem*, quasi ad illam euitandam non satis sit spes veniæ præteritorum criminum, etsi merita mortificata non redirent. Secundò obiicis illum, meritum essentiale soli charitati asserere. Tertiò *ea de correctione fraterna, post sedis Apostolicæ constitutionem scripsisse, quæ spongia indigeant.* Quartò calumniatorem, aut aggressorem posse præueniri, & occidi ab illo, qui inde sibi timet: atque sic vociferationibus cœlum imples; quod cum Amicus idem quod Bannez dixisset de iure occupandi aggressorem, atque in eadem esset causâ, iniquissimè vrgente P. Ioanne Baptista Marino damnatus est, Banneſio absoluto. Quintò asseris ab illo positam libertatem in indifferentia iudicij; & prædefinitiones æternas, & ineluctabiles, tanquam fide certas statuere. Ex his duabus vltimis propositionibus litem mouisti in ipsum scripto libro, cui titulus est Religio Bestiarum, & quia contendis illum, & sensu, & verbis Caluino accinere, ac proinde eiusdem hæresis cum illo reum damnandum, illi pro summis in Ordinem meritis vindicias debeo, & iam persolui alio libro.

Non negat in totum reuiuiscentiam meritorum Bannes, sed asserit ad minus redire ad gaudium, & ad præmium accidentale, vel ad idem præmium nouis titulis debitum, & comparatum. Thomistis hæc reuiuiscentia

non satisfacit. Ideo tertium modum addunt, quem supra insinuauimus propositione de augmento habitus Charitatis.

Secunda propositio, quæ vim merendi præmium essentiale soli Charitati, & eius imperio vindicat, multo propabilior est oppositâ Vasquez, qui vult actibus etiam naturalibus hominis iusti inesse meritum vitæ æternæ, non alio influxu Charitatis, quam merâ concomitantiâ. Multò conformiùs ad Patres, & ad Scripturam Bannes censet, hanc rationem merendi Charitati eximiam, & ab eius imperio deriuari & aduenire aliis actibus studiosis, seu moralibus, seu supernaturalibus. Sed longe probabilior est tertia sententia inter duas extremas media, quæ meritum præmij essentialis, statuit inesse actibus virtutum infusarum: dummodo virtualiter à Charitate pendeant, & eius imperio ad Deum, & ad vltimum finem dirigantur. Obscuris, & ambiguis verbis tertium errorem, spongia diluendum obiicis.

Puto te conscientiâ remorderi, & reum te reputare illius pœnæ, quam minaris. Non potuit incurrere Bannes in Constitutionem Gregorij XIII. qua vestræ Societatis institutum probauit, & maximè in partem illam de correctione fraterna prætermissâ, antequam prælatus adeatur. Vestræ leges statuunt posse & debere prius Prælatum admoneri, quàm peccator corrigatur: contro uersum est à multis num id liceret; & graues occurrebant rationes dubitandi. Sed hæc constitutio probata à Sanctissimo Pontifice non potest imposterùm calumniæ patere; id vnum quærendum est, qua ratione defendi possit; atque illud duplici viâ Docti aggressi sunt, quarum vna probatur Theologis nostris; altera, quam innuit Suarez, displicet Bannesio; quia apertè vergit in censuram Euangelici præcepti: Nihil periculi est si dixeris cum Caietano, quemlibet suæ famæ dominum, posse illius ius à se abdicare, ad minus, maioris boni communis causâ, qualis est humilitas, patientia, instituti incolumitas perpetua, quæ possint compensare iacturam famæ apud Prælatum, ac proinde ea semel abdicata, reus non habet causam ex postulandi, si se non monito conscius suæ culpæ eam Prælato reuelet, vt curet illius emendationem; & hinc commune

quod inde impendere potest periculum, auertat.

At Suarez visum est hoc statutum defendendum esse ex ipsa immutatione ordinis, qua melius & bono ipsius Rei priuato, & communi consulatur, quam si ordo correctionis præscriptus seruaretur, quasi efficaciùs mederi possit Prælatus malo Rei; quam eius socius. Sed Bannesius iamdiu Suarem monuerat, hoc dici non posse citra censuram ordinis à Christo constituti, quasi humanæ Societati aut pernicioſi, aut minus salutaris, qui proinde nec vi præcepti nec vi consilij obligaret. Quod verò Suarez reponit Bannesio futuram efficaciorem Prælati emendationem, id omnino falsum est, si prætermittatur Ordo Euangelij; inuito reo, & iure non abdicato famæ apud Prælatum, intuitu maioris boni, nam nisi vel monitio rei, vel abdicatio dominij propriæ famæ antecedat, habet iustissimam expostulandi causam, ius naturale videlicet, in se læsum, atque hac iniuriâ exacerbato animo nouissima fient peiora prioribus, & morbus omnino immedicabils euadet.

Hæc Bannesij, de correctione fraternâ doctrina tuta est, nec vt vult Raynaudus, spongia indiget. At certum est quid grauius spongia, mereri dictum ab Alphonso Salmerone, qui tom. 4. de vitâ Christi tract. 11 part. 3. p 473. hoc assertum scribit *Postremò quod illud præceptum* (correctionis) *nedum sit inutile, sed etiam perniciosum ex multis possumus demonstrare &c* Correctionem fraternam non semper esse impendendam, sed attendendas esse personas, circumstantias, certum est; at pleno ore & absolutè dicere, præceptum correctionis nedum esse inutile, sed etiam pernicioſum est, quis ferat aut excuset?

Aliâ obiectione de Magistro Ordinis conquereris quasi iudicij iniqui, quod acceptionis personæ vocant, conuicto quod inquis Amicum in eadem cum Banne, causa positum, hoc absoluto, & intacto, damnarit. Falsum est vtriusque vnam fuisse sententiam; quia multo cautiùs de iure præueniendi calumniatorem locutus est Bannes; quare intempestiuè deprompsisti in hanc rem epigramma canis in crucem acti, quod allarrasset vni Caluinistæ, postquam impunè Sacerdotem momorderat. In hoc saltem malè Catholici personam sustinet

Amicus, & hæretici Bannes. Nisi velis Catholicum dogma esse, licere adulteræ, iniuriæ iniuriam addere, & virum occidere, si suspicetur illatum sibi dedecus, morte ipsius vindicaturum.

Tota hæc accusatio tribus nititur apertissimis mendaciis. Primò vis eamdem de iure occupandi aggressorem esse Amici, & Banesij Sententiam. Secundò Romæ tantum damnatum Amicum. Tertiò hanc doctrinam à Bannesio hausisse. Sed vt ab hoc vltimo falso Banesij vindicias aggrediar, ipsemet Amicus Tomo 5. de Iustitia & Iure disput. 36. sect. 7. num. 118. te conuincit, dum ita scribit suâ sententiâ explicatâ. *Verum quia hæc apud alios scripta non legi, nolo ita esse dicta, vt communi sententiæ aduersentur.* Vides Theophile Amicum agnoscere se nouæ, & singularis opinionis authorem, nec vllâ ratione velle illius gloriam, aut inuidiam cum Banne, aut quocumque alio partiri. Deinde videris dissimulare hanc Amici opinionem de occupando aduersario, à quo quis sibi damnum timet, aut suspicatur inferrendum, prius in Belgio à Louanienſibus, quam Romæ à sacrâ Congregatione fuisse damnatum, ne vt soles vociferari, omnes in tuos censuras proficiscì à Secretario Indicis, & à maleuolentiâ Dominicanorum.

Sed quod caput est totius controuersiæ, falsissimum est Bannem, & Amicum conuenire de iure aduersarium occupandi. Bannes enim statuit nullum prorsus dari locum ex sola suspicione quamlibet vehementi, sibi ab aduersario mortem, aut grauem noxam impendere; nisi certus sit iam ad hoc parata præsidia, vt venenum aut gladium, ad necem; vt accessum ad iudicem causâ falsi criminis imponendi: alias qui præuenit inuasorem, reum statuit esse homicidij, aut cuiuscumque damni iniustè illati. Amicus autem huiusmodi cautelas amouet, & viam latissimam aperit suspicionibus & calumniis. Adde, ex Banne, *potest* tantùm, aggressor occupari; ex Amico *debet*. Quis ergo consensus esse potest, cum adeò immanè distent? vt Bannem inter & Amicum illud chaos dicas intercedere, quod diuitem epulonem à sinu Abrahæ semouebat.

Accusationes Banesij claudis sextâ & vltimâ omnium

nium apud te grauissimâ, quod ausus sit reclamare Molinæ, & vbi eius opus prodiit contra prædefinitiones, quas plusquam æneas voluntatis creatæ deuinctiones vocas; refers à Banne pro pestilente habitum, & primum ad macellum delatum, sed non alio delationis fructu, quam quod ne apex quidem Molinæ violatus est. Addis secundo quotquot ad vexillum prædeterminationis conuolarunt, id fecisse duplici de causa; primo, vt Iesuitis stomachum facerent; deinde, quia cum non aliud possent perfugium habere rebus suis, ad Asylum prædeterminationum se receperunt, quasi ad remedium & præsidium miserorum. Tuas coniecturas duplici exemplo probas: Primò Pontij Legionensis, qui cum causâ cecidisset, & Facundez reuocationem decreti in librum suum ab Inquisitione Hispanica, agente Pontio, lati obtinuisset, iniuit fœdus cum prædeterminantibus Cyriacis, illudque typis euulgauit. Addis secundum Exemplum Carmelitarum Discalceatorum, quos Elianos, & Eliseanos vocas, & ais deiectos opinatione sua, quod essent primi Religiosorum &c. damnata ab Inquisitione Hispanica, Historia Prophetica, & illius damnatione Romæ confirmata, receperunt se ad Asylum prædeterminationis, odio Ioannis de Pineda Iesuitæ, qui prius Historiam Propheticam damnauerat, vt Censor particularis, à S. officio Hispanico electus.

Quod ad Libri Molinæ examen pertinet, supersedeo, sicut de disputatione Valentiæ, & de tota Congregationum de Auxiliis historia, in reuerentiam decreti illius, quod hac de re silentium vult seruari. Quoad reliqua, quæ narras de fœdere Pontij, & Carmelitarum cum Dominicanis, sunt eius generis, cuius iam monui lectorem, te vbique opiniones ita à veri specie alienas, ita absurdas solitum proferre, vt videantur esse insomnia dormientis potius, quam vigilantis iudicia hominis: & si quæ hactenus suppeditasti, censuram hanc dubiam relinquerent, ista duo quæ affers, exempla, omni demonstratione mathematica euidentius certissimam faciunt.

Fateor D. Thomæ doctrinæ maximum splendorem contulisse, & conciliasse authoritatem, statutum illud, & quasi votum de S. Doctore vbique sequendo quod Or-

do Carmelitarum inter Constitutiones, & suæ Religionis fundamenta posuit, & sanctè obseruat. Auxit etiam plurimum dignitatem Doctrinæ Angelicæ, Pontij Leonis, & Alphonsi Curielis Palinodia, seu eiurata scientia Media, quam iuniores secuti fuerant. Non credo ex Hispania sanctitatis & doctrinæ feraciſſima extitisse hoc nostro & superiori sæculo, quidquam ad Religionis Christianæ gloriam, & maiestatem illustrius, illa Deo dilecta Virgine Theresia, & ordine virorum, ac Virginum ab illa instaurato. Non dubito etiam, quin illi duo Theologi à me nominati, Pontius, & Curiel fulgentissima Academiæ Salmanticensis sydera, sint, aut maiores, aut pares cuilibet Theologo nostri sæculi; neque dici, vel concipi potest, qua doloris acerbitate videas hos duos viros præstantissimos, totumque & vniuersum ordinem Carmelitarum, quo nullum sanctitate & eruditione seu vtrâque Theologiâ mysticâ, & Scholasticâ, superiorem Ecclesia habet, ad nostras partes accessisse, & illas acerrimè defendere.

Nec minus ægrè fers, illa duo Theologiæ, & Hispaniæ lumina, quos primò iuuentutis ardor abripuerat, vbi præ ætate, & maturitate desierunt affectus humani perstrepere, abdicatâ scientiâ mediâ, palinodiam cecinisse, & se D. Thomæ discipulos professos esse. Quid ad hæc Petrus? Hoc virorum sapientissimorum consilium temeritati, desperationi, desiderio vindictæ, odio veritatis ascribit nullâ probatione, nullâ verisimilitudine, contra publicam fidem.

Notatur Guicciardinus ab vno scriptore nobilissimo (quem Gallum Senecam, aut Plutarchum voces, quia vtrumque imitatus est. ac pœnè æquauit) quod omnes ferè actiones, quas refert Pontificum, Regum, aliorumque illustrium virorum, licet rectas, bonas, siniſtrè intepretatus sit, aut vitiosè factas maximè Ludouici XII. & Cardinalis Ambasij, quorum primum auaritiæ vbique accusat, cum pro summâ liberalitate, & humanitate Pater populi sit vocatus, à quo bellis oppressus, nunquam sibi permisit pro annuis vectigalibus exigere vltra quatuor milliones librarum; quæ vix est modica pars tributorum, quæ hodie colliguntur: Alterum de Pontificatus ambitu semper sugillet, cum modestissimè

in ſummâ potentiâ, & gratiâ vixerit vno Sacerdotio contentus.

Sed Guicciardinus præ noſtro Petro benigniſſimus cenſor eſt; nam Petrus ſtatuta Ordinis ſanctiſſimi aſcribit iræ, vindictæ, aliiſque peſſimis affectibus, quibus ipſe torquetur. Non dicam Carmelitas Diſcalceatos in verba D. Thomæ iuraſſe antequam fortè natus eſſet Ioannes de Pineda, certè ante eius de Hiſtoria Prophetica iudicium; ac proinde abſurdiſſimè dicis factum decretum odio Pinedæ, & vt ſtomachus fieret Ieſuitis, quaſi illorum ſtomachus, aut guſtus regula ſit, ad quam oporteat omnem delectum facere. Prohibitio Annalium Carmelitarum, quibus artibus procurata ſit in Hiſpania, ſcimus. At qua fide dicis, eorumdem Annalium prohibitionem à Romana Inquiſitione fuiſſe confirmatam, cum nullibi, & in nullo Romanæ Inquiſitionis Decreto hoc legatur? Scilicet velles omnes libros eſſe prohibitos aut prohibendos, vt dolorem ex tuorum librorum prohibitione conceptum leuares.

Non addam, Palinodiæ Pontio cauſam æque ineptè attribui, quod Facundez non oppreſſiſſet Scriptorem Societatis, quaſi tantæ eſſet ferociæ, & truculentiæ, vt perinde durum illi eſſet quemquam ex ſuis manibus ſaluum euadere, atque ipſum & alienis manibus confodi & perire. Hoc ſolum notabo, Petrum reliquos ſeipſo metiri, ex ſuis affectibus de alienis iudicare. Et cum ipſe nihil intolerabilius ſentiat, quam ſuos libros non probari; vel quos accuſat, à pœnis, quas illis imprecatur, liberari; ſenſu hinc ex ſuo corruptiſſimo cenſet, Pontium Legionenſem in deſperationem actum, quod Facundez eius accuſationem euaſiſſet; Carmelitas vero, quod Pineda illorum Annales improbaſſet. Quid potuit vnquam excogitari ineptius, & magis ad ſenſum Petri conſentaneum, aut à veritate alienum?

Eſſet hic locus opportuniſſimus, ſi per Apologiæ breuitatem liceret, meo totiuſque Ordinis nomine teſtandi gratiſſimum animum in Reuerendos Patres Carmelitas Excalceatos, de nobis optimè meritos, nec minus noſtri quam ſui ſollicitos. Sed præter quod dum Romæ eſſem, cum in credibili gaudio vidi apud eorum Annales Hiſpanâ linguâ ſcriptos & iam Italo, & Gallico idio-

mate editos, extare vnam è noſtris epiſtolis, tamquam æternum meæ in illos obſeruantiæ monumentum; puto nec breuius, nec fortè pleniùs nos huic officio poſſe ſatisfacere, nec quam noſtri causâ à Petro patiuntur calumniam validius depellere, quam ſi de Carmelitarum antiqua origine apud Paleſtinos, & de illorum propagatione, aut inſtauratione per totam Europam opera ſancti Ludouici ſenſum meum ſignificauero.

Si quod vnquam contigit ſcandalum illius generis, quo Propheta Regius ait ſe aliquando tentatum, quodque ex bonorum aduerſis, aut improborum ſecundis rebus naſci ſolet; nullum orbis paſſus eſt potentius ad deiiciendos puſillorum animos, & impiorum opiniones confirmandas, eo quod accidit ex bello Sacro à D. Ludouico ſuſcepto: nullum vnquam ſanctiùs geſtum fuit, nec habuit exitum infœliciorem; vt videretur Deus ſuammet cauſam deſſeruiſſe. Scio ad has impiorum voces blaſphemas multa poſſe reſponderi, non ſolum ex Scriptura & PP. ſed etiam ex Philoſophis, maxime ex Seneca lib. de prouidentia. Vnum ſingulare habeo, quod his quæ dicuntur de piorum calamitatibus, addam, D. Ludouicum amiſsâ libertate, deleto peſte & hoſtium armis exercitu, magno pretio redemptum, & in Galliam reducem adiunctis nauigationis ſuæ, ſociis Palæſtinæ Anachoretis, longè illuſtriorem reputo, quam ſi toto Oriente ſubacto victor rediiſſet; non ſolum propter inuictam, & comprobatam tot aduerſis conſtantiam; ſed ab ipſomet rei fructu, & expeditionis regiæ in Palæſtinam, euentu. Quid inde ad nos ſecum deportauit?

Non Palæſtinæ palmas, non Orientis pretioſos vniones, non gazam Regum, ſed horum omnium loco ſecum deduxit antiquos illos Carmeli incolas, veram & perennem Eliæ, & Eliſei progeniem, quidquid reclamet Petrus. Demus D. Ludouicum parem ex bello ſacro gloriam cum Gotofredo eſſe conſecutum, deuictos ab illo ingentes hoſtium exercitus, expugnatas arces munitiſſimas, captam Hieroſolymam, & Imperij octoginta annis duraturi ſedem eſſe conſtitutam. Quid iſta ad Eccleſiæ fœlicitatem, præ illis bonis quæ ex deportato in Europam Carmelitarum inſtituto iam nobis obuenerunt, & plura ſperamus? Certè iniquus aut cæcus is

esset rerum æstimator, apud quem præponderaret fœlicitas & gloria è Gotofredi victoriis consecuta, ingentibus, & immortalibus beneficiis, quibus nos cumulauit, humilis in speciem ex Palæstinæ captiuitate reditus sancti Ludouici, adductis è Carmelo Anachoretis, vt testatur Petrus Mathæus in vitâ S. Ludouici, ex quibus vt cætera bona taceam vna prodiuit Theresia *Doctrix disciplinæ Dei, & electrix operum illius*, quam ex toto orbe deuicto triumphis omnibus anteponam.

PARAGRAPHVS VLTIMVS.

Defensio sex Dominicanorum, quos Theophilus extrema parte Diatribæ diuersorum errorum accusat.

HACTENVS quatuordecim Thomistas, & Dominicanos propugnauimus, quos Theophilus lacessiuit. Istis, sex alios adiungit crudelius habitos, quos omnes quasi deuictos ad sui Triumphi pompam, aut damnatos ad supplicium trahit, Ioannem Vincentium, Nicolaum Riccardium, Grauinam, Sixtum Senensem, Ionnem Mariam Brasikellensem; Proscriptorum agmen claudit gradu maior, sed grauiori iudicio, & supplicio puniendus Magister Generalis Ordinis Marinus.

Istorum omnium, & superiorum culpa communis est duplex, professio instituti Dominicani, & studium Doctrinæ D. Thomæ, quæ apud Petrum sunt peccata capitalia. Si velis singulorum crimina nosse, vocentur ad examen. Ioannis Vincentij grande piaculum est natura gratiæ sanctificantis è Scripturæ, & Sanctorum Patrum quo delitescebat puteo, D. Thoma prælucente, eruta, & in apertam lucem deducta. Non dissimile est Riccardi scelus. Illi imputatur ad sacrilegium merita Beatissimæ Virginis supra omnium Angelorum, & hominum gratiam oratoria libertate promouisse, quò boni consulit à Suare iuxta Theologicum rigorem prouectam fuisse. Quid vero peccauit Grauina? Nempe quod antiquos Ordines gemitu Columbæ à Bellarmino parum decorè habitos, voce Turturis, aduersum fastum nonnullorum vindicari.

Sixti Senensis peccatum, cui eluendo non satis sit eius Bibliothecam flammis absumi, est humanitatis & commiserationis sensus in Origenem, quem suspicatur ab Hæreticis interpolatum. Sed omnium scelestissimi duo postremi, Ioannes Maria, & Ioannes Baptista Marinus; quod ille adhibitus loco Maluendæ, Bibliothecæ Patrum recensendæ, alicubi monuerit Lectorem, caueret à nonnullis locis: & hæc verba *cautè legendum* iuxta Theophilum sunt additamenta Leuiathan, id est artes diabolicæ: quasi decem ex & pluribus tomis Patrum aliqua suspecta habuisse, & cautè legenda notasse, sacrilegiũ sit Dominicano, vbi P. Labbe è Societate multa periculosa & erronea subesse Lectorem monuit. Sed grauissimum omnium scelerum est Ioannis Mariæ, improbasse ex Emanuelis Sa aphorismis, quinquaginta circiter propositiones: & cumulus omnium sacrilegiorum, sunt Theophili libelli duo à Congregatione Iudicis Patre Marino Secretarium agente damnati. En, Christiane Lector, damnatorum à Theophilo sex Dominicanorum crimina, quæ paucis, eodem quo proposita sunt ordine depellam.

Ioanni Vincentio post Suarez, & Curielem improperas, tanquam dogma omnino improbabile, quod, vt inquis, inebriatus amore gratiæ sanctificantis, dixerit, esse qualitatem creatam, quæ Physicè participet essentiam diuinam, vt est plenitudo essendi, vt est ens per essentiam &c. Vnde nihil mirum nos facere consortes diuinæ naturæ, *vt Filij Dei vere nominemur, & simus.* Hac notione gratiæ (quam tu per summam imperitiam vocas hyperbolem male formatam à Thomistis) nihil solidius, aut diuinius. Atque ipsimet Suarez, & Curiel, vbi pluribus verborum æquiuocationibus, quam argumentis Vincentium impugnarunt, in illius sententiam relabuntur, & licet verbis diuersa, idem reipsa statuunt. Hanc hallucinationem, si patiaris te curari, vna distinctione solidissima (quam totius Theologiæ medullam dixeris) eripiam.

Tribus perfectionis generibus constat, quidquid Dei essentiam constituit, & ad eius attributa pertinet. Primum genus, perfectiones continet, quas voco communes Deo, & creaturis. Secundum proprias & incom-

municabiles habet. Tertij generis, propriæ quidem, nec minus naturales sunt soli Deo, quam proximè superiores; sed hoc differunt, quod possint communicari creaturæ, beneficio gratuito, & indebito. Primi generis perfectionum participatione constat ordo naturæ creatæ, in hoc positus, quod sicut Deus suo modo subsistit, viuit & intelligit, ita cuilibet creaturæ secundum suæ naturæ conditionem competat subsistere, viuere, & intelligere.

Diuinitas constat secundi & tertij generis perfectionibus: illi enim ita competit naturaliter se videre, ac se comprehendere, non minus debitum est terminare diuinitatem subsistentia verbi, quam cum illa ab æterno necessario identificari: paris necessitatis est esse omnipotentem, & facere miracula, esse visione sui beatum, & impeccabilem, ac esse ens necessarium, & harum omnium perfectionum radix est diuinitas, vt est ens per essentiam, infinitum &c. Hoc discriminis tantum est has inter perfectiones soli Deo naturales, quod quibusdam communicari omnino, quibusdam vero minimè repugnet. Potest Deus se præbere videndum naturæ creatæ; non comprehendendum; cum tamen vtrumque sit illi æque naturale & proprium. Potest terminare naturam creatam subsistentia increata verbi, & vnire vtrumque; non tamen vnum, & idem facere.

Dum Ioannem Vincentium vanæ & luxuriantis hyperboles accusat Theophilus, quod gratiam vocet Diuinæ consortium, seu Societatem naturæ; atque hanc gratiæ œconomiam traducit, quasi ebrietatem animi, seu infatuatum excessum, non aduertit hæc vituperia in Apostolum recidere qui Ephesiorum primo his verbis omnes Ioannis Vincentij hyperboles vincit in laudem gloriæ, gratiæ suæ, in qua gratificauit nos, in dilecto filio suo.

His prænotatis, doctrina Thomistica, à Vincentio tradita, malè à Suarez, & à te intellecta, gratiam sanctificantem statuit verissimè esse participationem diuinæ naturæ, vt est plenitudo essendi, & vt est radix visionis beatæ, impeccabilitatis, & aliarum perfectionum supernaturalium, quæ sunt propriæ, & naturales soli Deo, quatenus est ens per essentiam, &c. Probo hanc conse-

quentiam : eodem modo participat gratia diuinam naturam , quo exigit proprietates debitas , & naturales soli enti per essentiam; atqui exigit actiones , & proprietates debitas soli Deo, qua Deus est. Hinc fit gratiam esse consortium diuinitatis Physicum , & non solum morale , vt vult Ripalda , & hoc fundamentum substernit duobus ingentibus tomis de Ente supernaturali , quo dico ens supernaturale funditus substuliſſe , dum molitur astruere. Sed de hoc fortè aliâs.

Hic te conuenio Theophile , an ista quæ de gratia ex diuinarum perfectionum consortio asseruimus , percepisti ? An tuæ mentis aciem effugiunt ? Quiduis horum dixeris,non potes te à iusta reprehensione eximere. Certè si capias , & subinde damnes ; illo genere peccati præuaricaris , quod in Spiritum sanctum incurritur , ex veritatis notæ odio , & impugnatione. Si hæc captum tuum superent , cur blasphemas quæ ignoras ? Cæterum id certissimè assero , quamuis Schola D. Thomæ , nullum aliud operæ pretium tulisset , præter explicatum tripartitum perfectionum diuinarum genus ; & ex primi nempe communium perfectionum communicatione naturæ ordinis institutionem , ex secundi , nempè ex perfectionum naturalium consortio , gratiæ & entis supernaturalis notionem haberi docuisset,gloriari posset , se ad Philosophiam Christianam non pœnitendum adiumentum , & maximam lucem contulisse. Quid si huic veritati à D. Thoma , & nostris Thomistis propalatæ propemodum infinitas, paris momenti & euidentiæ intra Theologiæ cancellos illustratas addideris ?

Infensissimus es Patri Nicolao Riccardio , & multa damnas , quæ in litaniis Beatæ Virginis apposuit , idem esse *Christe audi nos* , ac *Maria audi nos*. Non meministi illius , quod scripsit Aristoteles , morosi , importuni , & absurdi hominis esse eandem vbique euidentiam argumentorum quærere ; ita non minus iniustum est vt nunquam sinas concionatorem à rigore Theologico recedere , nec figuris indulgere : tum certè nimis sicco dicendi genere ageres , & dialecticam Rhetoricæ , & Eloquentiæ loco sufficeres. Addo etiam , si nos ad seueriores regulas velis cogere , non deesse ex Scriptura patrocinium. An non licet Deiparæ singulari priuilegio

ascribere, quod communi lege toti Ecclesiæ & Fidelium singulis, & secundum Ticonij regulam concedit Augustinus, vt quæ Christo competunt veluti propria, transferas in nos, sicut Christus ipse nostra mala sibi ipsi imputabat, dum clamabat, Saule, Saule quid me persequeris? Sacrilegij ergo genus erit Patri monstro Deiparam loco Dei, & Filij reponere; quasi remotior sit à Christo mater, quam ministri & discipuli. Quod de calculo meritorum Virginis arguis; præterquam quod concionatorem agit, non Theologum, non longe absunt ab illa supputatione, quam Suarez adhibet, vt Deiparæ merita metiatur, & illa superiora faciat meritis Angelorum & hominum in vnum cumulum collectis.

Pater Riccardius, quem ipse appellatum dicis ab ingenij præstantiâ Monstrum, multa inter concionandum subtilia, & in speciem difficilia pronunciabat, quæ bono, & Catholico sensu interpretabatur. Hinc applausum, & admirationem excitabat auditorum. Tu ab ipso encomiasticè, & oratoriè dicta vis exigi ad rigorem Theologiæ: quale est illud, quod refers, *Personam Deiparæ esse quasi Diuinam, & dimidiâ sui parte increatam.* Lepidè id de Riccardio, dum viuebat, nonnulli dicebant, si quis ea, quæ ipse pronunciabat, vsurparet, fore hæreticum; quia facile erat eius verba repetere, sed pauci sensum capiebant. Neque enim omnibus dabatur adire Corinthum, & assequi cogitationes viri profundissimi. Hæc de Riccardio breuius, quàm hominis nunquam satis laudati merita postularent.

Grauinam hîc duobus atrocissimis peccatis toto genere pugnantibus grauat Theophilus, nempe *maledicentiâ in Bellarminum, & putentissimâ* (vt alibi loquitur) *adulatione* in Congregationes Romanas, quarum omnium ne exceptâ quidem Abundantiæ Congregatione, quæ, ni fallor, annonæ curam habet, decretis parem cum Pontificiis ex Cathedra firmitatem astruat, & velit exhiberi reuerentiam. Sed dum hæc duo Grauinæ obiicis Theophile, tanquam aperta crimina, non occurrit sanè, quo tuum genere reponam, aut quo appellem nomine; quia omnem fidem, omnem superat stuporem: leuius est præ rei atrocitate mendacij nomen. Nescio quam ingenitam habeas à veritate dissensionem,

vt cum mendaciſſimi quique eam ſuis dictis admiſceant, quo fidem ſibi aſtruant; tu prorſus à te ablegaſti. Non dubito quin ita audacter falſa cumules falſis, quòd crederes nos mutos ſemper fore: & perinde cum iſto libello contra nos ſcripto, actum iri, ſicut cum primo, quem inſcripſiſti, *Religio Beſtiarum*, ad quem poſt trigeſimum à primâ editione annum reſponſio deſiderabatur.

Sed vt ad rem noſtram redeamus; obſeruet prudens Lector fraudes Theophili. Grauina eò loci, quo accuſatur Romanis auribus per putentiſſimam adulationem blandiri, diſputat de authoritate Cleri Romani, vnde quindecim congregationes ad rerum ſacrarum examen, & iudicium à Summis Pontificibus inſtitutæ ſunt Et affirmat non tanquam de fide certum, ſed rationi, & prudentiæ regulis conſentaneum, nunquam euenturum, omnes è Collegio Cardinalium, aut è Clero Romano, ne vno quidem excepto in apertam hæreſim communi quadam conſpiratione pedibus manibuſque ituros Hæc eſt mens Grauinæ totâ illâ controuerſiâ, vt fuſiùs alibi de Epiſtolari confeſſione demonſtratum eſt. Quid ad iſta Theophilus? Tres Grauinæ craſſos errores imponit, qui nunquam vlli in mentem venere. Grauina omnibus collectim, è Clero Romano compoſitis, non ſingulis congregationibus, iis quæ ſacra, non fæcularia agitant, immunitatem ab erroribus aſſerit, non ex fide indubitatam, ſed ex prudentiæ regulis certam. Iudicet æquus Lector, quâ fide Theophilus ſcripſerit, omnibus omninò congregationibus, nequidem Abundantiæ exceptâ, infallibilitatem perinde aſſertam, ac Pontifici ex Cathedrâ pronuncianti

Nec ſinceriùs agit cum ex Grauina refert, *Robertum Bellarminum intolerabiliter erraſſe, cum ſcripſit, aliquas Religiones relaxatæ diſciplinæ, eſſe vnum fontem lachrimarum.* Res ita ſe habet: Bellarminus ſuo libro aſcetico de gemitu columbæ viſus eſt nonnullis, Ordines omnes Religioſorum deieciſſe, & Societatem extuliſſe, pluſquam viri ſancti & prudentis, morum ingenita grauitas, & moleſtia, & ipſamet rei Chriſtianæ ratio pateretur: Nam cum Religiones omnes, nullâ quidem exceptâ, multum quidem de antiquâ diſciplinâ remiſſ-

se, & laxiori vitâ copiosam lachrimarum materiam piis omnibus ceu columbis præbere scripsisset, intempestiuè Societatis laudes adiunxit, quasi ad illam pertineret vox sponsi ad se compellantis. *Veni columba mea:* cui cum præinnocentiâ non suppeteret de proprijs malis causa gemendi, ingemisceret alienis.

Sic enim scripsit Bellarminus. *Quia ipsa Societas, vt membrum viuum, & verum gementis Ecclesiæ, non solum gemere non cessat, sed etiam columbæ velocitatem imitata, ab ipso suo exordio, ad extremas vsque mundi partes volare non dubitauit, & columbæ fœcunditatem, diuino munere nacta, breui sic excreuit in gentem magnam, vt Prouincias orbis terræ penè omnes complexa esse videatur. Ac denique more columbino, iram sine felle in corde, & in lingua ferens, irascitur vitijs, & bellum cum erroribus gerit.* Hæc Bellarminus bono animo, vt nos credere par est de viro apud me non minùs sancto, quàm docto; sed ex seipso alios metitus, existimauit omnes sine felle, nec vllos vnquam è societate, Theophilo, quam Bellarmino similiores. Vtinam illud aut iudicium, aut vaticinium posset omnium suffragio confirmari.

Quid ad istam intempestiuam Societatis laudationem post deiectos omnes Ordines? Non dixit Grauina Bellarminũ intolerabiliter errasse: sed credidit è re, non solum omnium Ordinum, sed totius Ecclesiæ fore, *si gemitui columba* responderet, *voce Turturis*, quâ post egregia Bellarmini encomia demonstrauit, *Religiosos Ordines, non ita temporis iniuria consenuisse, aut à pristinâ laude & disciplinâ recessisse, quin nouos quotidie flores, & fructus parerent*, testatus se ad hanc responsionem compulsum, *ne ex gemitu columbæ infirmi occasionem detrahendi sacris Ordinibus, aut hæretici majorem ansam debacchandi arriperent; maximè cum Protoparens ipsorum Lutherus in quodam articulo damnato pronunciauerit, præstare omnes saccos mendicitatis delere; neue etiam aliqui ex plangentibus sociis vanæ gloriæ tentatione pulsarentur ad efferendum se supra alios ordines.* Hæc Grauina, quibus satis tutatur suam ad Bellarminum responsionem scriptionis consilio & fructu; quia plurimum referebat ad Ecclesiæ decus, vineas Ecclesiasticas diuturnitate temporis mini-

mè extabuisse, sed nouos quotidie fructus honoris, & honestatis referre.

Quandoquidem incidit mentio laudationum nimiarum, non puto fore extra rem nostram, & defensionis necessitatem, si alia duo eiusdem vitij exempla producam, quo euanescat illa toties à Theophilo decantata accusatio, *Dominicanos D. Thomam attollere supra omne, quod dicitur Doctum, encomiis quæ proficisci vix potuerint, nisi à fatuo amore, quo suum Magistrum prosequuntur.* Non puto Theophile, te ausum vitio ducere, quas in D. Thomam congerimus laudes, si ipsum Francisco Suarez, vel nostra encomia contulisset cum ijs, quibus Rector Collegij Conimbricensis, communi omnium nomine, præfatione ad tertium tomum de Religione illum exornat, dum *magnum Suarium* vocat *alterum Alexandrum, vnum Apollinem, communem orbis magistrum, à quo Philosophiæ, & Theologiæ candidati omnes responsa in dubijs referant, Delphicis multo oraculis certiora*

Sordescunt penè quæcumque à nostris hominibus dicta sunt ad commendationem Diui Thomæ, præ his quæ in gratiam Suarij retulimus. Quid enim nedum de ipso, sed ne quidem de Augustino, aut Paulo excogitari potest magnificentius eo titulo, *communis nedum gentium, sed orbis magistri*, quo Suarez donatur cum tantâ asseueratione, vt addat idem Encomiastes, *si idem Author paucos adhuc tomos docto calamo exprimere potuisset, habituros Theologos, vnde de quouis argumento nullius aliunde emendicato subsidio, cumulatè docerentur.* Et iudicat illi, qui copiam librorum Suarez haberet, cæterorum authorum vix esse aperiendos, aut attingendos. Nescio, an vllus nostrum ita cumulatâ eruditione Theologi existimauerit abundare Diuum Thomam, vt nihil opus sit aliis Authoribus, & ipsemet D. Thomas, qui ad comparandas breui scientias omnes, id præsidium & adiumentum consulebat, vt vni libro nos addiceremus, non puto Authorem vnquam futurum, vt semotis aliis solus legeretur.

Quid de Baëza dicam? Ille 3. p. concio. lib. 4. c. 14. eam omnibus Societatis Authoribus concedit præstantiam, facilitatem, celeritatem in conscribendis, & euul-

gandis libris ab afflatu Spiritus sancti, vt vix scriptores illos à Canonicis secernas : adeo vult diuino Spiritu vbertatem dictorum, rerumque omnium ministrante plenos. Verum quidem est huius nimiæ laudationis inuidiam duplici quodam temperamento conatum eleuare, aut in totum tollere ; nempe eiusdem gratiæ Spiritus sancti astantis scriptoribus, vt olim Esdræ, dum omnes Scripturæ libros iam ferè perditos instaurauit, deriuatione in aliorum Ordinum Authores, Benedictinos, Carmelitas, &c. peruenisse; deinde se illa dixisse, quia scriptorum suorum sapientiam tribuerit diuinæ gratiæ, quod certè est humilitatis, non superbiæ. Verum si legitima esset hæc defensio ; quid prohiberet, quin perinde Beatæ Virginis impeccabilitatem, ac scriptorum Canonicorum ab omni errore immunitatem, vel in scribendo manum Spiritu sancto dirigente eadem cautelâ, aut monitione adhibitâ dicas, has dotes non ab humanâ industriâ; sed à diuinâ gratiâ existere, easque non singulares, & eximias nobis, sed aliis etiam communes. Non puto iura Sanctorum his legibus vindicata, abesse ab errore, aut ab hæresis periculo. Id tantum istis exemplis vellem à Theophilo obtinere, ne *fatuum*, in D. Thomam, *amorem, & insulsas laudes* millies obtrudat, cum iaceant infra ea, quæ ex Baëza retulimus communia Societatis scriptoribus encomia.

Sixtum Senensem triplicis erroris accusas, primò quod Origenem variorum Conciliorum anathemate contritum adoret, & causetur, qui illi ascribuntur errores ab hæreticis deprauatoribus infartos, ipso Origene innoxio ; deinde negare integrum librum Esther esse Canonicum, post Concilij Tridentini definitionem contrariam, tertiò Eusebium Cæsariensem Arrianorum signiferum habere pro Sancto. Verum vt ab hac vltimâ parte initium sumam defensionis, Theophili palmare commentum est, Sixto Eusebium Cæsariensem pro sancto habitum. Eiusdem fidei est, eumdem Eusebium inter cœlites ascriptum in nostrum Martyrologium. Conscientia falsi prohibuit Authorem me locum vel è Sixto, vel è nostro Martyrologio citaret vllum, quo fidem rei faceret, neque enim poterat vllam nisi Græcam, & Punicam. Quod ad librum Esther pertinet,

diſſentimus à Sixto; excuſari tamen poteſt, vel quod forte ſcripſerit ante Concilij Tridentini definitionem, vel cenſuerit in partem Libri cadere, non in totum.

Defenſionem Origenis non imputares, aut vitio verteres Sixto Senenſi, ſi duo attendiſſes, primum Origenem multos è Societate apertiùs ab errore vindicaſſe, quàm Senenſem, & cæteris omiſſis, qui in gratiam Origenis ſcripſerunt, extat in Decretis Romanæ Inquiſitionis prohibitus 22. Maij 1555. liber inſcriptus, *Origenes defenſus, &c. Authore Petro Halloix Leodicenſi Societatis Ieſu Theologo.* Deinde Sixtus Senenſis vix audet rem attingere, & omnino indeciſam relinquit, vt cunque res ſit, id eſt ſiue Origenes errauerit, ſiue inſerti ſint eius operibus fraude hæreticorum errores. Hoc enim ſatis ſibi indicat incertum; quamuis maximè vellet Origenem fuiſſe, & credi etiam, ſi ſaluâ reuerentiâ Conciliorum liceret, omninò Catholicum fuiſſe.

Duo ſuperſunt è totâ Diatribâ, quos maximè laceras, Ioannes Maria, & Ioannes Baptiſta Marinus; primus quidem Magiſter ſacri Palatij Apoſtolici Religioſiſſimus & Doctiſſimus, Braſicellenſis nomen ſortitus à patriâ, vnde prodierunt plurima Religionis Dominicanæ ornamenta, maximè duo Generales ejuſdem nominis, Auguſtinus Recuperatus, & Galaminius. Huius vltimi recentem memoriam Roma & Italia ſeruat. Noſter Ioannes à Clemente VIII. cui nota erant, eius merita, magiſter ſacri Palatij creatus eſt; inde à Paulo V. ad Epiſcopatum Polignauenſem aſſumptus eſt: atque Paſtoris munere diligentiſſimè per aliquot annos impleto cum ſummâ pietatis famâ defunctus eſt. Tu pios eius manes, tum hic, tum alibi ſollicitas, nec eum ſineres conquieſcere, niſi in ſinu Abrahæ repoſitus tuas cenſura contemneret, & aut tui potiùs miſereretur, quòd morti proximus bonis omnibus bellum intuleris. Sed quàm ſcitè virum grauiſſimum tractas: dicis ab illo quinquaginta quinque propoſitiones ex Emmanuele Sa, iniuſtè damnatas tanquam intolerabiles, in praxi non ferendas; ſed verè tua cenſura non eſt ferenda: eſt enim plena audaciæ, & neſcio, an reſipiat aliquid impietatis.

Vt poſſis illudere decretis omnibus, quæ ex Congregatione indicis, vel ex alijs, quibus interſunt aliqui Do-

minicani; dicis semper esse priuata, & peruersa iudicia Dominicanorum, non Decreta Pontificum, aut Congregationum, quasi qui præsunt huiusmodi congregationibus, aut Summus Pontifex, qui illos delegit, ita sint stolidi, vt patiantur, se oculis obductis ad nutum Dominicanorum agi, & suo nomine muniri, quæcumque ob odium Dominicanorum moliuntur. Poterasne Pectre, apertiùs, aut atrociùs grassari in summi Pontificis, & Cardinalium authoritatem; & illos inscitiæ, ac pene insaniæ accusare, quòd ab vno, vt tu loqueris, Fraterculo per girum sinant se quasi muta animalia duci? Putas ne manifestiùs apud hæreticos traduci summum Pontificem, Eminensissimos Principes, quasi socordes, & officij sui ignaros, vt cum Congregationibus præsint: atque vbi statuerunt de propositionibus Sa, dixisti illa fuisse Ioannis Mariæ iudicia inscitiæ, vel malignitatis, vel vtriusque referta, & opponis illis Hispanicæ, & Lusitanicæ Inquisitionis iudicia, quæ rescindant Romana? Non est noua hæc fraus, & temeritas. Dictum est totam Cantabricam nationem interfuisse censuræ Romanæ librorum Pozæ, eodem fortè prætextu, quòd odio Dominicanorum immeritò damnatus sit. Quid in Ecclesia, quid in fide tutum erit, cum in promptu habeant hoc responsum Hæretici? Ascribent priuatorum iudiciis quæcumque in se fulmina vibrabuntur, & dicent esse inimicorum propria, non iudicia publica Ecclesiæ.

Quæ ad finem Diatribæ comportas conuitiorum plaustra in Patrem Ioannem Baptistam Marinum, quem vis debere ludibrium omnibus Doctis, quod in te damnarit Eucharistiam solis sumentibus prodesse ex opere operato, quem præ Latinitatis inopiâ addis *in aliena vitula araturum*, ad stabiliendum, quod ipse per se præstare non potest; quem in gratiam aliquarum petagolarum contendisse aliis communionem prodesse ex opere operato, iis defunctis, pro quorum subleuatione dictæ Petagolæ communicant.

Paucis respondeo digna te Authore hæc improperia, quorum Hæreticos puderet. Sed præter quod monui te huius controuersiæ statum inuertere, vt pateat his tuis calumniis: nec dubitatum vnquam de fructu communionis ex opere operato, an posset deriuari in defun-

ctos, sed tantum de fructu aut emolumento ex opere operantis, vt fusiùs singulari dissertatione demonstrabo Id vnum dicam, Te per summam peruicaciam, ne dicam impietatem, inutilem facere defunctis viuorum communionem, & concludis, *simpliciter negandum prodesse mortuis*, quia inquis, vacat pœnalitate, quæ est radix virtutis satisfactoriæ in aliquâ operatione. Quæro à te quam pœnalitatem exigas ad opus satisfactorium? Num dorsi laborem? Certè non poteras dubitare, nisi sis omnis Theologiæ expers, quodcumque opus meritorium satisfactorium esse, vt egregiè Siluius q. 15. suppl. ad art. 1. semper enim habet coniunctam molestiam omne opus bonum homini assueto terrenis, à quibus ægrè potest assurgere ad cœlestia. Ideo sicut eleemosynâ priuat se homo bono vtili, ità delectabili, ieiunio, & oratione, quæ licet habeat adiunctam suauitatem spiritus, infert tamen afflictionem carnis, vt egregiè docet S. Doctor, quem immeritò in tuam sententiam trahis. Quid enim illi esset animi & sensus, si audiret, quod tu, nescio quo spiritu abreptus, ausus est scribere, *coniugales amplexus vtiliores esse animabus Purgatorij, communione quamlibet piâ, & deuotâ.* Hæc tibi repono abstergendis sordibus, quas in Magistrum Generalem vltimis Diatribæ verbis coniecisti.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Laudes, & Dotes Doctrinæ D. Thomæ.

VNus Theophilo hac Diatribâ finis est, cui consequendo omnes neruos contendit, Doctrinam D. Tho. eiusque Discipulorum absurdam, insulsam, omni censurarum genere notandam probare: Nos verò, qui eius placitis, veluti Polipi saxis adhæresimus, seruili, & pecuino Spiritu, veluti muta pecora in sentiendo ferri. Hoc operæ pretium ex responsione ad hanc Diatribam ferimus, calumnias, & conuitia esse, quæ scribit, aut obtendit Theophilus, & dum D. Thomæ doctrinam sectamur, parati pro eius defensione etiam emori variis argumentis tum ex superioribus repetitis, tum etiam nouis; nos magis cognitione veritatis, quàm studio æmulationis

æmulationis, aut imitationis duci; ne quid grauius contra Theophili reprehensiones dicam.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

E superioribus concluditur immunitas Dominicanorum ab omni censurâ.

DEcurri tecum Petre, S. Thomæ, & eius Discipulorum vniuersam penè Doctrinam, sed diuerso consilio, licet eodem ferè euentu; nam vt bene ille dixit pererrant idem pratum Leo, Lupus, & Ciconia: hæc vt infectetur, & deuoret Serpentes, illi vero prædæ, & cædi ouium intenti: sic tu scholæ nostræ, & ego decurrimus, & expendimus plura problemata; tu quidem vt absurda paradoxa, & digna probares, quæ damnarentur, vel dissimulari non possent citra iniustitiam; ego propiora admirationi, & omnium consensui quàm censuræ esse, demonstraui.

Quis nostrum apud æquissimos lectores, vel si res ad sapientissimos Congregationis Iudices reuocetur, causam suam felicius, & validiùs peregit? An tu, qui accusas nostras sententias absurditatis? An ego, qui propugno? Certè si ad examen, si ad iudicium ambo veniamus, triplicis criminis reus pronunciaberis: & statuetur in te pœna, qualem plagiarius, Sanctorum Patrum mastix, & veræ Philosophiæ, ad fidei defensionem accommodatæ, ac penè necessariæ, vel rudis, vel lusor meretur. Crauiter peccauit Pozza, & Thadæus, ille Hibernus in suâ Nitella, quòd sanctissimo Doctori falsas, & suppositicias propositiones affinxerint: nec primus impunè tulit, quia hæc vna fuit ex pluribus causis, quibus iustè damnatus est. Sed tu es illo inexcusabilior; quòd cum à falsarii, & calumniatoris crimine deterreri posses, non solùm exemplo Pozzæ ob suam temeritatem decretis Romani confixi, sed etiam responsionibus clarissimis Grauinæ, Ioannis à S. Thoma, & aliorum, qui has calumnias à scholâ nostrâ validissimè depulerant: tu ausus es illas repetere, vel potiùs transcribrre, nullâ responsionum factâ mentione, & numerum etiam calumniarum auxi-

sti. Quare meritò, quàm nobis moliebaris censuram, in caput tuum asciuisti.

Sed longè grauiùs peccasti secundo ordine propositionum, in quibus vel imperitiam, vel temeritatem, aut fortè vtrumque prodidisti. Vel enim sciebas, quas apud D. Thomam carpis, & contendis absurdas, & censurâ dignas, decem assertiones, esse à Sanctis Patribus desumptas; vel id ignorabas: si hoc vltimum fateare, te ipsum damnas, & illorum numero ascribis, de quibus Apostolus ait, *quæ ignorant, blasphemant*; si verò primum agnoscas, omnibus Sanctis Patribus bellum indicis: quo quid magis temerarium, aut sacrilegum sit, non video. Vnde frustra tibi tertium crimen hoc secundo longè inferius obiecero, quòd sapientissimos Philosophos, & Peripateticos ignorantiæ, & absurditatis accuses; sed hoc tuam audaciam, & temeritatem grauat maximè, quòd Sanctus Doctor has Philosophorum opiniones ad mysteria fidei confirmanda contra Ethnicos, qui illa negant, aut reiiciunt, selegerit; tu hunc delectum prudentissimum quasi ridiculum, & ineptum damnas.

Vide quàm longe absis à tuo consilio. Susceperas collectis quadraginta quatuor propositionibus, quasi totidem testibus probare, Dominicanos censurâ dignos. Verum non magis conuenientia hæc tua sunt, quàm quæ Iudæi in Christum instruxere testimonia: Imò aduersus te loquuntur, & pronunciant plagiarium, & in sapientissimos Philosophos, qui Religioni Christianæ sua obsequia subiiciunt, vel in Sanctos Patres, qui fidei mysteria propugnant; temerè sumpsisse censoriam virgam, quâ ipse seueriſſime castigandus sis Iustissimè igitur in caput tuum aduocasti pœnam, quam nobis parabas, non dissimilis illi qui patibulo pependit, quod Mardochæo erexerat.

Millies, & vsque ad nauseam hæc obiurgatio iteranda esset, si toties repeterem, quoties tu hanc culpam admisisti, vel in te ipsum recidit, quod nobis meditabaris malum; vt omnibus sis imposterum exemplo; insontes non esse frustrà lacessendos: hoc enim tuo libello ad minus paratum est salutare documentum, audaciam, & temeritatem accusantium non minùs infelicem, quàm

reprobam esse ; voluisti scholæ nostræ doctrinam hac Diatribâ, & toto libello, quem vocas Religionem Bestiarum, absurdam & ineptam arguere, ac penè impiam: quid ex hoc labore præmii retulisti? Nomen, & pœnam calumniatoris, cuius etiam scripta flammis decreto sapientissimi Senatus addicta, & absumpta sunt: vt sicut olim apud antiquos Patres victima mactabatur, vt in illam sacrificantis pœnam transferrent, quam suis sceleribus cõmeruerant: sic pessimus libellus iuit in ignes, vt ab eo supplicio Author ipse eximeretur. Nec tibi felicius aliæ accusationes successerunt; semper enim in caput tuum recidit, quod nobis frustrà molitus es malum. Nam authores nostros nugarum, aut mendacii, aut liuoris in bonos incusas: ipse tot nugas, tot crassissima mendacia congeris, adeo apertè flagras inuidiâ in bonos, vt videaris omninò similis illis emoti capitis, quibus omnia susdeque miscentur, & rebus obiectis affingunt, quæcumque, vis morbi moto in cerebro ciet.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Elogia D. Thomæ recentia è Cardinali Palauicino, & Alexandri VII. Decreto.

AT quoniam D. Thomæ doctrinam obscurasse se putauit Theophilus, cui tamen, potiùs lucem attulit, placet ad abstergendam caliginem primùm referre, quæ in laudem Sancti Doctoris scribit Eminentissimus, ac semper laudandus Cardinalis Pallauicinus Epistolâ nuncupatoriâ sui libri 7. de virtute, & Sacramento Pœnitentiæ, quem antequam ad purpuram assumeretur P. Vincentio Preto sacræ Romanæ, ac Generalis inquisitionis Commissario, cum quo vetus illi necessitudo fuit, inscripsit.

Sic igitur habet: *Hoc mihi dolendum accidit, commentationes meas rude quid, & impolitum esse pro ingenio tuo; sed tamquam tabulas fabrè pictas exornare studui illito auro, vtique Ophirio, nempe ab illis venis eruto, vnde tu quoque locupletatus, (Diui Thomæ codices loquor,) viri, quo non tam Ordo tuus, quàm Christi Ecclesia, ipsumque*

humani generis nomen meritò glorietur. Sentio equidem in me tanti Scriptoris pretium, vna cum ætate, sed longe supra ætatis incrementa creuisse. Vix crederem nisi expertus, ab aliquibus in Theologica luce diu versatis, tanti Doctoris magnitudinem sibi inaspectam fauori, ac famæ quadamtenus assignari. Perinde his accidere mihi videtur, ac terricolis calum auspicatis, quibus quantò sole inferioribus, tantò ipse minor apparet. Præclarè mecum egit diuina bonitas, quòd me vocauit ad eam religiosam cohortem, qua iubetur Angelici Præceptoris Theologiam sequi: eam namque sequerer, vel iniussus; imò vix non sequerer, vel prohibitus: certè perinde sequerer scriptoris authoritatem nihil illectus, sed cuius non essem ignarus. Nimirum egregia scripta ceu vina, soli quanquam incerti sint, cum sapore pretium ferunt. Iam vero hæ postremi huius anni disputationes, quas è suggestu dictaui, & quarum tibi summam dico, plus aliquantò, quàm superiores editæ à me, tibi Aquinatem tuum redolebunt: quo tantopere nunc delector, vt vix alium è Scholasticis diu teram sine fastidio; non quòd in cæteris multa non inueniam, ignota mihi, & oppido pulchra; sed alia plura, & longè pulchriora, me inuenturum fuisse intelligo, si D. Thom. tempus, illud impendissem. Quis autem piscatoris consilium probaret, qui omisso viuario, certissimam, lectissimamque prædam pollicente, in fluuio potius quamquàm piscoso retia fortunæ committeret? Id ex me sæpe audiunt qui me audiunt: Quamuis tanta sit D. Th & sectatorum frequentia, & laudatorum approbatio, vtramque tamen adeo infra merita mihi videri, vt inde communem humanæ perspicientiæ tenuitatem, vel aspernari cogar; vel misereri. Ipse vero, qui tibi longè præ me sanctissimi scriptoris, vt doctrinam, ita gratiam comparasti, id mihi ab eo impetra, vt non minor mihi sit eiusdem imitatio, ac admiratio. Haud quidem tanta mihi votorum superbia est, vt eò aspirem, quod summis summum, minoribus insperabile huiusmodi esset scribendo tradere, non qua, sed qualia ipse tradidit, quæque ni ocyus à calo terris ereptus, tradidisset. Egregiè collocatam à me operam interpretabor, si aliqua ex iis, me allaborante, detegantur, quæ ab ipso tradita, ab aliis, ceu stellulæ minutiores in calo, tot frequentes

ſyderibus inobſeruata. Nimirum non ſtellas modò, ſed gemmas procreare conditionis eſt noſtratem ſupergredientis. Abditos earumdem theſauros reperire, ac Reipublicæ bono prodere, & præclarum inuentionis titulum, & præmium habet.

Hæc de ſanctiſſimo Doctore Aquinate aiebat ſapientiſſimus Cardinalis Pallauicinus, tunc quidem ætate iunior, ſed iudicij maturitate, ac ſapientiâ canus; quem imitari debuiſſet Raynaudus, ætate canus, iudicio minor.

Superioribus encomiis maius adiungo Alexandri VII. Breue ad Doctores Louanienſes, in quo laudes D. Thomæ à Summo Pontifice datas Theophilus, malo ſuo inſpiciet. Alexandri, cum præclara in tuendâ, & ornandâ domi, tum fores propagandâ & amplificandâ Catholicâ Religione ſtudia conſtant, tum etiam in euertendis hæreſibus, exſcindendis erroribus, ſtatuendis antiquis Pontificum Conciliorum, Patrumque ſententiis, retinendáque traditione officia patent: quorum prætermittis nullum, quod eo intelligat pertineret: in ſpeculo Paſtorali conſtitutus, vigilat, ne quis fur per aditus occultos, & furtiuos in ouile irrepat: ne quis nouas opiniones intrudat; ne quis, aut dicendi fuco, aut argumentandi ſpeciosâ fallaciâ, animos capiat, & illaqueet. Oſtium Paſtoris apertum, & patens omnibus exhibet, vt ad Chriſtum regiâ viâ conſcendant. Voce Chriſti oues alloquitur, veritatem, & vitam palam proponit: Nouitates, quas *profanas* dixit Lyrinenſis, alienas optat à doctrinâ Chriſtianâ, quæ eſt ſapientia *diuina*, *æterna*, *& ex antiquis*: perinde ac æternitas antiquitati adhæreat, & quæ antiqui docuerunt patres, ea noua eſſe diſciplina non poſſit, quòd æterna, & immutabilis ſit doctrina.

Itaque cum vellet fauere ſtudiis Doctorum Louanienſium, qui nouas Ianſenii opinationes ab Innocentio X. iuſtè damnatas deteſtabantur, & veram, *Apoſtolicam*, vti Proſper appellat, Auguſtini doctrinam; & illius indiuidui Diſcipuli Doctoris Angelici omninò ſequi volebant, decreuit hoc iuſtum ſanctumque propoſitum confirmare, & inflammatos accendere. Sciebat nimirum, Summos Pontifices deceſſores ſuos illuſtria amborum ſapientiæ, & placitis, vno verbo traditæ doctrinæ

testimonia reddidisse. Recolebat animo Innocentium I. Bonifacium I. Cælestinum I. Gelasium I. Hormisdam, Ioannem II. Ioannem IV. Nicolaum I. Leonem IX. Gregorium VII. Vrbanum II. Martinum V. Clementem VIII. magnis Augustinum præconiis laudum extulisse, nec non Innocentij V. Ioannis XXII. Vrbani V. Pij V. Clementis VIII. Pauli V. constitutionum meminerat, in quibus S. Thomæ Doctrina recta, & sancta haberi iubetur. Hac igitur luce plenus, Spiritu sancto affiante, tot, & tantorum ante se Pontificum exemplo, hoc quod exhibemus Breue ad vniuersitatem illam Louanienſem scripsit.

BREVE APOSTOLICVM, ad Doctores Louanienses de iuramento præstando.

Ad obseruantiam Constitutionum Apostolicarum, in materiâ de auxiliis secundum Doctrinam inconcussam, & tutissima Dogmata Ecclesiæ Doctorum.

Augustini, & Thomæ Aquinatis.

ALEXANDER PAPA SEPTIMVS. Dilectis filijs salutem: & Apostolic. benedictionem.

LITTERAS vestras die 20. Martii datas accepimus, & in eo sanè, quod quinque propositiones illas, tam in constitutione felicis recordationis Innocentij X. Prædecessoris nostri, quàm in alia nostrâ postea damnatas tantopere detestemini, vt neminem admittere ad gradus Academicos velitis, nisi priùs religiosam obseruantiam prædictarum constitutionum promittat, & iuret; obediendiam, & zelum vestrum vnicè commendamus, atque adeo speramus, vos nedum id egregiè, persancteque impleturos; verum etiam omnibus aliis in hanc sanctam Sedem obseruantiæ, & obedientiæ documentis effecturos: vt omni rerum prædictarum ex hominum

animis euulsâ, & penitus abolitâ memoriâ, priſtinum decus exiſtimationi, & laudi antiquæ veſtræ reſtituatur. Ad hanc igitur ſalutaris obſequii gloriam verè, conſtanterque promerendam; quamuis, vti credimus, eximiè currentes vos, dilecti filij, etiam atque etiam quantum poſſumus, hortamur in Domino. De reliquo non dubitamus, quin nos pro ſingularis ſcientiæ, pietatiſque ſtudio ſanam, & incorruptam, qualem tot Apoſtolicæ Sedis declarationes, & Sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam ſemper amplexuri, & aduerſus Orthodoxæ Religionis hoſtes defenſuri ſitis; nec non Præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum Auguſtini, & Thomæ Aquinatis inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata ſequi ſemper, vt aſſeritis, ac impensè reuereri velitis; quorum profectò Sanctiſſimorum virorum penes Catholicos vniuerſos ingentia, & omnia tandem ſupergreſſa nomina, noui præconii commendatione planè non egent. Porro bonorum omnium largitorem Deum oramus, vt vobis dilecti filij, cum pacis Diuinâ tandem clementiâ reſtitutæ proſperitate cæleſtis gratiæ munera tueri, & augere quotidie pro miſericordiâ ſuâ velit: ad quod feliciter conſequendum Apoſtolicam benedictionem vobis permanenter impertimur. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Maiorem ſub annulo piſcatoris. Die ſeptimâ Auguſti M. D C. L X.

Quid ad iſta Theophile? Audiſti oraculum Alexandri V I I. in laudem doctrinæ D. Thomæ; legiſti illud, *Auguſtini, & Thomæ Aquinatis inconcuſſa, tutiſſimaque Dogmata.* Quid ad hoc Pontificium, oraculum dicet Petrus de Alua Theophilo ſimilis? Negat vlla à præteritis Pontificibus encomia D. Thomæ tributa: hoc certè negare non poterit, ſed nec antiqua debuit.

Beſſarionem Cardinalem ferunt licentiùs dicere ſolitum, ſanctitatem recentem hominum, quos ipſe nouerat, facere ambiguam apud ſe eorum qui ſuperioribus ſæculis vixerant: nobis contrà, certiſſima faciunt, quæ circumferuntur ab aliquot ſæculis de Doctrina D Thomæ, Chriſti, Summorum Pontificum, Epiſcoporum, Academiarum, quæ modo retulimus ſuperſtitum hominum, & Summi Pontificis nunc ſedentis encomia & decreta. Sed ne ſolis teſtimoniis videamur contendere,

argumentis qualibet demonstratione mathematica euidentioribus probandum suscipio Doctrinam D. Thomæ, cuius fatuo amore nos capi, cui pecuino spiritu nos adhærere dicit Petrus, esse supra omnem laudem & admirationem. Et si in hac veritate confirmandâ defecero, non recusabo eadem lege pœnas dare, quâ Coclæus cum Lutheranis de controuersiis fidei disputaturus, nisi rem propositam confeciſſet, non detrectabat capite luere. Hac conditione libentissimè cum Theophilo, & Petro de Alua, de meritis doctrinæ D. Thomæ, supra laudes quas illi inuident, & nimias vocant, positis sequenti paragraph. pugnabo.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Variæ dotes Doctrinæ Diui Thomæ.

PRomiseram initio dissertationis, me tribus generibus argumentorum probaturum, solidam esse S. Præceptoris doctrinam; primò refutatione eorum, quæ contra Petrus obiicit: secundo obseruationibus à me factis; tertiò collatione S. Præceptoris, & recentiorum doctrinæ. Primum iam impleui his postremis dissertationibus, nec solum obiecta dissolui, sed multa etiam attigi, quæ ad secundum, & tertium genus argumentorum pertinent, ad quæ prima demonstratio viam parauit. Non est dubium quin Petrus ex libris D. Thomæ & eius scholæ elegerit, quæ sibi videbantur debiliora, & magis opportuna calumniæ, quæ validiùs impugnari, aut difficiliùs à nobis defendi possent; sed hanc dissertationem, verbis Apostoli, concludere licet, quod *infirmum est* Thomæ, *fortius est illis*, *omnibus* scriptoribus, qui illum lacessunt: *quod stultum est* (tuo iudicio) Thomæ, *sapientius est omnibus* his, quæ à te, tuisque scripto extant.

Nolim ad nauseam repetere, vel à me sparsim scripta, vel ab aliis plenissimè dicta, maximè à Xisto Senensi, qui in D. Thoma ad plenam absolutamque totius, tam diuinæ, quàm humanæ eruditionis gloriam, solum deficiebat, eloquentiam, & linguarum vsum, qui etiam

Augustino defuit, (qui parùm græcè sciebat, & hebraïcè nihil,) in D. Th. quatuor inter se implacabiliter pugnantia indissolubili pacis fœdere coniuncta miratur; videlicet copiam, breuitatem, facilitatem, & securitatem. De securitate, eiusque causis pleraque obseruata sunt à nobis dissertatione primâ, & quartâ, multis experimentis probatâ, scilicet illum à plerisque Theologorum differre, quòd traditionem ducem, & pedissequam rationem habuerit, quam nec audire, nec rebus sacris est dignatus adhibere, nisi priùs Ecclesiæ, & Patrum consensu, quid sequendum, quid probandum illi compertum esset. De breuitate obscuritatis vbique comite, sed apud ipsum lucidissimâ, nihil attinet dicere, cum de commentariis, quæ instituta sunt ad dilucidandos Authores frequentissimè audiuntur querimoniæ, Thomam per se clarum à commentatoribus fieri obscuriorem.

Duo tantum superioribus velim addi, quæ mihi videntur singulariſſima, & haud scio, an fuerint ab vllo obseruata, nempe plenitudinem, & efficaciam doctrinæ Angelicæ. Ab hac postremâ dote me expediam, breui, fusiùs primam prosecuturus.

PRIMA LAVS DOCTRINÆ D. THOMÆ.

Efficax est ad veritates Fidei, & vitæ Moralis comprobandas.

NEc Sanctus Doctor solùm methodo, & differendi ratione, vt iam monui; sed maximè scopo, & fine à pluribus longissimè distat; quòd istis vnicum, aut certè præcipuum sit studium aliena validè refellere, sua, vt cumque vel nullâ ratione probare. Nulli dubium esse potest, cui non sint ignotæ huius temporis scholarum controuersiæ, vnum Ocham mortalium ingeniosissimum prædicari; At nemo nescit huic scriptori, & eius assectis, quos Nominales vocant, hoc esse constitutum; de Deo nihil probari posse ratione naturali, nequidem eius existentiam: quid subinde de reliquis attributis, de immensitate, de infinitate, de scientia? &c. Hæc omnia, vt rationi incerta, vt probatu impossibilia,

in medio, & ambigua relinquunt: ad in vnum intenti; vt si quid à D. Thoma solidum, subtile, reconditum afferatur, quo probet Deum existere, præsentem inesse rebus, infinitum, omniscium, & inuisibilem cuilibet intellectui creato possibili; si quid in medium proferat, quod soli Deo creationem asserat, quo gratiæ essentiam aperiat, quo immortalitatem animæ confirmet, vel vltimum finem constituat: in id insurgunt, & totis viribus impugnatum eunt.

Hinc est, vt quod de Vasquez nonnullus ex suis, plurimis conueniat: vt benè aliena refutent, malè sua probent. Hinc illa communis, & omnibus paginis obtrusa probatio negatiua, maximè à nuperis Scriptoribus, nulla apparet repugnantia, quin detur substantia corporea intellectualis, quæ naturaliter videat Deum, & vniatur hypostaticè verbo; hinc noua singulis diebus inuenta, aut potius monstra prodeunt, hoc vnico semine concepta, & enixa, *nihil repugnat*: atque his insomniis applauditur, & fauor, quo excipiuntur, audaciores facit ad nouas opiniones cudendas, quibus maximè capi sciunt ingenia, quibus nescio quo morbo corruptis, ita desipit panis ex frumento, vt ad glandes redierint.

Senecæ dictum est, *sapienti semper sua placent*, quod addit, non ausim subiungere. Metaphysica Suarez excepta est summo applausu tanquam opus absolutum, & summo labore, ac pari subtilitate elaboratum. Verum obstupui, vbi Arriagæ, & Ouiedi editâ Philosophiâ, vidi Suarez sordescere præ illis recentioribus, vt iam non manibus tereretur, sed blattis, & tineis permitteretur rodendus. Quæ tamen horum recentiorum ad illum collatio? Sed ô tempora! ô mores! nunc vnicum genus argumenti in vsu est, *non repugnat, ergo datur*. Verum exactius inquisiui, quodnam fidei Mysterium nouâ luce illustrarint hi noui Scriptores? Quodnam vitæ Christianæ, aut humanæ fundamentum solidis rationibus à se inuentis confirmarint? Sed ab illis hæc frustra speres; quia vnica probatio est illis loco omnium: *non apparet repugnantia eorum quæ neges, nec ratio eorum quæ asseras; sed idem in illos retorqueo argumentum*. Vnde videntur more fulminis omnia euertere, astruere autem, aut confirmare omninò nihil. Et

hæc, si superis placet, solida vocat Petrus, præ quibus Summa Theologiæ D. Thomæ,& Summa contra gentes infantiam resipiant.

Sed diuersum insedit animo S. Doctoris consilium, & studium. Aliena aut nunquam attingit, aut validè, ac modestè refellit: sed totus in eo est, vt mysteria fidei illustret. Et quandoquidem verâ necessariò probari ratione nequeant, euidenter credibilia demonstrat, attributa Dei, principia vitæ humanæ, & Christianæ, nouis, & solidissimis argumentis confirmat. Vellem, aliquis laborem, & consilium susciperet, seligendi in his omnibus, quæ ad mores, & ad fidem necessaria sunt, quidquid D. Thomas, quidquid alij scripserunt: hac collatione constaret omnium Theologorum lucubrationes, his duobus contineri, vt quæ à S. Doctore inuenta sunt, vrgeant, & illustrent argumenta, vel refellant, & nulla, aut debilissima reponant. Et ne per plura discurram, duo tantum exempla proponam, quæ sint omnium instar futura.

Nemo nescit, nisi Theologiæ omnino rudis, quanti referat duplex illa quæstio: Prima, quam per summam inaduertentiam (nequid aliud dicam) Pontius Scotista nominis quæstionem facit, an Deus res possibiles cognoscat in essentia sua, vt in causâ, & in medio cognito: secunda, an intellectus creatus,& possibilis naturali & innata virtute possit videre Deum. Superiori quæstioni appendet ordo diuinæ prouidentiæ, & quidquid de cognitione creaturæ, de prædestinatione, de scientiâ mediâ, de concordiâ diuinæ prescientiæ cum libertate, tanto animorum ardore disputatur: nihil euidentius & certius apud SS. Patres,maximè Dionisi, & August. nihil lumine naturali compertius, quàm creaturas omnes possibiles distinctissimè secundum omnes gradus virtute Dei contineri, in eáque cognosci vt in causâ; nihil magis extra omnem controuersiam positum hac veritate, conclusiones in principiis, effectus in causis cognosci, quia in illis continentur, & eodem gradu cognitionem progredi, quo complexionem.

Hac veritate nota syllogismorum & demonstrationum, ac subinde omnium scientiarum certitudo, & euidentia constat. Hoc tamen omni certitudine certius

principium placuit Vasquez, Lessio, Becano labefactare, vt eius ruinis scientiam mediam inædificent. Negant assertum vnquam à Dionisio & Augustino creaturas in omnipotentiâ distinctè cognosci: negant id lumine naturali cognosci posse, obstupentibus Suarez & aliis, quod adeò apertis Sanctorum verbis, & demonstrationibus reluctentur. Duo peccant grauissimè hi Doctores, compertissimum primò negant, & Deo auferunt rerum cognoscendarum modum, vt adstruant falsum, commentitium, impossibilem, inintelligibilem, nempe vt solâ infinitate luminis nullo obiecti cum intellectu concursu omnia cognoscat; destructo illo principio receptissimo ab objecto & potentiâ gigni notitiam, quod in solâ notitiâ humanâ admittit Vasquez, in Angelicâ, & Diuinâ negat, cum tanto suarum opinionum, & rerum fidei dispendio, vt in disputationibus de cognitione Angelicâ continuò laboret vitio petitionis principij, & sibi occludat viam ad qualemcumque generationis verbi explicationem. Verum tanti fuit conuellere doctrinæ Thomisticæ, & astruere scientiæ mediæ fundamenta.

At Suaresio cum major sit erga Sanctos Patres reuerentia, & minor euidentissima quæque negandi licentia, asserit incussum illud esse principium de cognitione creaturarum in essentiâ vt in causâ. Sed ne omninò viam occludat ad scientiam mediam, dat Deo secundum cognitionis genus, quâ per essentiam vt speciem, seu medium incognitum videt creaturas in seipsis: vult Suarez Deum imitari diligentiam tyronum in Scholis, qui vt approbent magistris suam industriam, pensum Latinitatis duplici genere phrasis reddunt: Aliena plane à Dei majestate cogitatio, vt eius essentia sit creaturarum species, idest, illarum in ordine intelligibili vicaria, semen, & instrumentum. Quo quid indignius? Hæc tamen deuoranda sunt, ne scientiæ mediæ via præcludatur.

Sed putant Ripalda, Ouiedo, & alij plures Complutenses, se illi tutiorem, & patentiorem viam aperturos, si tertiâ impressione factâ in illud inexpugnabile præsidium, de cognitione creaturarum in omnipotentiâ, vt in causâ, constituant omnipotentiæ Dei nouum ob-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [504] - 444
PUBLIC DOMAIN

jectum, non absolutum, vt communis hactenus ferebat opinio, sed conditionatum; hoc sensu chymera potest produci ab omnipotentiâ, nisi repugnet. Atque his nouis inuentis, & chymeris putant se præsidium hoc euersuros, & scientiæ mediæ vexillum in arce prouidentiæ sublaturos: sed re verâ his chymericis machinis fundamentum D. Thomæ nequit labefactari. Et hoc audio, pro suâ summâ ingenuitate, & subtilitate Patrem Esparza agnouisse. Vnde apud illum stat firmissimum fundamentum creaturas à Deo non cognosci nisi in essentiâ, vt in causâ, quam vero hoc fundamento posito viam sibi muniat ad scientiam mediam, non est huius instituti, nec huius apologiæ indagare: hoc solo exemplo manifestatum omnibus volo, quidquid illi principio astruitur, immotum esse, & contemnere ventos.

Nec minùs est aperta demonstratio efficacissimæ doctrinæ aliud exemplum, quod subjeci de Dei inuisibilitate viribus naturalibus, cuilibet intellectui possibili: huic enim veritati appendet totus ordo entis supernaturalis creati, & tota gratiæ œconomia: quisquis ergo rationem, quâ Diuus Thomas probat hanc repugnantiam confirmat, gratiæ pariter ordinem constituit; si impugnet, planè euertit: quia nihil affert, quo ruinam hanc resarciat. Vnde id vniuersim assero, plura à doctissimis recentioribus, vel etiam antiquis subtiliter inuenta, quibus aliena refellant, vel dubia, & incerta faciant principia fidei, & morum, repulsis illis, quibus à S. Doctore confirmantur, & quæ à seipsis afferunt noua, vt modestissimè, & verissimè loquar, paris subtilitatis esse possunt: sed nunquam fore paris efficaciæ, & vtilitatis. Immortalitatem animæ creationem Deo propriam, visionem Dei naturæ viribus impossibilem, gratiam naturæ diuinæ consortium esse, & alia, quibus tota religionis vis constat, nullus præter D. Thomam, probat; reliqui id vnum moliuntur, vt vim rationum eius, aut eruant, aut labefactent.

Aliud addo eiusdem certitudinis, & momenti; in his controuersiis, quibus Scholæ feruent de scientiâ Dei, de cognitione creaturarum, & de reliquis, quæ inde sequuntur, quæcumque præsidia petuntur ab argumentis

à priori, ſtant pro Diui Thomæ ſententiâ, pro aduerſariis ſuppetunt aliqua à poſteriori, ab inconuenienti; à priori nulla habere conſtantiſſimè aſſero. Hinc etiam fit attributa Dei omnia ita ieiunè tractari, ita debilibus argumentis probari ab his, quibus magis Ocham placet, quàm Diuus Thomas, vt potius rerum dubium quàm fidem faciant.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

Duæ reliquæ dotes doctinæ D. Thomæ.

DE Angelicâ doctrinâ ad omnes Eccleſiæ vſus copioſiſſimâ, multis alio loco diſſeruimus, quæ validè refellunt incuſationem Petri, qui nos fatuo amore immodicis laudibus inhonorare D. Thom. eiuſque doctrinam, vult non habere quicquam ſingulare, aut ſolidum, & ab illa inſtitutos rudes & ineptiſſimos ad negotia, & ſua ſtoliditate exacerbaſſe populos, à fide alienaſſe, auſus eſt imprudentiſſimè ſcribere. Quem mihi dabis Petre, vel tuorum, vel alienorum quorumcumque, qui has dotes aſſecutus ſit, quas in vno Thoma auctas, & exaggeratas habes? Multi libri, & Scriptores alunt ingenia ad diſputationes Metaphyſicas; ſed quid inde reportas, ad formandos mores, aut conciones locupletandas, ad conuincendos hæreticos? Audiui ex vno celeberrimo concionatore Franciſcano; plus ſibi adiumenti ad conciones conferre vnam quæſtionem D. Thomæ, quàm tomos integros reliquorum Theologorum. Sed ne pluribus te fatigem, erudite Lector, Summam D. Thomæ meritò dixeris ſupremum ſubtilitatis Scholaſticæ apicem, inſtructiſſimum aduerſus Eccleſiæ hoſtes armamentarium, concionatorum promptuarium, perpetuum Scripturæ commentarium, quæſtionum, quæ ad mores pertinent, exactiſſimam, & tutiſſimam Analyſim decretoriam.

Poſt hæc Petre, inſanus habeberis, ſi neges, hanc doctrinam ſolidam, & ea inſtructos voces homines vepribus Scholaſticis aſſuetos, vti ſcribebas pag. 47. Hanc grauiſſimam calumniam refutaui breuiùs, quàm rei a-

trocitas ferebat: ideo superioribus pauca addam. Pythagoræ Scholam, non tam summa grauitas, vt sapientia magistri quàm discipulorum veneratio incredibilis, & par in regendis populis prudentia commendauit. Ex illa enim prodierunt Heroës militiæ, & pacis artibus clarissimi, Legum latores, Principes, aut Regum Consiliarij incorruptissimi. Schola D. Thom Pythagoricæ superior, quamuis rumpat inuidiâ Petrus, fuit verè Heroum feraciſſima: hæc Innocentios, Benedictos, & Pios dedit Sedi Romanæ Pontifices; nullis decessorum sapientiâ, sanctitate, & rerum gestarum magnitudine inferiores: hæc Io. Dominicos, Turrecrematas, Caietanos, Legatos Pontificum, Regum Consiliarios: hæc Bartholomæos è Martyribus, hæc Anthoninos antiquis Pastoribus pares instituit: hæc Ioannes à Monte-nigro alioſque in Conciliis Oecumenicis aduersus Græcos, & hæreticos athletas inuictos armauit.

Neque hæc frustra, aut temerè dicta credas; id enim apud nos innumeris exemplis domesticis compertissimum est: quo peritiores, ideſt, quò addictiores sunt Patres nostri doctrinæ Angelicæ, eò sanctiores moribus, eò in tractandis negotiis, & ad regimen sapientiâ eminere. Et ne per totum Ordinem, aut superiora sæcula decurram, Castellana Prouincia plurima hoc sæculo, eáque illustrissima exempla dedit.

Quis Ioanni à S. Thoma par subtilitate, studio, & eruditione in commentando, aut defendendo sanctissimo Præceptore? Quis eius mentem acutiùs, aut profundiùs introspicit? Quis apertiùs eruit? Quis validiùs propugnat? At quem vidit vnquam aula Regia sinceriorem Consiliarium, à confessionibus incorruptiorem ministrum, aut in rebus gerendis solertiorem? In quo nil desiderare possis prꝛter longiorem, tot bonorum vsuram, quam mors immatura intercepit, nec passa est nos diu frui virtutibus, quas semper posteritas mirabitur.

Non conuenit amicitiâ, & moribus coniunctissimos diuellere. Petrus Tapia, & Ioannes à S. Thoma, collegæ Compluti, & inde Matritum, quò ad consilia Regia vocabantur itineris pedestris socij, & eiusdem integri-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [507] - 447
PUBLIC DOMAIN

tatis in ferendâ ſententiâ, parem laudem diuerſo miniſterio aſſecuti ſunt. Atque vt Ioannes Confeſſarij Regij officio incorruptiſſimè, ita Petrus Paſtorali functus eſt: & noſtro ſæculo monſtrauit non deeſſe, neque Ambroſios, & Thomas Cantuarienſes in iuribus Eccleſiæ defendendis; neque Nicolaos, & Martinos parcimoniâ, charitate in pauperes, & omni genere ſanctitatis; vt inde agnoſcas è Scholâ D. Thomæ prodire non minùs ſanctos quàm doctos, & ad omne miniſterium Eccleſiæ inſtructiſſimos.

Sed qua ratione ſeiungam ab hoc pari Thomiſt. illuſtrium, Reuerẽdiſſimum Dominicum à Roſario, eiuſdem Prouinciæ Caſtellanæ alumnum, natione Hybernum, cuius dum hæc ſcribimus mortis nuntium atrociſſimum nos oppreſſit. Ingratiſſimi animi me reputarem, niſi virum immortali memoriâ digniſſimum, & de me optimè meritum, duobus à me nominatis adiungerem, quibus amicitiâ arctiſſime iunctus eiuſdem Prouinciæ decus, nec pietate, nec ſapientiâ, & integritate illis inferior, & fortè etiam pertinaci dignitatum repulſâ, & contemptu, in negotiis gerendis ſolertiâ, in animis Regum, & Procerum conciliandis gratiâ, & rerum geſtarum magnitudine illos ſuperauit. Ex Hyberniæ nobili familiâ natus, in Caſtellanâ Prouinciâ ad Ordinem receptus, inde eam hauſit pietatem, & ſapientiam, quas Louanium, quas Matritum, quas Gallia, & quas tota ferè Europa mirata eſt. Nomine Regis Catholici, apud Regem Angliæ Patrem, & apud Carolum Filium, & huius Romæ apud Innocentium X. geſſit negotia grauiſſima, pari ſapientiâ, & fœlicitate; ſed apertius titulo Archiepiſcopi Goenſis, quem abdicauit, apud Regem Chriſtianiſſimum Legatus Luſitaniæ, toti aulæ fuit amori, & venerationi: atque hoc elogium retulit, nullum vnquam feliciùs pietatem cum prudentiâ, modeſtiam, & humilitatem Religioſam cum Legati grauitate, & ſapientiâ coniunxiſſe.

Quid referam tres Epiſcopatus recuſatos? Quid dicam vim illam animorum conciliatricem, quâ Regum, & Procerum amorem, & iudicia, non ſolum merebatur, ſed etiam rapiebat? Neſcio an vlli vnquam hominum contigerint, hæc quæ in illo licuit mirari. Summa

gratia

gratia vbique valuit, præsertim apud Lusitanos extraneus sine vllâ inuidiâ, & liberrimè reprehendentem; Principes, & Reges summè dilexerunt; sed huius fœlicitatis admirationem minuit integritatis, & virtutis magnitudo. Nihil sanè mirum fuisse omnibus veneratioⁿi, & amori, cum ex summâ gratiâ apud Reges nullum priuatum commodum, sed de omnibus bene merendi occasiones captaret.

Hoc vnum cæteris prætermissis, dicam; nemo nescit, quâ cupiditate flagrent reliquarum dignitatum contemptores, vt Regum animos occupent, & sint illis à confessionibus, & à consiliis. Hoc ipsum Dominicus à Rosario contempsit; & cum Confessarij, & Consiliarij Principis munus diligentissimè obiret in Lusitania, & Rex Angliæ humanissimis Epist. illum aduocaret in coniugis Confessarium, & Consiliarium, nunquam horum officiorum titulos, & nomina admisit. Nihil ergo mirum, si eius gratiam, vel reprehensiones Principum liberas, nunquam odium aut liuor secuta sunt, cum nihil sui causâ ageret, sed Dei gloriæ, publici boni studio, quo vnicè flagrabat.

Hinc non solum Petri calumnias refellimus, sed etiam nonnullorum opinionem, quibus videtur Religio Dominicana quasi effœta consenescere. Certè non potest sterilitatis accusari, quæ ex solâ Prouinciâ Castellæ, hoc nostro tempore, præter Cardinalem Pimentellum, quem Roma mirata est, præter Herreram, Arauium, Godoi, aliosque pietate & eruditione celeberrimos, hos tres tulerit à me nominatos, qui Apologiæ validissimæ vim habeant aduersus vtriusque Petri calumnias.

Mathematicorum morem secuti sumus; qui demonstrationes, vbi sub conspectum mentis arte syllogisticâ subiecerunt, sensibus etiam quodammodo visendas præbent, exaratis in puluere lineamentis, & figuris rerum, quas repræsentant, & probandas suscipiunt. Ita etiam doctrinæ præceptoris nostri, in cuius verba iuramus, dotes variis exemplis confirmauimus, vt inde solemnem apud Philosophos Dialecticæ distinctionem nobis vsurpare liceat Theologiam D. Thomæ non solum in exercitationem ingeniorum, sed etiam in remedium animi; nec minùs ad omnem vsum, ad obeunda quæcumque sacri ministerij officia, quàm ad inda-

gandam veritatem, habilem & necessariam esse.

Quæ cum ita sint, viderit Theophilus, num in illum recidat, quod huiusmodi doctrinæ studiosis obijcit, spiritus pecuini conuitium. Certè si Pium quintum in administrandâ sanctè & sapienter Republicâ Christiana; si Bartholomæum à Martyribus zelo, sollicitudine, prudentiâ, & sanctitate dignâ Episcopo; si Caietanum, Capreolum, Conradum eruditione, & disputandi subtilitate; si Canum, Sotum, Authores Catechismi Romani in rebus Theologicis tractandis; si Diuum Vincentium, Granatensem, Sauanarolam eloquentiâ Christianâ, denique si innumeros alios in Ecclesiâ celeberrimos, qui suas quibus præstabant; dotes suo Magistro Diuo Thomæ acceptas referebant credat Theophilus se æquare aut superare, per me licet Diui Thomæ discipulos pecuino spiritu agi, vbique prædicet, & persuadeat omnibus: sin illud sibi arrogare nequeat citra temeritatem & insaniam; rogo desinat Sancto Doctori addictos pecoribus, & brutis animantibus accensere.

SECTIO SECVNDA.

Summa expostulationum Carterij.

DVM hæc scribimus, peruenit ad manus nostras expostulatio Ludouici Carterij de P. Mariales, posterior longè immunitatibus Petri à Valle clausâ. Legi libellum integrum; & mihi visus est Author longè humaniùs scribere, in speciem saltem, & à conuitiis abstinere: quod etiam exigebant partes, quas suscepit implendas. Neque enim accusatorem agit, sed tantùm expostulat, & grauissimè conqueritur, Marialem suâ Bibliothecâ, Societatem, & præcipuos illius Authores atrocibus conuitiis læsisse, atque vt querimoniæ vires augeat, asciscit illi plures è nostris, & omnes, si posset in consilij, & iniuriæ illatæ socios, à quibus ait, primò pacem frustra turbatam: secundò doctrinam Societatis immeritò confixam, & maximè scientiam me-

diam: Tertiò Acta Congregationis temerè iactata: Quartò Iesuitas corruptores, & contemptores SS. Patrum perperam dictos, & nominatim quinque, Bellarminum, Valentiam, Vasquez, Fasolum, Pozam, cum totâ Societate, multis iniuriis à nostris affectos maximè scripto Francisci Roales edito, & aliis libris confixis. Quintò conqueritur de editione, quâ elusa sunt decreta S. Officij; & quâ violatus est honor S. Doctoris. Postrema expostulatio est de Sibylla, quod scripserit in Ianseniſtas, vt obliquè Molinam peteret. Hæc Summa est libri, quem concludit se veritatis, & amoris studio scripsisse, post longum & pertinax Patrum Societ. silentium; licet vndequaque lacesserentur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Responsio ad Prolegomena.

NEcessarium duxi ad illa breuiùs, & fortè etiam validiùs, quàm proponantur capita respondere; & adiungere accusationibus Petri: licet enim stylo, & vt arbitror etiam animo dissimiles sint horum librorum Authores; non tamen ita argumento distant, quin eâdem responsione vtrique satisfieri possit; nam quæcumque hâc expostulatione continentur, sunt communia ferè cum Petro, quibus iam responsum est; & si quid singulare occurrat, isto examine discutiam: singularia enim pauca sunt, nisi vel titulus, vel occasio scriptionis.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Examen Epistolæ ad Lectorem.

EPistola ad Lectorem beneuolum de P. Mariali conqueritur tanquam iniurio in Societatem, *quam tot conuitiis arguit*, nquit Carterius; *quæ vix vllus petulcus hæreticus effutire posset.* Marialem omnino non excuso, quamuis vt iam monui, collatum Petro à Valle-clausa, ipse Ludouicus absoluturus sit. Sed non est

illi visa satis atrox iniuria, si à priuato homine proficiſceretur, ideo, vt expoſtulatio vires acquirat eundo, vult operis vnius Authores eſſe plures, *& nomen eius legio*, nec ſolo conſilio, ſed etiam manibus plurimorum eſſe exaratum, & illius editioni, ac promulgationi, ſedulam operam nauatam. Vt omittam nobis deeſſe ſummam illam, quæ in Societate viget, cautelam nihil edendi, quod non fuerit Romam delatum, & ab his, quos vocant Reuiſores, accuratè diſcuſſum; vt taceamipſius operis editionem prępoſteram, nulla noſtri Ordinis approbatione munitam eſſe: Quod de opera à multis noſtrorum hominum impenſa editioni dicit Carterius; eodem planè artificio excogitatum eſt, quo libro titulus præfixus eſt à Theologiæ, & I. V. D. ſcriptus Gergouiæ Vocontiorum, typis Petri Calpin. Epiſtola non diſſentit à titulo, vtrumque merum artificium eſt; vt priuati vnius culpa in omnes Dominicanos redundet.

Mirum eſt, quòd cum Ludouicus teſtetur ſibi Petri libellum in Dominicanos non fuiſſe ignotum, ad finem Epiſtolæ adiungat, quod ſi conuitiorum, quibus Mariales Ieſuitas proſcindit, atrocitatem ſeriò reputet, apud ſe Lector, ſe non dubitare, quin huius expoſtulationis lenitatem, atque adeo conſilium ſuum magnopere ſit laudaturus; quod vna neceſſitas, cum aliud remedium non ſuppeteret, hæc pauca, penè inuitò extorſerit. Pertinebat ſanè ad ſummam illam Ludouici lenitatem, aut æquitatem ſepoſito partium ſtudio, Marialem conferre cum Petro, & diligenter inſpicere, quis horum ſcriptorum in eos, quos impetunt, eſſet iniuſtior, aut petulantior. Mariales obiter tantum laceſſit aduerſarios, nec ſua laude fraudat, quos videt eâ dignos: at Petrus furiis actus, conuitiorum plauſtra congerit, nec quidquam aliud habet: nulli parcit. Et cum adeò diſpar ſit vtriuſque ſcriptio, & plura atque atrociora vnâ Diatribâ congerat Petrus, quam Mariales quatuor tomis, vt præ illo penè mutus ſit; certè niſi eum nimius ſui amor excæcaſſet, iudicaſſet Ludouicus tacendi omninò, aut Dominicanis ſatisfaciendi impoſitam neceſſitatem potiùs, quàm de illis expoſtulandi.

Vndè cum videam adeo enormi iniuriarum vtrin-

que illatarum discrimine, expostulationem parari, non compensationem; solas sibi illatas iniurias vrgere, superos, hominesque testari, impositam sibi summam necessitatem expostulandi, & satisfaciendi nullam: Cœpi apud me reputare verissimum esse, quod scribit Seneca; *non fert ictum illæsa felicitas*: quia non credit sibi æquo iure viuendum cum aliis; sed omnia sibi in illos, in se nihil aliis licere. Nisi in ea sententia fuisset Ludouicus, certè collatio Petri cum Mariali calamum è manu extorsisset, & depositò expostulandi consilio, quod ipse frequenter solet aliis suadere, vel omninò tacere statuisset, vel satisfactione condignâ, excessum reparare iniuriarum quas passi sumus, præ illis, quas sibi à Mariali illatas conqueritur. Sed multò æquiora aliis consulit, quàm sibi assumat: & qui quotidie satisfactorias pœnas imponit, ab illis abstinet, sicut medici à remediis, quibus alios vexant.

Sed adeo vel ipsa cogitatione ab omni satisfactione præstandâ, quam aliis iniungit, abest Ludouicus; vt licet non posset ignorare Marialis doctrinam, moréſque suorum & institutum, ne centesimâ quidem parte conuitiorum perstrinxisse, quibus Petrus nos omnes conspurcauit; non sibi tamen satisfactum iri putabat, nisi propter aliquot liberiores voces in opere Marialis sparsas, Tomi omnes in totum damnarentur. Quæ certè non mihi videtur pœna iustior illa, quam exigebat Aman, vt tota gens Iudæorum periret ob negatam sibi ab vno Mardochæo salutationem. Et ideo distulerunt in ipsum scribere, vt hâc in speciem moderatione, Censuram absolutam in totum opus validius vrgerent, & tandem euincerent.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Quibus artibus tentata sit Censura in totum Mariales.

VIdemus nonnullos ita esse comparatos, vt magis tunc timendi sint, cum silent: quia indignatio diu compressa, & quasi collecta, datâ primum occasione,

maiori impetu erumpit. Sic contra Mariales actum est: visus est primum contemni, quasi nihil haberet, quod responsionem mereretur. Deinde accusatus est acerrimè apud iudices, & id totis viribus tentatum est, vt vniuerso operi spongia induceretur. Atque id duplici viâ visum est aggredi; Primùm silentio, deinde frequentissima accusatione apud iudices, quos non dubitabant, eò certiùs ad suum votum deducturos, si differrent publicis scriptis in Authorem agere.

Hoc enim silentio primùm modestiæ, & patientiæ opinionem sibi parabant: deinde omnem vindictæ suspicionem à se amoliebantur, vt solâ æquitatis ratione viderentur condemnationem totius operis efflagitare. Sed sapientissimi, & æquissimi iudices non sunt passi, his sibi artibus imponi; & licet agnoscerent Authorem immoderatiùs egisse in Aduersarios, non iudicarunt suæ prudentiæ, & integritatis esse, propter vnam, vel alteram paginam, ingentes tomos absolutè proscribere: & fortè perspicacissimi viri subdorati sunt, quo occultiora consilia spectarent; nimirum vt hac censura, quasi quodam præiudicio, omnis ad defensionem doctrinæ nostræ via occluderetur: facile enim fuerit his qui multa gratia, & prudentia valent, in omnibus qui in posterum edendi sunt nostrorum hominum libris, aliquod verbum liberiùs dictum deprehendere, & ex præiudicio in Mariales persuadere, esse omninò prohibendos, atque ita feliciter secum actum iri, victuros sine Aduersario.

Sed aliter visum est integerrimis iudicibus, vt mordacia dicta in hoc opere prohiberentur, non doctrina: ne D Thomæ in posterum defensio deesset. Sed cum à iudicibus non videatur factum; Ludouico satis fuisse, ipse, cap. 2. censoriam in illud opus virgam assumit, & ita acerbè castigat, vt in illo nihil conspicuum dicat posse videri, præter insignem maledicentiam, & luculenta conuitia. Reliqua subticeo; quia certè monstrant in illo, non solùm desiderari humanitatem, & lenitatem, quam se præstiturum pollicebatur; sed etiam eam æquitatem, quæ apud iudices sæculares, vel etiam acerrimos hostes religiosè obseruatur.

Summè laudatur antiqui Philosophi vox in seruum

fustem intentantis suspenso ictu : *castigarem te, nisi sentirem me irâ commotum :* nec minùs commendandus, aut imitandus est mos inter iudices receptus, vt is à iudicio, vel arceatur, vel sponte secedat, si minima suspicio sit, illum aliquid gratiæ, vel odio ex amicitiâ, aut iniuriæ sensu daturum. Deinde ipsimet hostes in medio ardore pugnæ, non sibi omnia permittunt, & ad suam laudem referre putant, si aduersarij virtutem agnoscant, & aliquando etiam admirẽtur. Has omnes leges iure gentium, aut naturæ sancitas, vel ignorauit omnino, vel neglexit Ludouicus, hoc certe liberiori, aut iniquiori in Mariales iudicio, quo nihil in eius opere dicit se *deprehendere, nisi barbariem, & insciitiam, & protrita quæque, &c.* At ego contra, & qui minùs odio indulgebit, mecum assentiet, plura ibi bona esse recondita, quæ facilè alibi non reperias, & licet stylo Tullium non referat, aut Canum æquet, certè attollit se aliquando supra simplicem, & rudem Scholæ modum loquendi. Sed ne videar Lectori aliquid gratiæ, sicut Ludouicus plurimùm odio, dare, de diligentiâ & eruditione Authoris, tum iudicium esto Lector erudite, qui longiùs abes ab odio & gratia, sicut & ab illorum causis.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Leuiores querimoniæ Carterij depelluntur.

SEd grauissimè conqueritur Ludouicus ad finem capitis primi, & toto tertio, & alibi frequenter, pacem Dominicanos inter & Iesuitas seruatam à suis religiosè, fuisse frustrà turbatam à Mariales, nomine quasi omnium nostrum : *quamvis enim*, inquit, *multiplicem ipsis expostulandi occasionem præberent Dominicani*, maximè in librorum editione, vectione, & confixione ; idque per summam iniuriam : sustinebant tamen, & studio pacis tacitè *concoquebant, ne vel aliquid excideret, quod Christianam, & Religiosam pacem perturbaret.* Multa subinde ad finem illius primi capitis adiungit sibi commoda comparata ex Ianseni damnatione,

& subducta nobis. Si Mariales prodiissent ante Petrum, difficilius fortè agnoscerentur, an nos ipsis expostulandi occasionem dederimus, an ipsi nobis præbuerint.

Sed hanc dubitationem omninò sustulit liber Petri, qui videtur primus classicum cecinisse: & quamuis ex adeò virulento, & intolerabili libro non fuisset facta hæc ad nostræ causæ æquitatem maxima accessio; non facilè concesserim Ludouico, quæ ipse obtendit, & nulla ratione probat, (sicut est eius mos per totum librum perpetuus, vt meritò vocari possit, assertiones Ludouici, & nullæ probationes, quia fortè per alias occupationes animabus vtiliores non licebat inquirere;) non admiserim, inquam, hæc mala, quæ ait suis illata à Patribus nostris in editione librorum, nec commoda ad suam causam ex Iansenij condemnatione parata.

Primum caput resipit querimoniam Petri toties de suis libris iteratam, & à me validè refutatam, cui responsa sæpè à me facta, sibi Ludouicus data reputet. Mirum est certè, quod addit secundò, datas occasiones ex Iansenii censura in nos agendi, quòd in eadem damnatione nos putat fuisse prætermissas studio pacis, quam nos primi turbatum iuimus? Scio cum à vobis, & à Parisiensibus damnatio Iansenij vrgeretur, rogatos Thomistas, ne illi intercederent: imò datam fidem, se nihil contra nos moliri aut cogitare, & Societatem ad concordiam initam. Scio etiam à Confessario Regis Christianissimi Patre Annato dictum, doctrinam Thomistarum in tuto esse damnato Iansenio. At quis vestrum, præter istum à me nominatum, hanc cautelam & moderationem adhibuit? Quis concordiam initam seruauit? Quid scripta vestrorum authorum, in collegiis disputationes, Quid concionatores in pulpitis aliud inclamant, quàm bellum in Thomistas; nec posse damnato Iansenio eandem damnationem euadere? Atque inter hos tumultûs, qui cõtinuò perstrepunt per totum orbem Christianum, neque vmquam conquiescunt: Sanctè iurat Ludouicus, pacem à suis religiosissimè obseruatam: Seriò ne an per ironiam scribit, dum perpetuum bellum vbique terrarum sine vllis induciis pacem vocat? Et si vel vnus nostrum velit his vociferationibus publicis,

& priuatis intercedere, Ludouico belli buccinator, & pacis publicæ perturbator est.

Præter hæc, quintus annus excurrebat ab editione, & publicatione infamis libelli, *de immunitate Cyriacorum à censurâ*, qui primùm è Lugdunensi prælo & Collegio emissus, ac partim Authore amicos donante, partim chariùs per submissos vendente, vbique terrarum maxima alacritate spargebatur: nec tamen illius nos prohibitionem curauimus: nam quinto post eius editionem ac promulgationem anno damnatus est à sacra Congregatione, nobis eius damnationem, nil omninò curantibus, sed tantùm eminentissimis ipsis Iudicibus, qui etiam in eo libello traducebantur, vrgentibus.

Certè Dominicani, qui libelli *de immunitate Cyriacorum* prohibitionem curarunt, non potuerunt malitiosè operum Marialis prohibitionem impedire, aut differre: nec sacræ Congregationis Indicis Secretarius in causa fuit, vt asserit Carterius, cur Marialis censura differretur. Sed dilationis causa fuit, quia cum Marialis opus sit in quatuor tomos distributum, necessarium fuit, censoribus tempus congruum assignare, quo totum opus diligenter discuterent, & sacræ Congregationi referrent, quæ præterea tres censores adhibet de librorum prohibitione differentes antequam configantur. Ad hæc autem omnia longo opus est tempore, nec potuit illico Mariales damnari, ex Carterij voto. Vellet in suorum Authorum libris discutiendis longissimum expendi tempus, nec eos vmquam prohiberi; Dominicanorum vero libros, vellet nec etiam discussos illico damnari, & configi.

Non addam nihil omissum, vt in nos, & in D. Thomam aliquid ex Cathedra statueretur. Sed quibus principiis, & quibus regulis? An his ad quas concilia, & Summi Pontifices semper suas definitiones exegere; nempe ad scripturam communi Patrum sensu ad literam explicatam, vel ad Traditionem Diuinam ab institutione Ecclesiæ, à Christo exceptam, & apud suos seruatam? His certè regulis iudicari flagitamus, & etiam nos damnari æquissimo animo patiemur. Sed quis nesciat totis viribus adiutum Authorem illum, qui ausus est distinguere triplicem Traditionem; & Ecclesiasticam,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [517] - 457
PUBLIC DOMAIN

vt distinguitur à diuinâ esse fundamentum credendorum fide Catholicâ, ac proinde diuinâ: & à locis mystico sensu à litterali alieno explicatis, posse erui diffinitiones fide diuinâ certas? Et hoc Ludouici iudicio est pacem sanctè seruare, & etiam Ecclesiæ honori, ac Summorum Pontificum infallibilitati consulere. Hæc à me inuito dicta sunt, vt amoueam accusationem pacis à nobis turbatæ, quam à suis sanctè obseruatam esse iurat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Solutio trium Argumentorum quæ Carterius indissolubilia putat.

NEc solùm nos malæ fidei, sed etiam summæ imprudentiæ accusat, quòd bellum instauremus nobis infeliciter successurum: *Nam stant*, inquit, *tria argumenta, à libertate extinctâ, à gratiâ sufficienti exclusâ per determinationem Physicam, & ab imputatione peccati Deo faciendâ, si ad eius entitatem promoueat*: horum vero trium, argumentorum, more triumphantis, magis quam pugnantis, inquit, frustra hactenus solutio quæsita est, omnia distinctionum effugia de sensu composito, & diuiso, de infallibibili & necessario præclusa sunt, & abstinendum vobis, inquit, fuerat à conuitiis, quæ vobis sola suppetunt in hac materiâ. Putat denique nos voluisse incautos opprimere, quibus hoc argumenti genus interdictum est: addit alia eiusdem ponderis.

Sed vt ab hoc vltimo incipiam; Vnum velim Ludouicum: an adeo desipuerint Thomistæ, vt crederent se aduersarios incautos obruturos, quod huiusmodi scriptionis argumentum interdictum sit? Vel insani sunt Thomistæ, qui id sibi persuadeant, cum legant, cum audiant, & ab antiquis, & à mediis, & à nuperis scriptoribus hæc tria argumenta vsque ad nauseam repeti, illis libros integros impleri. Adeone erunt stolidi Thomistæ, vt putent se incautos posse opprimere eos qui semper stent in armis? Aut quâ ratione dicit interdictum illis id genus argumenti? Ergo omnes facit suos scripto-

res rebelles, & contumaces, cum nullus sit, qui huiusmodi præceptum obseruet.

Dum hos duos Authores confero, quibus cum mea priuata (vt sic loquar) infelicitas, boni communis ratio iussit contendere; videntur mihi multis conuenire, & distare pluribus: hoc vtrique commune, quod magnâ fiduciâ plurima proferant, & nihil probent, ex more fortè, quo à scholis imbuti sunt, vt credant se semper cum pueris agere, & fidem dictorum etiamsi non probent, præcipere. Hoc vero differunt, quod Ludouicus multa iactet ad suorum gloriam, Petrus verò infinita congerat, & falsa ad aliorum infamiam. Quidquid tandem sit, non plus virium, & sanguinis inest Ludouico, quàm Petro: argumento sint, quæ scribit ad finem capitis tertii, *nos aliquid auræ apud plebeculam scholasticam captare velle, nec nobis superesse, in his controuersiis præter conuitia.*

Hæc verba sunt, & vox, præterea nihil. Vt verò re ipsâ repellam eâdem, quâ de libertate, methodo, tria mihi, de scientia media distinguenda censeo; originem, vnde vel repeti, vel refelli potest: ipsius essentiam; & tandem proprietates, aut consecutiones. Circa quodlibet horum capitum Thomistæ, præter conuitia, quæ Aduersario relinquunt vtenda, habent insuperabilia argumenta. Insinuaui quæ ex primo capite desumuntur. Si Deus cognoscat creaturas possibiles in suâ essentiâ, vt in causâ, & in medio cognito, subinde cognoscet futura conditionata, vel absoluta in eadem essentiâ, quæ est eius obiectum adæquatum, non nudè sumptâ, sed determinatâ per decretum: Si hæc Principia, vt sunt solidissima, stent, vnde scientiæ mediæ origo? Quæ fundamenta, quibus inniti possit? Nulla planè nisi commentitia. Quod satis demonstrant conatus recentiorum omnium suprà à me relati, quibus hoc immobile principium euersum volunt: certè non ita allaborarent in stabiliendâ scientiâ, & labefactandis nostris Principiis, si nihil haberemus præter conuitia, vt dicit Ludouicus per summam cæcitatem, aut insciti am; hoc secundum malim credere, quia doctrinam hanc scholæ, quâ fortè magis tinctus, quàm imbutus fuerat, omninò deleuerunt, quibus detinetur, occupationes quotidianæ.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [519] - 459
PUBLIC DOMAIN

Argumenta secundi generis ab essentiâ ipsius scientiæ mediæ petita attingam refutatione eius cap. 4. & 13. tui libelli.

Quod ad tertiam partem attinet de consecutionibus ex scientiâ mediâ ; verum est, quod antea monui ; vos nullas habere rationes à priori, quibus probetis ; à posteriori fateor, vos habere illa tria, quibus triumphas toto illo cap. 3. & nihil nos habere dicis præter conuitia, quibus respondeamus. Sed paucis, meo more, & quantum Apologiæ breuitas patitur, demonstro, nos habere arma solidissima, & inuicta, quæ opponamus, & omissis illis, quæ alias de libertate diximus & de collatâ cum Caluinistis, & Ianseniſtis nostrâ doctrinâ, quibus planè euanescit tuum primum argumentum contra prædeterminationem ab extinctâ libertate ; duo noua, & singularia addo, quæ nihil habent conuitii, sed solidissimæ doctrinæ, eaque repeto à duobus Societatis scriptoribus non minùs ingenio, quàm dignitate eminentissimis, scilicet à De Lugo, & à Bellarmino.

Primus, tomo de pœnitentiâ, cum quærit, disp. 8. an actus contritionis sit effectiuè à charitate habituali ; fatetur si semel admittamus mutuam dependentiam dispositionis, & formæ, in diuerso genere causarum, præmotionem Thomistarum tutam esse ab omnibus argumentis, quæ petuntur à libertate extinctâ : Id verò principium mutuæ causalitatis, solidum, Peripateticum ex Philosophiâ & Theologiâ admittendum ; præter innumera, quæ id probant, attingo obiter id, quod ad angustias, & ad agoniam redegit De Lugo, nempe gratiam Christi meritis comparatam Beatæ Virgini, & aliis Maioribus, à quibus procreatus est : ergo ab illis pendebat secundum causæ Physicæ generantis, & reciprocè ab illo pendebant iuxta genus causæ moralis meritoriæ : quid ad hæc De Lugo tractatu de Incarnatione disputatione 12. de gratiâ antiquorum Patrum ?

Respondet Christi corpus agoniâ horti ita malè habitum, & vexatum ; vt cum nec incolumitas illi constare, nec mors arceri posset ; auxilio, vi generationis maternæ, & antecessorum debito, aduocandum fuisse validius quo seruata humanitas, vbi ab influxu B. Virginis, & Maiorum exempta est, & mortem passura, illis &

toti humano generi salutem comparauit. Nonne verè illud principium mutuæ dependentiæ causarum, Thomisticæ Doctrinæ propugnaculum ad angustias, redegit hunc Theologum, coactum effugere vim argumenti eâ subtilitate, quæ verè sicut de illo dicebat vir è Societate grauissimus, desinit in aristam? Nec solùm futilis, & absurda est, sed non videtur etiam aliquâ specie impietatis carere, quòd Christum Redemptorem suæ Matris, Maiorum, & subinde totius generis humani constituat, cum desiit esse filius Virginis, seu quod perinde est, nihil seruauit illorum, quæ ex generatione Matris, & ex filiatione receperat. Vides Ludouice, nos præter conuitia habere, quæ reponamus.

Sed miraberis me Bellarminum aduocare ad subsidium Thomistarum, cum illorum præmotionem deserat posterioribus editionibus; (nam priori aliud docuisse audiui, & ex præcepto Societatis vel ipsum, vel eius librum correptum) quidquid tandem horum sit verius, (quod mihi incertum est;) non potest Ludouicus dubitare, in rebus Theologicis, & Philosophicis versatus, quam vrget de gratiâ efficaci, & præmotione cum libertate discordia difficultatem, locum habere de Imperio, seu quod perinde est, de iudicio intellectus practico, à quo non possit voluntas in sensu composito dissentire. Huius iudicii vltimi necessitatem ad omnes voluntatis actus admittit Bellarminus Controuersiâ de libero arbitrio; ergo illud cum libertate componit iudicium quod non minùs necessariò seu infallibiliter infert actum voluntatis, quàm prædeterminatio; ergo non potest illam damnare, quasi extinctæ libertatis causam, cum iudicium illud ab hac noxâ absoluat. Post istud monitum puto editionem Bellarmini proximè futuram, emendandam esse, ne hanc responsionem suppeditet Thomistis, quæ clypei loco illis esse possit.

Ad secundum etiam argumentum, præter conuitia habemus quæ respondeamus ex D. Augustino, à quo præsidium validius, quàm à De Lugo, aut Bellarmino repetimus. Non potest negare nisi proteruus, aut ignarus controuersiarum Augustinum inter & Pelagium, quin tandem hic hæresiarcha post multas tergiuersationes à lege externâ, libero arbitrio, quibus gratiam Christi

principio sui erroris contineri censebat, confugerit ad gratiam moralem interioris cogitationis, atque ab hoc præsidio pulsus agnouerit gratiam interiorem supernaturalem, quæ daret non solum faciliùs, sed simpliciter posse; nec eâ contentum Augustinum, ab illo exegisse tandem, & argumentis etiam euicisse, necessariam esse gratiam ad posse, & ad velle. Et hic fuit finis disputationum Augustini cum Pelagio, & victoriarum, quas Ecclesia illo fortissimo Duce retulit ex callidissimis, & subtilissimis hæreticis: ergo præter illam gratiam, quæ dat posse, quam admittebat Pelagius, necessaria est gratia, quæ det velle; eamque contra Pelagium docuit Augustinus.

Quid tandem ad tertium argumentum præter conuitia reponemus? Responsionem à te ipso petitam, non magis concursus præuius si aliunde libertatem tollat, vt primi argumenti solutione monstratum est, ascisci Deo peccati notam, quàm concursus simultaneus ad eiusdem peccati entitatem: Atqui tu, tuique hunc concursum conceditis, nullam creare Deo suspicionem, ne sit author peccati, cuius est vindex; Ergo vos causam nostram agitis, vel vnius concursus ab altero discrimen nobis demonstrate.

ARTICVLVS TERTIVS.

Aliæ accusationes depelluntur.

QVæ initio cap. 4. Ludouicus verba vsurpat, ab illo iustiùs mihi vindico: *Parum abest quin oculis meis fidem omnem detrectem*, cum lego Mariali imputari verba Tomi primi controuers. Prolegom. Tom. 4. & in aliis duobus passim, verba, quibus sententia Societatis opposita damnatur tanquam blasphema in Philosophiâ &c. Bene est, quod nobis quatuor Tom. assignet, vt quæ semipagina sui libelli continentur verba inquiramus, quasi originem Nili, vel folia Sybillæ vento dispersa. Certe nimium parcit labori suo Ludouicus, & durior est exactor alieni laboris, illis, quos Pharao Hebræis imposuerat præfectos operis diurni; cum iubet nobis semipa-

ginam sui libelli inquirere per quatuor tom. Haud scio an plurium dierum impendio possemus consequi, quæ præcipit, aut ferre onera intolerabilia, quæ, si noluit digito mouere, debebat saltem indicare nobis. Nimium fidit sibi, si speret Lectores, aut parituros vt longam illam indaginem suscipiant, vel credituros dictis illius, qui abdicatâ omni curâ inquirendi subinde ingerit nobis accusationem Caluinismi. Pelagianismi verò duplici nomine à se refellit: primò quòd frequens sit in ore Caluinistarum, & Iansenistarum, Iesuitas Pelagianos esse; quasi semper falsi sint hæretici, & nihil veri possit illis excidere. Secundò quòd illorum sententia contraria sit Caluinisticæ, quasi duo contraria simul falsa esse nequeant?

Obiectio Caluinismi, & Iansenismi validissime occupata est aliis locis, vt nihil opus sit addere præter hæc tria. Miror te adeo iniuriarum confictarum memorem & obliuiosum esse verorum beneficiorum: non potes negare, vos Patris Nicolai Dominicani, aliorumque Thomistarum operâ primam victoriam retulisse apud Sorbonam ex Iansenio, quam reliquæ consecutæ sunt. Huius beneficij à Thomistis recepti, altum apud vos silentium, & nescio quas à Nolano, aut Reginaldo commentitias iniurias continuo recolitis: fortè etiam vlturi, nisi primum mors fœlicissima, alterum secessus ab omni contentione subduxisset. Quod autem congressus cum Iansenianis refert & obiicit Ludouicus, nescit etiam habitos fuisse cum Domino Halier, & Aduersariis Iansenistarum? Quia nullos à nostro congressu excluſimus. Patris Candidi suffragium censorium sugillat in gratiam illarum propositionum, cum nemo hactenus negarit aliquo sensu Catholico admitti posse, sicut hæretico absolutè damnatæ sunt.

Quod ex Cardinali Perronio narrat, dixisse Paulo V. Caluinistas omnes Galliæ subscripturos sententiæ Thomistarum: vel hoc numquam à doctissimo Cardinali dictum est; vel illum latuit discrimen inter Thomistas, & Caluinistas, à me demonstratum: vel denique, ille assensus admissus à Caluinistis, eorum quæ ab ipsis negantur, & à Thomistis asseruntur, felicissimè Ecclesiæ successisset aduocatis ad fidem Catholicam hæreticis: sed nescio an

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [523] - 463
PUBLIC DOMAIN

iudicij temerarij sim arguendus, si suspicer, te malle illos extra Ecclesiam hæreticos, quàm conuersos intra Ecclesiam Thomistis accedere. Adeo tuæ causæ priuatæ vbique faues, vt communi anteponas, vel certè æques: quia fortè indiuiduam esse tibi persuades. Sed licet probabilem non negemus vestrã opinionem, nullus catholicè dicere potest catholicâ fide tenendam, nisi velit Augustinum, & Thomam è numero Catholicorum excludere. Quem cum Caluinistis iactãt consensum nostrum, repulimus alias, etiam sibi necessaria responsione.

Quæ dicit ad finem cap. 3. per ironiam, vt pro summâ, quâ Romæ pollemus, authoritate, satagamus litem nostram dirimi, & hoc gratissimum fore Iesuitis. Hæc verba sunt; Recusauimus ne vmquam rem definiri? Retrocessimus-ne à disputatione? Rogauimus-ne Pontifices, vt Congregationes finirent, vel à definitione supersederent? Addis trium hominum genus esse quibus sub fine capitis 4. dicis inuisam Societatis doctrinam, nempe hæreticos, inuidos, & ignaros: bene est quod tibi canas; sed non omnes hanc trimembrem diuisionem adæquatam esse admittent. Interim permittimus, te beatitudine, quam tibi more antiquorum Philosophorum beneficio rationis confeciſti, largissimè frui.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Censura Historiæ Pennæ à Dominicani recepta.

QVi libris Euangelicis authoritatem illam, quæ credibilitatis euidentia vocatur conciliarunt, hoc maximè argumentum vrgent; Scriptores sacros narrasse comperta suo tempore, & communi famâ vulgatissima, qualia sunt Christi prædicantis miracula, aut illo patiente solis defectus, qui toti orbi innotuit: Vel ergo facta referunt, vel omnino conficta; si istud vltimum dicas, ergo nullus illis fidem habuit: cum rerum gestarum quas scribunt, ferè omnes in Iudæâ testes adessent, qui poterant dictis illorum intercedere, & omnem fidem abrogare: si primum admittas, ergo Euangelium

gelium tot præiudiciis munitum est euidenter credibile; Congregationes de auxiliis habitæ sunt in theatro totius vniuersi celeberrimo, totâ Europâ spectante.

Rerum ibi gestarum memoriam non à Francisco Penna, cuius historiam prohibendam curastis, & prohibitam volo, sed præterea omnium Doctorum traditione excepimus; velle autem quæcumque hac communi famâ constant, in dubium reuocare, perinde est, ac Rauennatensem Gallorum, vel Peloponensem Christianorum de Turcis victorias confictas dicere, etiamsi historiæ omnes, quæ vtramque referunt, perirent, aut prohiberentur. Nulla vmquam lex Principum iussit, nec passa est hanc fidem communem, traditionem, etiam sine scripto receptam, deleri, aut damnari, alias tirannis esset, non legitima potestas, quæ ius in memoriam, aut fidem publicam sibi vindicaret.

At inquies, duplici decreto transfixa est historia Pennæ: non ignoro: quid inde? Ergo in posterum de his rebus præceptum est altum silentium? Hoc perinde est, ac si quis violati confessionis sigilli te accusaret, si de re à pœnitente tibi auditâ, sed aliunde rumore vulgi nota loquereris. Quæ de rebus in Congregatione gestis narrantur à Penna; ab illo non recepi, nec didici: sed ab eodem canali, vel oraculo, à quo hausit Ludouicus, quæ superiori cap. de Cardinali Perronio retulit. Illud ergo compertissimum est totius Europæ opinione, & fama, vtrumque Pontificem Clementem, & Paulum, & Consultores omnes, si vnum excipias, fuisse in D. Thomæ (quam D. Augustini censebant;) sententiam propensissimos, ac proinde minùs Molinæ beneuolos, qui ab vtroque se recessisse fatebatur: reliqua, quæ inde consequuntur, apud se reputet Lector.

Vnum non omittam, quod ex ore Archiepiscopi celeberrimi memini me excepisse, scilicet dum hæ disputationes Romæ feruerent, sapientissimum Curielem rogasse Summum Pontificem, à definitione abstineret, quòd concordia gratiæ efficacis & libertatis fide constaret, & vtraque schola saluam vellet contra hæreticos. An verò concordia fieret beneficio scientiæ mediæ, aut porentissimâ, & occultissimâ virtute gratiæ, ad quæstionem metaphysicæ pertinere non ad Ecclesiæ definitiones.

Vtinam consilium celeberrimi Theologi vti Summis Pontificibus, ex euentu iudico placuisse, ita etiam vtrique contendentium parti probaretur, & in illo conquiescerent: quod ad me attinet, ita mihi semper placuit; vt numquam passus sim ab illo me abripi, quod instar portus elegi. Et si quando videar fortè ardentiùs in Aduersarios agere; hoc à me factum velim, sciant omnes, ne libertatem, quam illis indulgeo in his controuersiis, mihi patiar eripi ab his, qui nolunt æquo iure viuere, & sua sensa putant esse fidei decreta: hoc meum consilium, & asilum sequetur sine dubio, quisquis verè sapiet.

Dum breuitati sic studeo, vt nolim rem vllam alicuius momenti prætermittere, capita decurro cognatione materiæ potiùs, quàm ordine iuncta, vt si fieri possit, vnâ responsione plura diluam.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Duplex querimonia depellitur.

POstquam duodecimum caput legi, ita mihi visus est Mariales extra chorum saltasse, & relatione Ludouici ita grauiter peccasse, improperatâ primò auaritiâ, & opulentiâ Societatis, secundò sugillatâ eius scriptorum eloquii venustate, tanquam pedanticâ, & doctrinâ quasi Pandoricâ, ex alienis confarcinatâ, denique constitutionibus lacessitis quasi remoto sigillo confessionis velint Superiori confitentium inclinationes posse manifestari, ne in delectu missionum errent. Ita, inquam, hæc iudicabam enormia, vt penè Marialis defendendi cogitationem abiicerem, & illius damnationi subscriberem; nolui tamen inauditum damnare, consului loca citata: & vidi eius culpam, si quæ sit, in maius fuisse auctam. Quæ arbitrabar sponte dixisse, inuitus scripsit, vel à te ipso deprompsit, vel ex aliis retulit, vel denique non exerte pronunciauit, sed hypotheticè tantùm protulit: Baesam defensorem habet.

Iste Author similis omnino scriptori anni sæcularis de quo supra, sibi, suisque mirè canit, & Narcissum agit

quod vix citra aliorum vituperium, aut modestiæ noxam fieri potest. Societatem attollit supra omne, quod humanum est, & vult illi datum Christi nomen, quod est pusillis incommunicabile : quia ipsi sunt, plusquam homines, & angeli, & illis accommodat illud. Isaiæ 3. *Oculi videbunt Ierusalem*; quasi dixisset, ait Baesa, *Videbunt oculi Societatem Iesu Ciuitatem opulentam.* Non putauit Mariales intempestiuum illud modestiæ humanæ, vel Christianæ exemplum a tot Principibus vsurpatum, vt dum suppetunt occasiones alta de se cogitandi, subiiciatur aliquod monitum, quo vtiliter deiiciantur, sicut Rex ille qui volebat ab vno ex suis domesticis sibi singulis diebus repeti; *memineris te hominem esse.* Sic enim principes, & magnates salubriter erudiuntur, ne inani gloriæ studeant, nec vulgi aurâ se abripi patiantur, cum videant suam felicitatem fragilem, & caducam. Dum ergo Baesa sic opulentiam Societatis prædicat, vt videantur præ illâ reliqui paupertate sordescere; ne fortè nimiùm sibi blandiretur, suggessit verbulum Mariales : non esse, quod loquatur de illâ opulentiâ, quam multorum lachrymæ, qui ad pauperiem redacti sunt, satis euulgant.

Sic etiam scriptores Societatis non vult tantùm præcipuos esse Ecclesiæ athletas, sed penè solos, qui scripto, aut verbo hæreticos debellarint, & nullum in arenam descendere, ad fidem propugnandam, nisi Bellarmini armis instructum; quasi Echius Lutheri, & omnium eius discipulorum domitor, quasi Coclæus, qui capite volebat luere, nisi victor ex disputatione contra Lutheranos rediret : quasi Roffensis, non minùs victoriis contra Lutheranos, quam martyrio illustris; quasi tot heroës, qui ex Academiâ Louanienſi prodiere, Driedo, Taper, Somnius, Lindanus : vel ex Parisiensi nihil Louanienſi inferiori, quasi Cardinales Hosius, Perronius, non minùs ingenio, & eruditione, quàm dignitate Bellarmino pares; quasi confessus tot Episcoporum, tot Theologorum in Concilio Tridentino, & omnium denique Ordinum Scriptores, inter Franciscanos Andreas Vega : inter Cappucinos Bouerius : inter Dominicanos, Grauina, & Coëffeteus, inermes, ignaui, aut pugnæ tantùm spectatores fuerint.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [527] - 467
PUBLIC DOMAIN

Vnde vt hanc verè militarem iactantiam Mariales paulùm deiiciat, opponit duo: quæcumque Patres illi habent, aut certè præcipua, desumpta esse ex sanctis Patribus. Neque enim ipsemet Bellarminus (quem Marcus Antonius de Dominis immeritò Pontificiorum Compilatorem, vocat, cum Author sit illustrissimus, non solum collectis diligenter Catholicorum argumentis, sed plurimis à se inuentis, & addito controuersiis ordine mirabili) negabit, cum sit modestissimus, perinde ac doctissimus, se in controuersiis de Ecclesiâ, de Conciliis, à Turrecremata, à Caietano, à Cano; de Eucharistiâ à Sancteso, & vbique à D. Thomâ oppidò fuisse adiutum: sola gloriatio Baësæ extorsit à Mariali, quæ aliàs ipsemet damnaret.

PARAGRAPHVS TERTIVS.

Depulsa calumnia grauior de sigillo confessionis.

NEc minùs validam, & apertam habet à Poza defensionem aduersus tertiam Ludouici expostulationem: quasi Societatem accusauerit violati sigilli confessionis. Poza in D. Thomam maximè petulans dixit eius dogma ab Ecclesiâ damnatum, quo vult Religiosum constitui solo voto solemni; at contrà, inquit, stat Gregorij XIII. Constitutio, quæ sancit simplici voto Patres Societatis verè esse Religiosos.

Facilis, & obuia responsio ad argumentum quæ ipsum Pozam latere non poterat, nisi maluisset parare calumniam, quàm veritatem aperire: Diuum Thomam locutum ex vsu suo sæculo ab Ecclesiâ recepto, quæ solo voto solemni initiatos Religiosorum numero accensebat, non negatâ Pontifici potestate, solo voto simplici Religiosos iure positiuo constituendi. Mariales hac responsione minimè contentus profundiorem, & validiorem adhibet ab absurdo; non magis, inquit, constit. Gregorij damnant hoc D. Thomæ dogma, quàm ordinem correctionis fraternæ, quo Christus statuit priùs monendum reum, quàm Ecclesiam, quem tamen ordinem immutari volunt institutiones Societa-

tis ab eodem Gregorio confirmatæ, & ab omnibus Societatis professis, aut professoribus exigunt abdicationem propriæ famæ, quam si semel admittas, vti legitima est, perinde poteris audita in confessione citra sigilli noxam, aperire prælato, sicuti illa, quæ tibi extra confessionem innotuere, ad prælatum referre, reo non monito; vtriusque eadem ratio esse potest, nempe spontanea abdicatio honoris, quæ dat ius vtriusque secreti aperiendi.

Quid ergo mali admisit Mariales, quod vt retunderet calumniam Pozæ, certissimam de correctione fraterna, & incertam de sigillo confessionis doctrinam subiecerit. Sed per summam insciciam, aut malitiam, Ludouicus putat apud Marialem, illam sigilli confessionis relaxationem habere locum in confessionibus Regum, & sæcularium, quas Patres Societatis excipiunt. Mera est calumnia; numquam hoc Mariales somniauit: quia sciebat sola abdicatione propriæ famæ posse prætermitti ordinem Euangelicum correptionis, aut aperiri nota ex confessione. Hanc vero abdicationem famæ à suis exigunt, non ab extraneis.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vindicantur Cano, & Bannes à calumniâ læsæ Patrum reuerentiæ.

REdeo ad cap. 6. quo toto vult Ludouicus contendere nobiscum de reuerentia erga Sanctos Patres, vel eorum scripta; & cum remittit nos ad Petrum à valle clausa, videtur probare, quæcumque in nos conuitia, scriptor ille congessit & potissimum corruptelam, aut contemptum SS. PP. quæ confirmat nouis testimoniis à Cano, & Bannesio petitis. Certè non poterat apertiùs aut impensiùs fauere gloriæ Dominicanorum, quàm cùm nos prouocat ad illud certamen reuerentiæ in SS. PP. quinà eos plus coluerint aut plura sibi in eorum scripta permiserint. Vt probet nos defuisse officio in SS. PP. citat sex ex Cano testimonia, totidem ex Bannes: Duo à Cano sunt omnino extra propositum, quale est illud

quod refert ex secundi libri cap. 4. *intelligo* D. Augustinum longa oratione contendere, non permissionis tantùm, aut patientiæ diuinæ esse peccata, sed etiam potentiæ.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Vindicata sex loca ex Cano.

NEscio quo fine hæc verba Cani de Augustino relata sint, cum fusè probet contra Iulianum, quæ illis continentur: nec magis ad propositum est alter ex lib. 7. cap. 13. cum liber quatuor tantùm capitibus contineatur; *Nemo quantumuis eruditus, & sanctus, non alicubi cacutit, labitur, hallucinatur.*

Quid etiam mali, aut falsi habet hæc propositio? *Non quilibet Sanctorum infallibilitatem habet Conciliorum generalium.* Et ad hoc pertinent alia duo loca, quorum primum ex cap. 15. lib. 12. desumpsit: ibi Canus agit de immortalitate animæ: & cum Augustinus dixisset probari his verbis Christi Matth. 22. *Non est Deus mortuorum, sed viuentium*; & ex aliis locis veteris Testamenti; subiungit Canus illa loca, quæ videntur Augustino ex lege Moysis esse cæteris euidentiora, non sibi videri probabilia.

Quid etiam sacrilegij habet hæc propositio? Consentit cum Augustino conclusioni; sed non videtur illi argumentum Augustini conuincere; ergo ex Ludouico impius est Canus in Augustinum: at ego infero, ergo Ludouicus in Canum gratis maledicus est. Idem monstrat quartus locus ex libro 4. cap. 1. vbi Canus agit de Patribus Ecclesiæ, à quibus hæreticos non excludit omnino, sicuti Cyprianum, qui rebaptisandos volebat. Augustinus, cum Cypriani esset studiosissimus, totis viribus nitebatur, Cyprianum etiam inuitum trahere ad sensum Catholicorum. Cano visa sunt verba Cypriani apertiora, quàm vt benignam Augustini interpretationem reciperent: Quid inde Ludouicus potest inferre, nisi sinceram libertatem Cani?

Duobus locis, qui ex numero senario supersunt, quos

primos posuit Ludouicus, & ego vltimos ad examen seruaui, ita mala fide agit; vt non putem vmquam Notarium publicis falsatis tabellis, iustiùs pœnam meruisse. Parum abest, quin ipsum Petro æquem: & profectò vterque, ita omnem sinceritatem eiurauit, vt nesciam, quo loco sim vtrumque repositurus; planè neuter est dignus, cui credatur ad societatem humanam, quandoquidem omnem veracitatem neglexerunt. Contra Ludouicum duos testes aduoco: Canus lib. 7. cap. 3. hanc statuit secundam conclusionem, *Vnius, aut duorum Sanctorum authoritas, etiam in his, quæ ad litteras sacras pertinent, probabile quidem argumentum submistrare potest, firmum verò non potest: Ita despicere, & pro nihilo habere pro certo erit omninò imprudentis.* En iudicium viri Sapientissimi; *hanc conclusionem* (inquit Canus) *demonstrat ratio illa manifesta, cui nulla prorsus via occurri potest. Quod cum Sanctorum quisque, his dumtaxat exceptis, qui libros Canonicos ediderunt, spiritu fuerit humano locutus, & aliquando, vel in eo errauerit, quod ad fidem spectare, postea demonstratum est, apertè constat ex huiusmodi authoritate exploratum fidem fieri non posse.*

Quæro à te Lector erudite: potest ne quid certius esse conclusione Cani, aut efficacius eius probatione? Quid horum tibi displicet, aut negas Ludouice? Quare ergo voluisti creare Cano inuidiam, confecta suis verbis hac propositione, quæ nulla fere extant apud Canum? Sic enim inducis loquentem, *errare in rebus fidei, quæ non erant eo tempore definitæ accidit Cypriano, Hieronymo, Augustino:* vt omittam, verissimam esse hanc propositionem, quare illam confeciti tuis verbis, & affinxisti Cano tanquam propriam, nisi vt demonstrares, te hominem nullius fidei esse, aut tantæ authoritatis, vt putes tibi licere, in aliena opera, quod in tua. Eadem corruptela, vel maiori audaciâ fingis hanc propositionem ex lib. 12. cap. 14. *Augustinus in illam magis opinionem inclinat, quæ docet animas à parentibus generari, quod solebam tanquam erroneum condemnare.* Nihil horum lego in Cano, sed istud, initio cap. *docet sæpius Augustinus, non esse fidei quæstionem, an animæ rationales ex tradice sint, an potius ex nihilo in singulis creentur singulæ; at sæ-*

anima hominis ex traduce vi seminis propagetur, sine dubio esset vt generabilis, ita corruptibilis.

Quid damnas in hac assertione Cani? Non ne vera? Nonne catholica est? Cur ergo inuertis eius verba? Appono, dices fortè, æquiualentia. Bene est, expressa Authorum verba, non erant satis opportuna calumniis, oportuit noua arte illos lacessere, nempe æquiualentia verborum: hæc est nupera ars, ignota superioribus sæculis, quam nostrum peperit, & qua putasti vtendum in nostros Authores, quia eorum verbis expressis nullam poteras importare calumniam, quam pura quæ probata est Dominicanorum in Sanctos Patres reuerentia, quandoquidem illius læsæ non potuisti vel minimam nobis suspicionem conflare, nisi tua verba apposuisses.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Vindicatus Bannes, & detorta in Aduersarium accusatio.

EAdem sinceritate, seu maiori audacia, ne dicam malitia, agis cum Bannes. Primò putas blasphemasse; quod dixerit 1. par. q. 1. art. 8. plurimos Sanctorum fuisse magis Platonicos, quàm Peripateticos, & aliquos illorum aliquando errasse in his etiam quæ pertinent ad fidem. Et quid? Vis ne infallibiles fuisse? Visne Cypriani anabaptismum defendere? Vel negas aliquot illorum fuisse Millenarios?

Nescio vnde hauseris secundam propositionem, quam ex Bannes citas quæst. 23. art. 5. circa secundam, & quartam conclusionem. Vix possum, vel vnum verbum repetire, nisi istud, *hæc sententia Augustini non modicam habem difficultatem*, vbi autem sint, quæ adiungis, debebas annotare, ne nos torqueres indagine verborum, ex quibus fortè seiunctis confecisti propositionem, quam vocabis æquiualentem sensui Bannesij: illo autem dubio affert quinque modos explicandi D. Augustinum, & cum paulo differat à sententia D. Thomæ, isti magis adhæret.

Non es ſincerior citatione 3. loci ex q. 62. art. 1. vbi inducis dicentem, ſententiam Auguſtini, quæ primo inſtanti donat Angelos beatitudine ſupernaturali, non carere temeritate: hanc cenſuram non lego, ſed contrà, Auguſtini mentem explicat, & trahit ad ſententiam communem. Vbique tui ſimilis es, vix potes tria verba referre, quin corrumpas. Argumento ſit quartus locus q. 63. art. 3. vbi inducit Auguſtinum diſputandi gratiâ ſententiam proponentem, cui contrariam aliis locis apertè docet, vnde reſpondet, argumentum, quo priorem Sententiam muniuerat, nihil concludere contra certiorem mentem Auguſtini reſpondetur enim ex eodem Auguſtino. Sed tu tacuiſti has circumſtantias, quæ Banneſium eximant ab omni cenſurâ, nec tria verba potuiſti fideliter referre; nam Bannes ſic habet, *nec argumentum illud Auguſtini aliquid valet.* Tu ſic magis inuidiosè refers, *argumentum Auguſtini nihil valet*, & taces ipſum Auguſtinum ſic cenſere, quandoquidem illud ſoluit.

Finis ſuperioribus reſpondet, neque enim progreſſu emendas te, ſed fis deterior. Non lego q. 64. art. 4. dubio 4. ſententiam Auguſtini temeritatis notari, ſed cum reuerentiâ explicari: *reſpondi, inquit, dupliciter Dæmones reſeruari in iudicium ex D. Auguſtino & D. Petro, non ad iudicium eſſentiale, ſed accidentale, & vt ex publicâ ſententiâ pateſiat eorum culpa.* Vides Ludouice, tuam accuſationem, noſtram eſſe laudem; quia nihil potuiſti ex tot Authoribus colligere, quod vel minimum, vel in ſpeciem alienum eſſet à reuerentiâ SS. PP. niſi tu corrumperes, niſi verba, & ſenſum mutares.

At ſi vellemus tibi par reponere, non vnam, vel alteram ex tuis ſcriptoribus anxiè, & infeliciter, vt tu feciſti, propoſitionem quærerem; occurrerent infinitæ: præter illas 22. contra D. Auguſt. in Hiſpaniâ damnatas, & alias, ſupra relatas è Vaſquez, Adamo, Sirmundo, & aliis, vel ex vno veſtrorum Authorum, quæ reſipiant contemptum SS. PP. in gratiam opinionis de Conceptione. Tædet eadem repetere, reſponſum habes, hoc vnum certiſſimè aſſero, ex omnibus noſtris ſcriptoribus non poſſe colligi tot loca, quot retuli à te falſata.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [533] - 473
PUBLIC DOMAIN

ARTICVLVS QVINTVS.

Responsio ad reliquas expostulationes Carterij.

EX his, quæ diximus supra, expostulationibus pro quinque ex tuis, & de scripto Roales satisfaciam examine sequenti: istam concludam responsione ad expostulationem pro scientiâ mediâ contra Alexandrum Sybille, & de editione Marialis.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

Controuersiæ cum Recentioribus de scientiâ mediâ Synopsis.

AD explicationem scientiæ mediæ tria diximus obseruanda, originem, essentiam, consecutiones. Primam, & postremam partem iam expediuimus; nunc me accingo secundæ; & scientiam mediam sibi ipsi ruinam parare breuissimè, & efficacissimè demonstro. Non est dubium huius scientiæ, quam diuinæ prouidentiæ cardinem, & exploratricem vultis, vsum, & totam vim in eo sitam esse: vt cognitionem absolutorum antecedat pro illo signo, quo cognitio increata amorem, aut generatio verbi antecedit processionem Spiritus sancti; ita vt præsciat Deus consensum hominis in his, loci, temporis circumstantiis, à gratiâ præuenti, & absolutè illum videat, vbi decreuerit in his circumstantiis hominem esse collocandum.

Molina qui se primum huius scientiæ Authorem iactat, prudenter, & accommodatissimè ad suum consilium hanc scientiæ mediæ, vt sic loquar, primogenituram, his principiis firmat: vult futura conditionata cognosci, non in se, quia nihil sunt, nec in comprehensione causæ primæ, & secundarum: sed in harum supercomprehensione, cuius vi videt existentia ea, quæ nihil sunt, & determinata, quæ suspensa manent: idque priuilegio seu iure supercomprehensionis: quod cùm in propriam voluntatem non habeat, quia se comprehendit adæquatè, non excedit; ideo nescit ante decretum, quid volitura sit, & subinde conditionatè videt tantum illa su-

tura: quia scit quid factura sit causa secunda; sed latet illam, quid sit decretura voluntas: & ideo futurum illud cadit sub scientiam conditionatam, vi supercomprehensionis causæ secundæ, non sub absolutam.

Sed opinio Molinæ sic explicata minimè ab eius assertis probatur; imò visa est commentitia, & posset sub hoc titulo depingi, *commentum, aut figmentum*. Quis enim nisi cæcus, sibi persuadeat, in causis indetetminatis videri determinata, & Deum obiecta non nosse, nisi mutet, vel se ipsum imperfectiùs nosse, quam creata. Ideo visum est solidiora quærere, & iacere huius scientiæ fundamẽta; nec opus fuit in his inquirendis minori labore, quàm in nouo orbe aperiendo. Non incommodam ad hoc iudicarunt, contradictoriarum propositionum legem, quam statuit Aristoteles de re præteritâ, aut præsenti, nempe alteram illarum esse determinatè veram, alteram determinatè falsam. Sed ab hac lege eximit Philosophus propositiones futurorum, quod neque in se, neque in causis determinatæ sint, ideo docet ad singulas partes non fieri descensum determinatum, sed confusum sub disiunctione, sicut cum dico, alter oculus est necessarius ad videndum: si subiungas: ergo dexter determinate, vel sinister, falsum est; sed alterutro tantum opus est.

Quamuis apertissimum esset discrimen, propositiones inter de futuro hinc, & inde de præterito, aut præsenti, vt planè cæcus sit, qui non videat, aut proteruus qui id neget; tamen tantæ molis fuit, aut tantæ necessitatis, stabilire scientiam mediam omnium futuram cardinem, & fulcimentum; vt ne ab vllius scientiæ ruinâ abstineretur, oportuerit illius iacere fundamenta ab elementis Logicæ conuulsis: & ab Aristotelis non solùm sententiâ recedere, sed etiam illi impingere ignorantiam rerum, quas præ reliquis partibus Philosophiæ adeo subtiliter, & profundè tractauit; vt Logica Aristotelis humani ingenij apex, & vltimus conatus meritò appellari possit.

Huc te aduoco Ludouice, *cum risum*, dicis, *te continere non posse*. Vbi audisti argumentum hoc insolubile, soluendum restare? Puto sanè risum hunc illius generis esse, quo Saluianus sui sæculi Ieremias correptos dicebat Christianos in mediâ rerum desperatione; nec tibi alius est ab hac difficultate exitus. Aristoteles non ignouauit rationem harum triplicis generis propositionum,

vidit latissimum discrimen propositionum de futuro contingenti, à propositionibus de præsenti, aut præterito: has in se vel in causis determinatas, secus illas, ac proinde non pati leges contradictoriarum, nisi sub descensu confuso, vt exemplo oculi demonstratum est ad oculum, quo vno non solùm colliduntur quæcumque habetis argumenta; sed etiam omnia effugia præcluduntur: ita vt siue responsionibus, siue argumentis agatis, vnica vobis supersit petitio principij, quare res futura sit, & verum sit esse futuram, respondetis quia futura est. Hoc de præsenti, & de præterito captu facillimum est; at de futuro omnem etiam effugit imaginationem illæsam.

A possibili argumentum capio ad futurum: sicut illud antequam sit in se quicquam, vel cum purè nihil est, non cognoscitur, nisi vi causarum, in quibus continetur; ita cum futurum in se nondum sit, contra sensum communem dicitur in seipso cognosci determinatè, causis etiam suspensis. Deinde cum æterna sit illius futuri cognitio, oportet illius transitus à possibili ad futurum causam dari æternam: Quæ vero alia esse potest nisi decretum? Dices ipsummet transitum tempore futurum: at quâ ratione cognosces? non vi causæ sed vi sui. Vides ergo te semper petere principium; te vrgeri rationibus Philosophi, differentia futuri, quod à præterito, & præsenti cum recedat & propius sit possibili, nisi lumen naturale eiurare velimus; fatendum est scientiam mediam sola petitione principij niti, & hoc est nihilum illud, vnde extracta est moles ingens, quæ colossum Babylonicum æquat, similior illi debilitate argillæ, qua nititur, quàm reliquarum partium amplitudine.

Addo aliud fortè validius superiori: admitto propositiones de futuro contingenti, æquo iure cum aliis frui, & iisdem omnino legibus metiendas; ita vt quo momento, etiam naturæ, aut rationis, contradictorias propositiones de futuro concipis, alteram illarum oporteat esse veram, alteram falsam, & vtrumque cognosci à lumine infinito, & increato: hoc est vnicũ vestræ scientiæ mediæ fundamentum, quo assero non astrui, sed funditus euerti, aut quod perinde est, illius vsum prorsus tolli, ad diuinæ prouidentiæ ordinem stabiliendum: nam si quæ sit eius vtilitas, vel efficacia, tota est in eius, vt sic loquar, primogenitura, vt antecedat absolutorũ conditionem, sicuꝫ

generatio verbi, vel intellectio, amorem increatum, & personalem: & vt sit exploratrix consensus futuri sub conditione, quo cognito illæsâ libertate, cognitio, & decretum de absolutis consequatur: at si ex lege contradictoriarum habeat determinatam veritatem, cur idem ius negabitur contradictoriis absolutis?

Istæ sunt ante omne decretum perinde conceptibus Dei, aut nostris obuiæ; aut, vt sic loquar, formabiles, sicuti conditionatæ; imò, cum sint simpliciores, & hæ compositis præeant, propositiones absolutæ occurrent intellectui diuino, eodem rationis, & naturæ instanti, quo conditionatæ: Ergo istæ nullâ ratione antecedunt: Ergo nullus erit vsus, nec subinde subordinatio, cum nulla sit etiam rationis prioritas; ac proinde ante decretum, ante generationem verbi, & si velis etiam ante hypotheticarum propositionum formationem, determinationem, aut notitiam, stabit absolutarum propositionum certa veritas, & noritia quâ verbum procedit, vt aliquando vnus è nostris vrgebat in Thesibus publicis, & nihil responderi potuit. Antecedet etiam compositarum, & conditionatarum propositionum cognitionem. Ad quid ergo scientia media, nisi vt sit aduentus medici post mortem, & ad nihilum valeat vltra, nisi vt mittatur foras? Huius argumenti, quod sæpiùs Thomistæ, & maximè Gonzales vrgent, non dicam solutionem, sed nec commemorationem factam ab Aduersariis hactenus legi, vel audiui.

Atque vt erudito Lectori breuem, & accuratam tabellam eorum subijciam omnium, quæ sparsim, prout Aduersariorum obiectiones exigebant, à me dicta sunt de nostris controuersiis, in quibus nihil nobis reliqui facit Ludouicus præter conuitia, vel auram popularem apud ignaros, inuidos, & hæreticos: progressus nostrarum disputationum genuinam imaginem habes ex elemento aëris in tres diuiso regiones, quarum suprema sphæræ ignis iungitur, media est, quâ creantur nubes, fulgura, & tonitrua, & in infima viuimus, & respiramus: hunc triplicem statum habent nostræ controuersiæ, supremus est disputatio de cognitione possibilium in essentia, vt in causa; medius est scientiæ conditionatæ, vel naturæ vel vsus; omnium infimus, sunt consecutiones, quæ potissimùm tribus argumen-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [537] - 477
PUBLIC DOMAIN

tis continentur, quibus Ludouicus triumphat.

Viderit ipse, quid emolumenti referat ex prime, & secundo statu: tertio, & infimo, fateor illum aliquantulùm respirare: sic tamen se ad hanc scriptionem comparauit, vt videatur potiùs ad triumphum, ad victoriam, vel ad prædam accessisse, quàm ad iustam pugnam: vnde licet nostra responsio non habeat tot capita, quot eius liber, fortè plus habet sensus, & succi.

Carpit cap. 16. & sequenti editionem libri; & putat se conuicisse Authorem duplicis culpæ, mendacij, & violati decreti, quo prohibetur, ne quid de auxiliis edatur: Atque vt ab istis, tanquam leuioribus me breuissimè expediam: Quæro quid totâ suâ Bibliothecâ, agat noster Author? Defendit S. Doctorem: à quibus? A recentioribus impugnationibus Fasoli, Ripaldæ, &c. quæ in illorum libris extant: de quibus agunt? De his, quas à Mariali tractatas ægrè fert Ludouicus, & subinde reum peragit violati decreti Pontificij.

Mira sanè æquitas! Damnat eum, qui se & Magistrum tutatur: absoluit eos, qui huius defensionis necessitatem imposuere. Iura aggressores grauant, & fauent his qui se defendunt: At Ludouicus, si superis placet, vult ius nouum cudere, vt liceat grassari in insontes, D. Thomam lacerare: sed reos, & sacrilegos pronunciat, si qui Magistrum vindicent à manibus grassatorum. At quâ ratione, inquis, Mariales dicit, opus suum cusum anno 1638. & meminit libri damnati, Authore Patre Rabardeo anno 1643? Respondeo opus vniuersum Marialis non fuisse scriptum, & editum anno 1638. sed illa pars, vbi meminit Rabardei scripta fuit post 1643. Impressor, qui priorem tomum non vulgarat, apponere voluit eundem annum 1638.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

Defensio Sybillæ.

SEd grauiter expostulat de P. Alexandro Sybilla, quòd specie impugnandi Iansenium scribat contra Petauium & Ricardum, præsumptionis accusat Molinam, liberiùs agat in Petauium, Scholam Societatis vocet Petauianam, plus æquo attollat D. Thomam, & mul-

habeat Ianseniana, quale est, Primò auxilium efficax pertinere ad actum secundum; Secundò Pelagianum esse, negare gratiam per se, intrinsecè ac præcisè efficacem; Tertiò gratiam efficacem communem Thomistis cum Caluino differre consecutione; quia Caluinus vult tolli potentiam proximam dissentiendi; & alia id genus habet multa, quæ tangit potiùs, quàm vrgeat: in primis non video aliam huius expostulationis causam, quàm delicatissimum illæsæ felicitatis sensum, quæ non possit ferre, vel minimum ictum, & nolit æquo cum aliis iure viuere.

Molina inuentam à se concordiam dixit ignotam fuisse Augustino cum maximo Ecclesiæ damno, & si Sybilla hunc præsumptionis redarguat illos hallucinari dicat, reus erit sacrilegij. Si Scholam recentem Petauianam vocet, à vero non recedit; quia ille est præcipuus scriptorum in Iansenium, de quâ re agitur, & fauet gloriæ Gallorum, quæ augenda, non obscuranda esset Ludouico: cum aliunde pauciores præ aliis nationibus ex Societate, Gallia scriptores habeat, non fuit illi inuidenda, quam eruditione adiuncta eloquentiæ Sirmundus, & Petauius Galliæ compararunt; quæ possit compensare defectum, à me notatum. Quod verò D. Thomæ asserat consensum SS. Patrum præ aliis, superius à nobis demonstratum est. Responsum est etiam plenissimè illi conuenientiæ, quam falsò asserit Thomistis interesse cum Caluinistis, aut Ianseniistis, & nihil affert, quod à nobis constituta labefactet.

Nec si caperet veram interpretationem sensus compositi, & diuisi, vllam putaret esse repugnantiam gratiæ cum potentiâ ad oppositum, licet sit cum actu oppositio. Nec verum est, quamcumque suppositionem antecedentem esse causam necessitatis; imò, vt optimè dicit, & probat Sybilla, est potiùs effectrix libertatis. Nec etiam contra hoc vrget, quod annotat nono loco, gratiam efficacem cõtrariam libertati esse, quia connaturali agendi modo voluntatis conformatur, non solùm in ratione voluntarij, quale admittit Framundus in amore beatifico; sed modo agendi liberè, cum indifferentiâ iudicij, & voluntate obiecto superiore, ac proinde cum potentiâ dissentiendi; hanc verò gratiam efficacem propugnatam ab Augustino contra vltimum Pelagij præsi-

dium, alibi demonstrauimus, ac proinde hanc gratiam Augustinianam esse : an verò sit de fide; expectamus Summi Pontificis decretum. Hoc certissimè scimus, Thomistas non casuros stante Augustino, & Augustinum nunquam casurum. Sunt enim Augustini, & Thomæ Dogmata inconcussa. Vt Alexander VII. Pont. Max. pronuntiauit Breui ad Vniuers. Louanienſem relato.

Non omittam, quod secundo & tertio loco carpit Ludouicus ex Sybilla, nempe iudicium practicum pertinere, sicut gratiam efficacem, ad actum secundum; & posito illo, non adesse iudicium proximum de bonitate suspensionis actus. Vt hæc duo breuissimè refellam, & superiora confirmem: peto à Ludouico, num propositis ab intellectu multis, aut bonis, aut mediis, quorum nullum voluntati necessitatem imponat, sed sint indifferenter prosequenda; voluntas se determinet ad alterum illorum tanquam sibi conuenientius, vt suam libertatem ostendat, sine vllo iudicio, vel actu intellectus distincto à priori; vel admittit nouum iudicium ex applicatione voluntatis, quo intellectus vel imperat actum electionis, vel iudicat hic & nunc conuenientiùs illud medium eligendum? Si primum asserat, manifestè contradicit omnium sapientum, & Sanctorum Patrum sensui, & ipsimet lumini naturali: voluntas enim non potest se determinare, nisi habeat hunc sensum, hic & nunc conuenientius est illud appetere: at cum cæca sit, non potest à se ipsa habere illum actum, quod summi iudicij est: Ergo habet ab intellectu, & illum dicimus priorem & posteriorem esse in diuerso genere causæ; ac proinde inferre actum voluntatis infallibiliter in sensu composito, non diuiso; & cum nihil sit euidentius necessitate illius iudicij vltimi practici, necessariò componendum est, cum libertate, vt etiam ex Bellarmino supra notauimus: Si autem Ludouicus velit scire, an nobis aliquid superſit vltrà conuitia, legat de hac re Aluares in suo opere de auxiliis, Io. à S. Thoma p. 2. de Voluntario disp. 6. art. 2. & Salmanticenses disp. 2. & occurrent Athletæ, cum quibus luctari, imò & à quibus vinci non erit inglorium.

Finis libri secundi.

LIBER

LIBER TERTIVS.

DEFENSIO THEOLOGIÆ Moralis Dominicanorum.

IVSTIVS libri Argumentum est origo huius belli infœliciſſimi, quod ipſi victori ſit perpetuo lugendum. Nunquam in Dominicanos, & ſubinde in Summos Pontifices calamum diſtrinxiſſet Theophilus, neque nobis grauis impoſita fuiſſet neceſſitas, nedum innocentiam noſtram, ſed etiam ſupremam Pontificum authoritatem propugnandi aduerſus calumnias illius Auctoris, niſi de communione pro mortuis, de Martyrio per peſtem, de Epiſtolari Confeſſione ſcripſiſſet, digna quæ Romæ damnarentur: cuius æquiſſimam, & mitiſſimam Cenſuram cum ferre non potuerit, exarſit in iudices, eorumque adminiſtros; neque Summis Pontificibus pepercit. Ideo pars hæc accuratius eſt tractanda, ne videar deeſſe officio, ſuccumbere oneri, & cauſæ digniſſimæ præuaricari, ne ipſe ſibi applaudat, & ex iniuſtâ damnatione ſuorum librorum, credat ſibi æquam, ac neceſſariam datam, tot conuitia ſcribendi, & importandi nobis occaſionem.

SECTIO PRIMA.

Refellitur Liber Theophili, qui inscribitur error popularis de communione pro mortuis, à Congregatione Indicis damnatus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Occasio huius Libri, & nostræ Apologiæ.

CVm hâc quartâ Diatribâ omnes Dominicanos lacessiueris, & plures eorum sigillatim, tum maximè mihi videris, duos illorum deligere, quos acerbiùs, & furiosiùs exagites; scilicet Dominicum Bannes, quem facis Caluinismi reum, in quem iamdiù scripsisti tuam Religionem Bestiarum, antequam ederes etiam alium libellum à te inscriptum *De concordiâ, & affinitate doctrinæ Dominici Bannes, & Caluini, circa Prædeterminationem Physicam, Authore Petro Paulo à bellis*, quem Petrum Paulum finxisti esse Apostatam Dominicanum: nec minùs crudeliter sæuis in P. Generalem ob damnatum Opusculum *de communione pro mortuis*. Mihi visum est è re fore Ordinis nostri, si vtriusque causam susciperem, & breui, ac validè, hos duos libros à te scriptos refellerem.

Non mirum est, Theophile, si ad finem Diatribæ quartæ insultes P. Generali; si tibi applaudas, si triumphes, si ad omnes vniuersitates orbis Christiani appelles, & ab illis iam damnatum, quem accusas, & te absolutum iactes. Ita est, Petre, si te referente, si inauditâ parte pronuntiauerint iudices: nam tu ita causam inuertisti in totum, vt aliam subijcias iudicandam, quàm quæ Romæ agitata fuit. Numquam venit in mentem iudicibus, quos traducis, in controuersiam reuocare, an communio facta à Laïco, prosit defunctis ex opere operato; non ignorabant communionem esse partem, aut potiùs vsum, & applicationem Eucharistiæ, vt Sacramentum est; & hoc differre à seipsâ, vt est sacrificium,

quòd soli sumenti prosit ex opere operato, cum sacrificium interdum nihil sacrificanti prosit, noceat etiam; & iis sit vtile, & efficax, pro quibus offertur. Sed Romæ comperta erat tuæ scriptionis causa, quam tutatus es, & dissimulas.

Sciat ergo vniuersus orbis Christianus, quem tu falsò imbuis, & commoues, te nullo pietatis, nullo proficiendi studio, sed solâ æmulatione, quâ soles transuersus agi, distrinxisse calamum in Patres S. Andreæ à Valle, quòd non possis ferre frequentiam illorum Ecclesiæ, & solitudinem tuæ. Ad S. Andreæ singulis hebdomadæ secundis feriis confluit quidquid ex primâ nobilitate virorum, aut mulierum Romæ, habet pietas Christiana. Ibi dies feriales videntur versi in solemnissimos totius anni; eò conueniunt Cardinales Principes, dum tuæ Ecclesiæ eo statu sunt, vt ibi lamentationes Hieremiæ videantur recantandæ; *Viæ Sion lugent, eò quod non est qui veniat ad solemnitatem.* Quid tu interim, dum hæc videres? Tabescebas præ liuore, & sicuti insecta non aliud genus habent armorum præter stimulum; ita tu calamum, & atramentum parasti in illud pietatis exercitium, quo sciebas populum à tuâ Ecclesiâ reuocatnm S. Andreæ frequentare.

En verissima causa tui libri, cui respondeat oportet vt effectus suo principio: non agis Theologum, sed Sophistam. Non affers rationes, sed argutias, sed ineptias, & interdum impietates: non vis errorem popularem tollere, sed populum à Patribus Theatinis ad tuos euocare. Cum illa fuerit tui libri occasio, scilicet liuor & inuidia, cum multa & ferè omnia occurrant ab illo effectu nata, quid mirum, fuisse prohibitum, cum resipiat genium liuoris? Quare frustra obtendis pag. 323. te hæc scribere nouitatis euellendæ causa; cum nullus, qui sciat, quid sit Sacramentum, quid sit opus operatum, possit comminisci, quam fingis, & oppugnas opinionem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Tria subsidia, quæ adueniunt mortuis, ex communicatione viuorum.

CONCEDIMVS tibi, quod operosè probas, hominum otiosissime, Eucharistiam vt sacramentum esse cibum, & medicinam, & sumenti tantum conferre gratiam, vel remittere peccata quæcumque ex opere operato. De pœnâ temporariâ concedimus etiam, Eucharistiam non esse per se institutam ad illius leuamen, aut indulgentiam; sed non est dubium, quin ratione communi Sacramenti, quâ gratiam confert, & auget, & habet adiunctos motus omnium virtutum, & illos ciet, aliquid pœnæ debitæ tollat: nec puto te negaturum, illam remissionem pœnæ, vbi nostri iuris fuerit, posse aliis communicari. Id enim habet ex communi ratione bonorum, quæ fideles sibi mutuò dant, qualis est, illa remissio pœnarum, vndecumque comparetur: neque enim, vt in alios transferri possit, verum est, quod dicis numero 10. *Vt vis satisfactiua possit transferri, debere esse germen operum nostrorum liberorum, & proprietatem illis ex naturâ rei adnascentem, de quâ tanquam domini possimus disponere; cuiusmodi*, inquis, *non est vis remittendi reatum pœnæ temporariæ ex opere operato.*

Si tua probatio efficeret, quod proposuisti; excluderet inter fideles commercium indulgentiarum, nec posset quis, quam semel lucratus est, vlli viuorum, aut mortuorum communicare; quia indulgentiæ dantur nobis, quasi ex opere operato. Certè non metimur illas valore operum nostrorum. Dices, eas fieri nostri iuris, ac proinde nos posse aliis impertiri. Quidni idem dicas de remissione pœnæ ex opere operato, per quodlibet sacramentum collectâ? Nonne perinde nostri iuris est, ac indulgentia? Si hanc negare nequeas communicabilem aliis; certè non poteris, nisi protervè agas, dissentiri, quin eadem sit ratio remissionis pœnæ per sacramentum, & per indulgentiam. Aliàs, cedo discrimen.

Habemus ergo ex hoc capite, prodesse posse communionem aliis, præter communicantem. Atque hæc mu-

tuatio, vt sic loquar, indulgentiæ per sacramentum obtentæ, fieri poterit alteri multò certiùs, si in antecessum offeras Deo pro aliis, antequam ad sanctam Synaxim accedas, & tuis vsibus applicetur. Dices, eâdem ratione posse communicari alteri gratiam ex sacramento recipiendum: sed quis nesciat latum inter gratiam & remissionem pœnæ, discrimen esse; quòd illam nequeat vllus hominum suis meritis comparatam, alteri communicare: neque enim vllus patitur gratiam à se amoueri cum tanto detrimento, vt fiat minùs sanctus, minùs gratus Deo, minùs etiam in Deum affectus & propensus? Ideò si ab vllo Sanctorum; etiam à Deiparâ viatrice exegisses, aliquam, comparatæ meritis de condigno gratiæ, portionem, respondisset, sicut sapientes Virgines stultis à se oleum petentibus, *ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.*

Solus Christus infinitè sanctus ipsa diuinitate, quâ delibuta est eius humanitas, potest gratiam sibi condignè debitam aliis impertiri; quia inde nullum detrimentum patitur, nihil minuitur, nec Dei amor in ipsum, nec reciprocus amor ipsius in Deum. Hoc nulli creaturarum, etiam Deiparæ contingere potest. Verum, cum pœnæ remissio extrinseca sit, nec sanctiorem faciat, aut Deo gratiorem, quilibet nostrûm potest istius cum laude prodigus esse, sicut honestissimè gratiæ auarus. Sed ne huc totam Theologiam transferam; stet immobile hoc decretum, pœnæ temporariæ remissionem, siue labori nostro debitam, siue per indulgentiam concessam, siue haustam ex sacramentis, posse aliis donari. Habemus ergò, Theophile, te etiam inuito & reluctante, posse hoc nomine communionem alteri proficuam esse non institutione sacramenti, sed ratione communi remissionis pœnæ, vndecumque proueniat.

Addo etiam, Eucharistiam vt remedium, aut cibum sumptam, sin immediatè, & proximè, saltem remotè, depulsâ infirmitate, & reparatis viribus efficaciùs ad aliorum bonum & solamen operari; sicut cibus, quo milites reficiuntur ante prælium, plurimum confert ad victoriam, & subinde ad patriæ, aut principis salutem, & gloriam. Nil ergo proficis, Petre, tuis argutiis, quin fructuosa aliis esse possit communio, multis modis, si

excludas sanctificationem per gratiam, aut peccatorum remissionem, plurima aliis adiumenta conferre, vt patet exemplo militis ante prælium refecti, cui Dux victoriam debet. Non dedignabor, abiecto quodammodo argumento, id confirmare, ex more in conuiuiis præbibendi aliis; quam verborum formulam, sic vnus ex heroibus huius sæculi interpretabatur; hoc edulium, aut poculum sumam in meam salutem, & tuum obsequium: ita planè in hoc sacro conuiuio Eucharistiæ remedium & cibum sumimus, vt sanati, & roborati meminerimus, nos ita nostram salutem, & perfectionem debere curare, vt alienæ nos totos impendamus.

Huic secundo emolumento, quod excommunione aliis potest cedere, tertium adiungam ex principiis communi Theologorum sensu receptis, altius repetitum. Non est dubium, sacrificij incruenti altatis infinitam esse vim, seu impetrandi, seu satisfaciendi pro pœnis, quibus obnoxij sumus; & hoc argumento est, quod omnes, qui missæ adsunt, qui sacrificium suis manibus, vel sacerdotis, & omnes adstantes, aliquem etiam ex opere operato fructum percipiant pro suo modulo, & captu, seu ratione feruoris quo interfunt sacrosancto, & adorando mysterio; ita vt multitudo adstantium nihil minuat cuiusque portionem: aliàs captandæ essent missæ, quibus pauciores interessent, vt eo majorem fructum quisque perciperet, quò esset minor audientium numerus: sed hoc à communi sensu fidelium abhorret, qui eò vberiorem credunt se capere fructum quò plures sacrificio interfint. Vnde fit inexhaustam vim eius esse, quâ in vnumquemque maior fructus deriuatur, quò attentior animus, quò ardentior fuerit religio & pietas. Atqui illi numquam fœliciùs excrescunt affectus, & feruescunt, quàm cum sub finem paramus nos ad sacram Synaxim, & ad portionem sacrificii consequendam: ergo etiam hoc nomine, cumulatior tibi continget indulgentia, & pœnarum remissio, quam possis mortuis communicare. Non est igitur error popularis, sed Catholica & Theologica assertio; communionem laicorum fructuosam esse posse aliis non immediatè, sed remotè; non ad culpæ, sed ad pœnæ reatum auferendum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [546] - 486
PUBLIC DOMAIN

Hi sunt tres quasi canales, & aquæductus communionis, qui per cæcos meatus deducunt aquas Siloe in loca subterranea, vt mortuorum æstus refrigerent. His tribus quasi canalibus adiungi possunt totidem, quos Theophilus num. 26. refert ex illorum sententia, qui hanc communionem pro mortuis induxerunt, quorum odio potiùs quàm studio veritatis, conatur hos aquæductus obturare, aut demoliri. Promisi me hoc examine duo aperturum; scilicet scriptionis causam, quod iam impleui; secundo errores quos continet, quos rationum vi potius, quàm arrogatâ mihi iudicis authoritate euersum eo. In primis, nihil in exordio libelli, aut parte primâ vsque ad 25. num. nec in postremo à num. 43. vsque ad calcem; occurrit quod in controuersiam deduci possit; totum virus in medio positum est, vbi rationibus futilissimis, & aliquando etiam impiis, conatur auferre Catholicis tria auxiliorum genera ex Eucharistiâ, quibus prodesse possint aliis, & maxime mortuis.

Primo ergo laudanda, & commendanda communio est pro mortuis, quod oratio tempore communionis fusa, sit admodum feruens, ac proinde valdè satisfactoria; qui fructus transferri potest in defunctos. Eo pertinet secundum subsidium, quod iam demonstrauimus à communione hauriri; cum illo remedio curati, aut recreati cibo, fortiùs ad aliorum salutem adlaboramus; nec inde aberrat cogitatio Ioannis Sanchez, relata à Theophilo, nempe animas purgatorij habere aliquod solatium, ex frequenti fidelium huius perceptione sacramenti, quod sperent feruentiores & fortiores fore ad opem sibi ferendam.

Addunt secundo huius pij exercitij authores, prodesse communionem mortuis, ob adiunctas communioni Pontificum liberalitate indulgentias, applicandas mortuis per modum suffragij & solutionis: neque enim verisimile est Iconibus Sanctorum, Rosariis, & aliis id genus indulgentias adiunctas ad solutionem defunctorum, & negari vel sacrificio Missæ, vel communioni, quæ expressam habent, huius & plurium mysteriorum fidei imaginem. Hoc auxilij genus respondet primo à nostris.

Tertiò denique addunt, communionem mortuis fructuosam, vt est opus nostrum, non præcisè vt est sumptio Eucharistiæ, & per os in stomachum traiectio, quod etiam peccatoribus, & brutis potest aduenire: sed vt est complexio omnium virtutum, quibus ornatur anima, vt dignum fiat habitaculum, huius sanctissimi Sacramenti, quocum apud nos *inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Potestne salua pietate, aut fide negari, Christum receptum cordibus nostris, lucem esse mundi, & quamdiu præsto, & præsens est, multò plura ac diuiniora, animabus bona conferre, quàm lux solis sensibilis soleat huic mundo aspectabili? Quis potest nisi sacrilegus dubitare, cum suæ Christus nobis præsentiæ copiam facit, nos omnium charismatum vbertate beare? Et cum ea sit ingentium bonorum ratio, vt diffuant, & in alios redundent; putasne harum benedictionum expertes futuras animas, quæ tum ipsomet Sacramento, quod Symbolum est vnionis, tum Fidei, & Charitatis vinculo nobiscum arctissimè iunguntur? Communio quasi vasa capacissima omnium gratiarum genere implet, quæ his à me explicatis canalibus sine detrimento plenitudinis in alios redundant.

ARTICVLVS TERTIVS.

Defenduntur tria hæc præsidia contra Sophismata Theophili.

QVid affers, Theophile, quod huiusmodi communionis redundantiam recludat? Quam futilis, ne dicam impia est tua prima argumentatio? *Oratio*, inquis, *fusa in communione, non est communio: ergo etiamsi prosit oratio, communio nil prodest.* Nisi velis verbis ludere; certè reipsâ insanis. Orationis feruor à communione nascitur, quia Christus iterum venit ad nos ignem mittere, & summè optat vt accendatur; ergo si à communione est orationis efficacia & feruor; ab ipsa sine dubio totus est fructus, qui nascitur ex orationis feruore. Nonne vides, hanc esse causam, illam effe-

ctum? Ac proinde distingui oportere, & orationem maximè fructiferam esse, quia igne communionis accenditur.

At; inquis, *alia sacramenta non suscipiuntur in salutem fidelium; quis enim hoc fine matrimonium contraxit, aut baptisatus est? Ergo nec communio eâ de causâ frequentanda est.* Quæ consecutio? Quid censes Sacramentorum præstantissimum nihil habere singulare? Ad hoc animarum purgatorij solatium, opus est Sacramentum frequentari, & esse copiosissimæ, & vberrimæ virtutis; Reliqua si pœnitentiam excipias, quæ est dispositio ad Eucharistiam, semel tantùm vel forte bis, aut tertiò per totam vitam suscipiuntur; frequentia est solius Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quæ vnam communionem consummant, vt dicit Paulus, probet *seipsum homo* per Sacramentum pœnitentiæ, & purgatus de *illo pane edat* ad Sacram communionis mensam. Quid mirum ergo si hæc duo Sacramenta quotidiana, suscipienti, & aliis prodesse possint?

Hæc duo, quæ ex te retuli, licet futilissima, excusari possunt; sed quæ subiungis num. 22 non solum falsa sunt, sed impia. Ioannes Sanches, iudicio Dianæ subtilissimus & acutissimus; meo verò laxissimæ, & periculosissimæ doctrinæ, qui peccatoribus omnia indulget, (nescio, quâ ratione verba, quæ ex illo retulisti, & quæ aliquid pietatis resipiunt, illi exciderint;) censet animas lætari ex perceptione Sacramenti, ratas nos eò fieri promptiores & fortiores ad opem sibi conferendam. Sed tu adeo longe es à pietatis sensu, vt hanc piam cogitationem totis viribus, sed semper futilibus argumentis extinctum eas: nullum, inquis, gaudij sensum admittit doloris magnitudo in animabus purgatorij. Vnde hoc habes. Quibusdam maior erat passionis Christi cruciatus igne purgatorio; & tamen Canum quasi hæreticum traducis, quod eo tempore quo maximè vrgebat dolor, gaudium beatificum subduxerit ab anima Christi. Deinde, vt hoc qualicumque solatio fraudes animas, ignaras facis sacrificiorum, & communionum, quæ illarum causa fiunt; quasi abessent Angeli, qui illis ita significarent, vel expertes corporis essent nobis stupidiores, qui vno quadrante pos-

sumus ad calculos certò reuocare, quot sacrificia, quot communiones fiant singulis diebus per omnes orbis Christiani partes.

Quæ hactenus retulisti, quamuis voluntaria, & nulla, verisimili ratione dicta, vtcumque tolerari possunt. Sed quâ ratione patiemur te apertissimè Paulo contradicentem, cum negas Eucharistiam vt Sacramentum, Christi passionis imaginem præferre, aut refricare memoriam? Cum ipse de communione, ideſt de vsu Sacramenti expressissimè dicat: *Quotiescumque manducabitis hunc panem, mortem Domini annunciabitis.*

Futiliùs agis, & grauiùs peccat, cum refellis secundum ex communione à mortuis fructum colligendum, ratione indulgentiarum, quas diximus multo iustiùs communioni adiungendas, quàm iconibus sacris, aut granis piacularibus. Poteras ne ineptiùs argumentari, quàm cum repetis, quod in primum genus auxilij effutijsti? *Communicare*, inquis, *non est lucrari indulgentias*: ita profecto est; distincta sunt, quia vnum fit causa alterius: sed adeone cœcus es, vt non videas hac argumentandi licentiâ omnes indulgentias euerti? Sicut indulgentiæ conferuntur largientibus pecunias ad fabricam sancti Petri, visitantibus Ecclesias præcipuas vrbis; ita communicantibus animarum purgatorij causa. Sicut ergo is, qui confert ex suis bonis aliquid ad fabricam Ecclesiæ, fit indulgentiæ compos; ita is, qui communicat. Poteras ne apertiùs demonstrare, te omninò gratis has communioni annexas indulgentias impugnare, cum probes applicatas Rosariis, & Iconibus? Quid? Postponendumne censes imaginem Christi suo exemplari plenissimam, istis Diuorum Imagunculis?

At, inquis, hæ mortuorum gratiâ collatæ indulgentiæ differunt ab his quæ, impertiuntur viuis, quod illæ dentur per modum suffragij, & solutionis; istæ per modum iudicij, & absolutionis; atque ex hoc primo discrimine secundum deducis, scilicet viuos indulgentias lucrari non posse, nisi sint in gratiâ constituti, mortuo vero indulgentiæ possunt à peccatoribus, si iniunctum opus impleant, & animabus purgatorij impertiri,

Esto non sit ominò improbabile discrimen quod astruis; tamen multo probabilius, aut certius est, nullam nobis, vel animabus Purgatorij lucrari posse indulgentiam, si simus extra statum gratiæ, vt censet Bellarminus, quia indulgentiæ primariò viuis conceduntur & secundariò mortuis: vnde debent prius illas viui facere sui iuris, vt mortuis impertiri possint. Et licet hoc in vniuersum reuocare possis in dubium; tamen certissimum est, cum id genus operis iniungitur, quod citra peccatum mortale fieri nequit, nisi à iusto, qualis est, de qua agimus communio; nunquam à Summi Pontificis huiusmodi operibus, saltem communioni, etiam in mortuorum gratiam adiunctam esse indulgentiam, quin velint, & statuant non valituram, si à peccatore fiant; alias ipsimet sua consilia euerterent; quæ eò spectant, vt his indulgentiis, veluti quibusdam adminiculis, & calcaribus, fideles promoueant ad illa pietatis exercitia, ad frequentiam communionis sanctam, non sacrilegam: Quidquid tandem sit, quem duorum sequemur, an te, an Bellarminum? Iste semper tuta sectatur; tu verò per prærupta incedis, & verè dux cœcorum, in foueam præcipites das, quotquot te sequuntur.

Quæcumque dixisti contra duo superiora subsidia mortuorum ex communione condonari possunt: sed quæ contra tertium opitulandi modum obijcis, non longè absunt ab impietate hæreticorum. In primis purum Sophistam agis, aut potius Sacramentarium, dum communionem vis esse species ore receptas, & in stomachum demissas, quorum nil deesse potest bruto Eucharistiam deuoranti. Inde verò quidnam infers? Nempe nullum, aut certè modicum existere posse fructum, & in mortuos deriuari ex communionis, siue impetratoriâ, siue satisfactoria virtute: at nos secùs sentimus: nam communione fructifera pro mortuis totum id continetur, quod Paulus monet adhibendum; scilicet vt probemus nos, an rei simus alicuius peccati lethalis, vt etiam venialium affectum abijciamus, vt thalamum floridum Sponso venturo paremus, pietatis, & pœnitentiæ lacrimis rigemus, ornemus omni genere virtutum, vt mixtâ Centurionis reuerentiâ cum alacritate Zachæi, venientem excipiamus, amplexemur

arctissimè, illo fruamur, exclamemus cum sponsa: *quis det te fratrem meum sugentem vbera*, &c. Hæc omnia, pluraque alia communionis nomine significamus. Ad illas à me descriptas certus sum inuitare Patres Sancti Andreæ, & prouocare indulgentiis Summos Pontifices. Censes ne, tum fore satisfactorias, ac subinde animabus purgatorij proficuas?

Audebis ne dicere, quod scribere non erubuisti? *Consensus connubiales magis profuturos; Eucharistiam nihil habere peculiare vltra matrimonium, & te mirari aduersarios non inuitare fideles ad illud pro mortuis ineundum?* Et adhuc quæris causam libri tui prohibiti, adhuc conquereris ab indice damnatum? Quid poterat Caluinus dicere grauius, & atrocius in contemptum communionis Romæ receptæ, confirmatæ indulgentiis Pontificiis, quam tu ausus es appellare errorem popularem, & illi ad leuamen animarum purgatorij æquare, vel anteponere amplexus maritales? Nescio certè an hæreticorum vlli ista scripsissent.

Sed vnde, mi Petre, de communione ita abiectè sentis, & nobis contraria? Iam definiuimus esse animæ Christianæ cum Deo germanissimam societatem, & cum Christo eiusdem naturæ, ac subinde Sponso, connubium fœliciſſimè initum, ac breui consummandum; at Petrus nihil putat esse aliud, *quàm species deuoratas*. Vndenam communionis hanc ideam hausit? Fortè ab vsu suo: singulis vt credo, diebus more sanctissimi sui instituti Sacrum facit per plures annos animo in Dominicanos iniustissimè implacabili, rancore inueterato, iniuriarum memore, vindictæ tenacissimo, & vt paucis dicam, ita comparato in pios & bonos, vt vix par odium in Turcas, & hæreticos excusare possis. Quid ergò homini sic constituto communio esse potuit, nisi quod asserit, species deuoratæ? Et vtinam, ne in æternam illius damnationem, quam si Euangelij regulas consulamus, nescio an possit euitare tantâ probos lacerandi licentia, tanto eoque errore, vt putet in iis se nil peccare, sed sacrificium se præstare Deo. Aut peccatum nihil est, vt dicunt athei, aut quæ ex te retuli, quotidianas communiones, & mensam tibi in laqueum vertunt, & scandalum.

Fortè idem in me regeres, ſed clypeum habeo impenetrabilem, quo huiuſmodi tela repellam. Dicam cum Paulo, *inſipiens factus ſum*, & tui in ſpeciem ſimilis, *ſed me coegiſti*, & inuitabilem impoſuiſti neceſſitatem inculpatæ tutelæ, cui ſi defuiſſem, non imputaſſes modeſtiæ, & humilitati; ſed imperitiæ, ignauiæ, & vt dicis, latinitatis inopiæ. Deinde ſumus diſſimillimi, tu falſiſſima fingis, ego ex multis veris quæ poſſem reponere, grauiora taceo, & leuiora dico; denique tu in caput Ordinis, in omnia membra, in totum Inſtitutum furis, & debaccharis: ego tuum inſtitutum, vt ſanctum colo, tuos omnes veneror, comprimo quæcumque poſſint in illorum dedecus reſilire, vnus mihi ſcopus eſt, tuis calumniis omnem veri ſpeciem, tibi omnem fidem abrogare de aliis detrahenti.

Concludo, hanc tuam ſcriptionem habere quid ſimile omnium, quibus ſuperiori ſæculo agitata fuit Italia motuum origini, & occaſioni, quam Guicciardinus Author accuratus, ita enarrat. Tres totius Italiæ familiæ potentiſſimæ Aragonia Neapoli, Sforria Mediolani, Medicea Florentiæ, fœdus inierant arctiſſimum, & reliquis Principibus formidabile. Alexandro VI. in ſedem Apoſtolicam aſſumpto, omnes nouo Pontifici certatim congratulatum ibant; viſum eſt Ludouico Sfortiæ ad commendandum fœdus cum Aragonio, & Mediceo, vnum nomine trium ad Pontificem legatum mittere: id ægrè tulerunt Petrus Medices, & Epiſcopus, qui Florentinorum nomine, orationem congratulatoriam, de quâ mirè ſibi blandiebatur, parauerat, & ne Petro apparatus legationis periret, ne Epiſcopi indicta eſſet oratio, fœdus maluerunt cum Sfortia, & Aragonio labefactare, vnde turbata eſt Italiæ tranquillitas.

Ineptior & magis cœcus eſt Petri in ſuos libros, quàm illius Epiſcopi in ſuam orationem fatuus amor; vt nihil penſi habeat illius causâ omnia turbare: ſcripſerat errorem illum popularem in guſtum operis, cui titulum dedit *hetheroclyta ſpiritualia & anomala pietatis*. Diſplicuit plurimum ſapientibus illud ſpecimen futuri operis: non latebat congregationem Authoris prurigo quâ laborat, non ſolum ſcribendi, ſed omnia ſuggillandi, & ſuo corruptiſſimo iudicio ſubiiciendi: Nullum fore finem

errorum popularium videbant, si impunè vtilissimum exercitium liceret annumerare erroribus popularibus: nihil in religione tutum fore à licentiâ huius ingenii; & eò tandem venturum, vt cultum imaginum, suffragia pro mortuis tanquam errores populares traduceret: hæc pluraque alia rationum momenta, sapientissimos iudices congregationis indicis impulerunt, vt hunc popularem errorem edi prohiberent. Quid tum Author libelli? Multò acerbiùs tulit hoc suum opus improbari, quàm ille supra nominatus Episcopus, orationem paratam supprimi; & vterque maluerunt, Ecclesiam, aut Rempublicam turbari, quàm se præsumptâ gloriolâ fraudari.

Verum ne te dimittam, erudite Lector, ieiunum, aut quod peius est, gustu exacerbato tot amarulentiis quas libellus ille nobis ministrauit, hunc suauiorem apponam ab argumento de quo hactenus non alienum: sicut triplex Conceptionis Diuinæ, aut Filii Dei genus, mente, aut corpore, aut vtroque iunctim Theologi distinguunt; & si has conceptionis partes conferas, præstat mente, quam corpore concepisse, & omnes superat conceptio, & maternitas Deiparæ, quæ corpore excepit & genuit quem ante mente conceperat: ita de communione statue: Iungi possumus Christo mente & ore seorsim, aut vtroque simul: scio præstare puro affectu charitatis, oratione mentali, & reliquis, quæ refert Petrus, exercitiis, quàm ore, quàm speciebus, vti possunt bruta & peccatores; sed si vtrumque iungas, & sacramentali communioni addas spiritualem, tum accedes ad Deiparæ maternitatem. Hanc communionem instituerunt PP. S. Andreæ, hanc docent, hanc consulunt, hanc tandem, concludo à Petro impugnatam, libello iustissimè prohibito.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [554] - 494
PUBLIC DOMAIN

SECTIO SECVNDA.

Compendium & iudicium controuersiæ inter Theophilum Raynaudum, & Thomam Hurtado, quo demonstratur illa omnia peccasse Theophilum quæ nobis toto libro falso imponit.

APologiam pro sacra Congregatione Indicis adornabam, eamque promoueram; cum ad manus meas peruenere libri duo, vnus Leodegarii Quintini, seu Theophili Raynaudi titulo, *Theologia antiqua de veri Martyrii adæquatè sumpti notione contra Thomam Hurtadum*: alter isto Authore, *Duplex antidotus, contra duplicem libellum Raynaudi de Communione pro mortuis, & de Martyrio per pestem.* Vix licuit inter scribendum, aut opus fuit hos libros attingere: nam examen libri de Communione pro mortuis absolueram, antequàm Thomas Hurtadus mihi ab amico missus fuisset. Hi duo Authores contentione maximâ, & maiori conuitiorum acerbitate disputant de Martyrio per pestem, vnde prima origo scandalorum, & de Communione pro mortuis: placuit vtrumque legere, interiectâ nostrâ scriptione, & inspicere an semotis conuitiis, quæ omnino dimidiam operis partem implent, aliquid haberent, quod ad rem nostram faceret, & à me fuisset omissum.

Vidi vtramque controuersiam fusè & accuratè, & cum magnâ eruditione à Thoma Hurtado fuisse pertractatam, & plura ex antiquitate singularia & recondita collecta, quæ demonstrant, vtrumque Theophili librum iustissimè à sacrâ congregatione fuisse notatum, & prohibitum, & Authorem inique conquestum fuisse de censurâ illi inflictâ: nec non suffragia priuatorum Doctorum, & Academiarum captasse, & dolo obtenta, si verè obtinuit, frustra ostentare, & pessimo consilio opponere sacræ Congregationi, quasi velit Academias Catholicas ad bellum contra Romanam Ecclesiam sollicitare & accendere.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [555] - 495
PUBLIC DOMAIN

Visum mihi est, me facturum rem non solum Apologiæ nostræ commodam, sed etiam toti Ecclesiæ vtilem, & Lectoribus acceptam, vt cum vtriusque libri copia desit, vel non liceat adeo longas disputationes legere, si quid verum, aut scitu dignum habeant, paucis complecti: atque huius laboris, si quæ laus sit, quæ certè modica est, & nullam quæro, erit diligentia in redigendis certa methodo duobus libris ad breuissimum compendium, sine dispendio eorum, quæ ad rem faciunt.

ARTICVLVS PRIMVS.

Iudicium & Compendium controuersiæ de communione pro mortuis.

DE Communione pro mortuis, si pariter mutuas expostulationes aut conuitia submoueas, pauca sunt in bene longo libro, quæ plenè nostro examine de errore populari non attigerimus: placuit tamen obseruare iudicium Dei in Theophilum, cuius exemplum altè clamat, *Discite iustitiam moniti & non temnere sacra.* Ipse insontes Dominicanos accusauit, primò hæresis, secundò contumeliarum, ac pene blasphemiæ in Diuos, & in Sedem Apostolicam, tertiò ignorantiæ, seu falsarum & absurdissimarum opinionum, quartò nugarum, mendaciorum, liuoris, maledicentiæ in viros probos: sed altissimo Dei iudicio, vtroque suo opere de communione pro mortuis, & de martyrio per pestem prolapsus est in ipsamet crimina quæ falsò Dominicanis obiecerat, & in illa multò grauiùs impegit vtriusque libri defensione, non tam contra Thomæ Hurtadi scriptionem, quàm contra Congregationis censuram: vt inde discant omnes, paris esse periculi criminari & calumniari insontes, & Sedis Apostolicæ iudiciis intercedere. Vtriusque criminis dat pœnas Theophilus, & exemplo ipse erit omnibus, ne similia audeant, nisi velint in se aduocare iudicij diuini seueritatem.

De meo nihil apponam nisi breuitatem, & methodum, vt demonstrem Raynaudum fuisse conuictum ab Hurtado in Antidoto contra errorem popularem, & illius

illius Apologia omnium criminum, quæ falsò Dominicanis impropetauit. Primò eius libellus docet, vel certè resipit hæresim Aetianam, Lutheranam, & Petrobrusianam, vt demonstrat Thomas sui libri Paragrapho tertio & decimo; neque ab illâ notâ se potest vindicare, nisi abyssus abyssum trahat, & vt hæresim effugiat, incurrat in Eucharistiæ, & bonorum operum contemptum planè sacrilegum. Hæresis Aetij, Lutheri, & Petrobrusianorum, quæ non in eo solum posita est, quod neget sacrificium Ecclesiæ prodesse animabus quæ in Purgatorio torquentur; sed etiam quod non admittat opus vllum bonum viuorum vtile, & proficuum esse defunctis; & cum eximium pietatis Christianæ opus sit, vel communio, vel oratio impetratoria; nescio, quâ ratione deprecari à se poterit eorum hæreticorum consortium, & contagium, cum asserat communionem vel orationem impetratoriam, leue, vel nullum esse subsidium animarum Purgatorij: & hoc locis citatis validissimè vrget Thomas maximè argumentis Petri Cluniacensis contra Petrobrusianos, quos egregio libro oppugnauit.

Nec vllâ cauillatione potest primam illam hæresis accusationem deuitare Theophilus, nisi se det præcipitem, vti facit, in secundum crimen contumeliarum, vel sacrilegiorum contra Eucharistiam & eximia opera pietatis, vel contra Sanctorum reuerentiam: hoc triplici reatu illum grauat Hurtadus variis locis sui operis. In primis Paragrapho decimo nono, hoc in illum argumentum intorquet. Negari non potest quin communio spiritualis sit opus pietatis perfectum, cum Concilium Tridentinum Sectione decimâ tertiâ, capite octauo illam impensè commendet, & dicat tunc fieri, cum nimirum voto propositum illum Cœlestem panem edentes fide viuâ quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentiunt: hanc verò communionem spiritualem addit, ex Thaulero fieri posse centies per diem, à iusto non sine immenso fructu, modo adsit pia deuotio. Negabit-ne Theophilus huius spiritalis communionis fructus participes esse posse viuorum beneficio defunctorum animas? Potestne etiam negare, quin communio spiritualis Sacramentali iuncta multò

perfectior, multóque efficacior sit sola spirituali? Quod si ex ista seorsim sumptâ possit in defunctos maximum solamen deriuari; nescio, an citra impietatem scripserit: *communionem spiritualem, & sacramentalem leue, aut nullum esse animarum solatium.*

Idem etiam vrget Paragrapho decimo, quia Theophilus defensione erroris popularis eò deuenerat, vt diceret, *persuasionem ad frequentiam communionis ex subsidio animabus purgatorij inde conferendo, esse indignam, sordem non ferendam, piam fraudem, escam falsi fructus, stropham prætextu promouendæ pietatis, tectoriam falsitatis:* Quid adhuc indigemus testibus ad Theophili damnationem? Quid vltra, exclamat Hurtadus, dicerent Petrobrusiani? Quid aliud Aëtius, vel Lutherus de piis operibus viuorum, animabus purgatorij applicandis, quàm quod sibi permittit Theophilus de opere omnium præstantissimo? Cuius vult, vel exiguum, vel nullum esse fructum; imo esse escam falsi fructus; cum contra clament Sancti Patres maximam esse Eucharistiæ vim ad purganda omnia peccata: cum instituta sit, non solum quâ sacrificium, sed etiam quâ Sacramentum, & quâ esus est panis sacri, vt *mortem Christi annunciemus*, cum etiam ex iisdem Sanctis Patribus fuse ab Hurtado relatis maximæ sit virtutis impetratoriæ.

Sed ad hæc Raynaudus duplici responsione suam in Eucharistiam impietatem congeminat: ad hæc enim argumenta dicit primùm; Eucharistiam, seu communionem viuorum, si quid prosit mortuis, multò minus, id esse leuamen, quàm ex vllo alio Sacramento, vel ex ieiunio; quæ cum plus laboris habeant, quàm vnius particulæ absorptio, erunt etiam satisfactoria magis, ac subinde plus inde vtilitatis redundabit in mortuos, cum illam labore per defatigationem, metiri debeamus.

Etsi nihil aliud mali, aliud absurdi docuisset Raynaudus, quàm quod illa prima responsione continetur, grauiorem sine dubio censuram commerebatur, illâ, quâ notatus est: Quid enim potest dici, magis aut à vero, aut à reuerentiâ huius Sacramenti alienum? Et nisi ignorantia culpam minueret, à sacrilegio excusari non

posset. Ignorantiam aperit Hurtadus Paragrapho sexto, quod Raynaudus nesciuerit, hæc duo distinguenda: baptisari, communionem sumere, aut quodlibet aliud Sacramentum nomine alterius; vel illi vim satisfactoriam susceptionis Sacramenti applicare. Hæc duo adeo diuersa sunt, vt primum sit error Marcionistarum, qui induxerant hunc morem, vt interdum viui baptisarentur nomine, & loco illius, qui decesserat sine baptismo, & credebant hoc illi prodesse: hunc errorem damnat S. Thom. Lect. 6. in cap. 6. Ioannis: Sed licet nullus possit quasi procurator nomine alterius suscipere baptismum, aut Eucharistiam, aut contrahere matrimonium, nil tamen impedit, quin possit satisfactionem huiusmodi operationum, quibus se parat ad Sacramenta, aut illa suscipit, alij communicare; sicut, & reliquorum operum bonorum. Cur enim non eadem lege censeantur? Quasi deterioris sint conditionis, quod Sacramentis inseruiant.

Ex quâ distinctione accuratè explicatâ ab Hurtado Paragrapho 6. omninò corruit argumentum, quod Raynaudus repetit ab exempio aliorum Sacramentorum: omnia enim prodesse possunt, sicuti communio secundo sensu, non primo accepta. Sed part. 4. eiusdem Paragraphi merito dicit indignum esse, quod proferat vir Catholicus, plus prodesse mortuis ieiunium, vel quodlibet aliud Sacramentum, quàm communionem; quod illa plus pœnæ habeant, quàm ista: quasi tota vis satisfaciendi & proficiendi aliis haurienda sit à labore externo corporis, aut non potiùs à præstantia, & subindeà difficultate ipsius operis. Quodnam verò potest cum communione certare, hâc duplici dote, ad quam velut ad certam regulam exigere debemus omnem vim satisfactoriam, impetratoriam, aut quamcumque aliam, quæ bonis operibus inesse possit? Fateor si laborem & subinde satisfactionem, aut emolumentum communionis velimus metiri, ad mentem Raynaudi, qui non aliam cõmunioni subesse difficultatem putat, quàm quæ communis sit glutionis hostiolæ, seu sit consecrata, siue non sit; meritò eius vim, & pretium ad animas è purgatorio redimendas constitueremus, infra vel minimum opus bonum. Sed vt Hurtadus Paragraphi 9. par-

te 4. *hac ponderatio Theophili fallax omnino est, & à librâ Catholicorum declinans, & panem Eucharisticum qui calore charitatis coquendus est frigidum in furnum immittit.* Quid potest dici magis à communi sensu Patrum omnium, de Eucharistiâ alienum? D. Thomas quæst. 7. ad supplementum art. 9. ad tertium, dicit baptismum hoc differre ab Eucharistia, quod cum sit spiritualis regeneratio, non prosit nisi genito ex opere operato, quamuis ex opere operantis prodesse possit, sicut cætera opera meritoria; sed cum Eucharistia signum sit Ecclesiasticæ vnionis, eius efficacia potest in alios magis sese effundere, quàm reliquorum Sacramentorum, Communio reliquis Sacramentis vtilitate in alios præstabit: quod etiam idem Sanctus Doctor in 4. dist. 45. quæst. 2. artic. 3. confirmat ex hoc capite, quod suffragia viuorum prosint defunctis, vel ratione charitatis, quâ vniuntur inter se, vel ratione intentionis in defunctos directæ; & ideo Eucharistia præ omnibus aliis prodest mortuis, quia pertinet ad charitatem, & est Sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis continens Christum, quo tota Ecclesia vnitur, & consolidatur.

Et si velimus etiam rem hanc secundum Raynaudi regulas metiri: difficultate rei, Communio reliqua pietatis opera, secundum Sanctos Patres, & vtilitate in omnes superabit. Quid enim laboriosius, aut difficilius dignâ Dei susceptione, quæ omnes creatæ naturæ vires longè vincit? Hinc illæ voces SS. Patrum, Eucharistiam *cibum grandium, & panem fortium esse*, aut Mysterium omnium maximè horrendum. Hinc apparatum omnium virtutum exigunt, humilitatem, fidem, confessionem Sacramẽtalem à conscio peccati mortalis, etiam contrito, non solum ad decentiam, sed etiam ad necessitatem Sacramenti. Viderit Raynaudus, quid commune habeat cum Sanctis Patribus, & cum huius Sacramenti dignâ, & laboriosissimâ susceptione illa vox profana, & digna omni seueritate censuræ, *quis labor est in glutitione, tantillæ hostiæ?*

Quamuis librum Hurtadi non vidissem, cum de hâc controuersiâ scripsi; tamen cum ipso planè conueni, & tria fructuum genera dignè communicantibus cum ipso

numeraui, quæ etiam possint ex opere operato communicari defunctis. Primum fructum satisfactorium cum ipso repeto ab oblatione Sacrificij Missæ, cui interest communicaturus. Hunc fructum explicat Paragrapho decimo sexto, & addit triplicem esse posse, primò si sacrificio interfis, secundò si des stipendium Sacerdoti, tertiò si communices. Aliud genus fructus satisfactorij petitur ab ipsa communione, vt est Sacramenti susceptio, secundum communem legem Sacramentorum, quæ infusione, vel augmento gratiæ aliquid pœnæ temporalis remittunt. Tertius tandem fructus est ab iniunctis indulgentiis, quas Summus Pontifex largitur, vt piorum studium ad communionis frequentiam, & ad leuamen defunctorum accendat. Has autem omnes satisfactiones pœnales communioni adiunctas, etiam ex opere operato posse animabus purgatorij ad arbitrium piorum communicari, probauimus suprà cum de hâc re ageremus; nec quidquam objicit Raynaudus, nisi vt dicit Hurtadus inania, & ventosa obluctamenta.

Ex quibus omnibus constat, falsam, ac pœnè impiam esse sententiam, Communionem parum, aut nihil posse prodesse mortuis; cum illi quatuor satisfactionum genera constare demonstrauerimus, quæ sint arbitrij fidelium, & possint illa impertiri animabus, vt fusè defendit Hurtadus toto ferè suo opere, sed potissimum Paragrapho nono decimo quinto, vsque ad finem libri.

Quid si satisfactoriæ virtuti impetratoriam adiungas, quam Eucharistia, & communio propè infinitam habet? Sed illam etiam Raynaudus eleuat duplici responso. Primò ait, orationem quâ impetratoria est, inutilem defunctis; secundò Communionem tenue subsidium esse animabus Purgatorij prout impetratoria est ratione actus nostri: sed hanc Raynaudi responsionem planè conuellit Hurtadus, tum paragraphi 10. par. 4. & seq. tum Paragrapho 13. In primis non potest negari, quin ex consensu omnium SS. Patrum, vtraque Ecclesia triumphans & militans pro patiente oret: id enim habent precationes solemnes pro defunctis, *vt*, *Beatâ Mariâ Virgine intercedente*: & omnes hâc clausulâ ab-

ſoluuntur, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Vnde Petrus Cluniacenſis ſuo libro contra Petrobruſianos, hæc quatuor probanda ſuſcipit; bona viuorum viuis, mortuorum mortuis, viuorum mortuis, & mortuorum viuis prodeſſe. Fruſtra autem Beati, aut iuſti precarentur pro defunctis, ſi verum ſit quod aſſerit Raynaudus orationem, prout impetratoriam, inutilem eſſe mortuis. Atque vno verbo, Eccleſiam damnat, & SS. Patres, qui has precationes commendant, inutiles iuxta Raynaudum; & etiamſi admittat proficuas, ad cumulum erroris, negat adiuuari Communione. Sed imprimis poterat addiſcere à Suarez, Orationem, vt impetratoriam, quatuor modis vtilem eſſe animabus purgatorij. Primò quia obtinet viuis auxilia, quibus velint, & poſſint animabus opem ferre: Secundò vt Beati Cœlites expoſcant à Deo ſuas ſatisfactiones illis applicari: vel tertiò, vt vnus Sanctus id ab illo impetret: vel quartò, vt intenſiore pœna tempus purgatorij contrahatur, & acceleretur gloriæ conſecutio.

Id vero minimè ferendum habet reſponſio vltima, quod aſſerat communionem, quà impetratoriam, parum habere momenti, aut ſubſidij: nam cum duplex ſit oratio impetratoria, vna expreſſa, altera interpretatiua, qualis erat ſanguinis Abel clamantis ad pœnam, & qualem nonnulli Theologi cenſent, eſſe Chriſti in cœlo Patri vulnerum cicatrices monſtrantis: Quis poteſt negare, vtrâque vi impetratoria Euchariſtiam, & communionem maximè præſtare; cum corpus Chriſti adſit, qui vtroque genere, vel alterutro in cœlis pro nobis orat: & cum aliunde vis impetrandi ſit à fiducia diuinæ bonitatis, & potentiæ quæ velit, & poſſit de nobis benè mereri; vbinam apertiora vtriuſque attributi argumenta occurrunt quàm in Euchariſtia?

Si Apoſtolus cenſuit primæ ad Corinth. decimo quinto, eos qui bono animo licet falſo errore, mortuorum nomine baptiſabantur, hâc ipsâ voluntate illorum causâ ſuſcipiendi baptiſmum, illis profuiſſe; poteritne citra impietatem aſſerere inutilem fore Communionem, quâ Chriſtus ipſe ſuſcipitur mortuorum causâ frequentatam in Eccleſiâ, & à Sanctis Patribus com-

mendatum? Nam vt Hurtadus toto Paragrapho vndecimo demonstrat, ritus est antiquus Ecclesiæ Catholicæ communicandi ad singulas Missas, vt Laïci participes essent sacrificij oblati, & eius susceptione mortuos iuuarent.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Theophilus iniurius in Sanctos.

EX his ergo omnibus conuincimus Raynaudum duplicis contumeliæ in Eucharistiam, quod illi vim ferè omnem satisfactoriam, & impetratoriam auferat; neque his duabus iniuriis contentus, totidem addit in hoc Sacrameutum, in diuos, & in opera pietatis: nam in primis ipse, qui vnicam sanctæ Brigitæ reuelationem in Conceptionis Immaculatæ gratiam toties commendauit, & falso improperauit nobis quasi illam eleuaremus; cum Cardinalis Turrecremata præfationem in librum harum reuelationum quasi Apologiam scripserit; modo tamen vt apertè demonstret, se non veritatis causâ, sed ex merâ contentione disputare, compertas de communione pro mortuis reuelationes Beatæ Ioannæ à cruce sanctæ Gertrudi factas, & plures alius à Ludouico Blosio pijssimo, & iuxta grauissimo scriptore relatas, ridet Petrus impietate dignâ Erasmo, aut Luciano: & adhuc de censurâ suorum librorum conqueritur, cum ausus sit scribere illa, quorum etiam hæreticos puderet. Et Antonius de Vvinghe illustrator operum Blosij annotauerat ad marginem in cap. 6. de Monili spiritual, vsum esse, & doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, animas à Purgatorio liberari pietate sumentium Eucharistiam illarum causâ, vt probat exemplum à Blosio relatum.

Quid ad hæc Raynaudus? Vix ausim referre. *Forsan*, inquit, *ille qui communicauit, laborabat anginâ. & sic cum magno labore hostiam consecratam, deglutijt, vt in labore corporali satisfactionem pro illâ animâ reperiret.* Quæ addit, horret animus scribere, vt mirum sit pœnam tantæ impietatis, non solum librum vnum,

aut alterum, sed etiam omnia opera; & ipsum nomen Authoris damnationem hactenus non subiisse. Hoc argumentum prosequitur Hurtadus toto Paragrapho 10. Post illud impietatis exemplum, penè superfluum est aliorum meminisse.

Quartum denique in communionem, & in reliqua pietatis opera iniuriam vrget Author, toto paragrapho 18. Ecclesia nihil non tentat, vt fideles ad pietatis exercitia sollicitos habeat, nec vllum omittit argumentum, quo illorum reuerentiam, & affectum in sanctissimum Sacramentum augere possit. Itaque rata non postremum esse studium iuuandi parentes, & amicos defunctos, illo affectu naturali prudentissimè vtitur, vt prouocet ad frequentationem Communionis, causâ mortuorum faciendæ, & illi etiam plures indulgentias adiungit.

Quid ad hæc Raynaudus? Illa in totum damnat: *Non eget*, inquit, *Christiana pietas his commentis, nec admittit huiusmodi tectoria sinceritas, & veritas; quasi non habeamus plus satis illiciorum ad frequentationem Eucharistiæ, adornetur pia fraus, & obiectâ escâ falsi fructus, inuitantur fideles ad crebram sacræ mensæ additionem.* Arbitrabar exhaustam omnem impietatem; sed videtur continuò crescere: certus sum, nihil Caluinum atrocius scripturum, contra prudentissimam Ecclesiæ, & Summorum Pontificum, rerum sacrarum œconomiam, & dispensationem. Quid verius & solidius explicatâ à nobis doctrinâ de fructu ex communione à mortuis percipiendo? Hanc tamen non rationibus, sed conuitiis refellit scriptor Catholicus, & religiosus, & commenta vocat, sordes, quibus Summos Pontifices, & Ecclesiam conspurcat. Mira est sanè Summi Pontificis patientia, qui ista ferat, nec vlciscatur.

E quatuor capitibus à nobis propositis, quò totam disputationem Thomæ Hurtadi reuocauimus; absoluta sunt duo priora de hæresi, & de rerum Sacrarum contemptu.

ARTICVLVS TERTIVS

Paradoxa Theophili.

SEquitur tertium de opinionibus falsis & absurdis: sed cum omnia quæ ex Raynaudo refutauimus, ad istud genus pertineant, addemus tantùm duo absurda, & penè paradoxa, quibus imperitia demonstratur hominis, qui in omnes censoriam virgam assumpsit. Et illud in primis in Hurtado refellendum, & irridendum suscipit, quod orationem dixerit esse essentialiter submissionem ad Deum: & ad omnia Dictionaria prouocat, quibus hæc duo, inquit, toto cœlo differunt.

Sed Hurtadus illum arguit tanquam grammatices magis, quam Theologiæ peritum, & paragraphi 14. part. 10. à Dictionario grammatico prouocat ad Theologicum, & ex D. Thoma, & Caietano 2. 2. quæst. 83. art. 3. demonstrat, orationẽ hominem reuerentiam Deo exhibere, quatenus se illi subijcit, non præcisè ex humilitatis sensu, quatenus se nihil esse reputat, sed ex indigentiâ, vt agnoscit se à Deo omnium bonorum Authore pendere, & ab illo suis malis remedia efflagitat.

Verum error ille primus excusari potest præ altero, quo animas purgatorij videtur in infernum deijcere: præ dolore intensissimo omnis solatij, & gaudij expertes, ac ferè impatientes facit. Hunc verò errorem præ cæteris operosè, & efficacissimè repellit Hurtadus toto paragrapho 7. & variis argumentis exagitat. Primum sumit à statu animarum purgatorij, qui medius est inter Beatos omnis doloris, & damnatos omnis gaudii immunes; animæ verò Purgatorii vtriusque status extremi participes mixtum habent cum dolore gaudium, cuius tot & tantæ causæ suppetunt, vt verissimè dixerit S. Catharina Senensis, se à Deo audiuisse, neminem præter Sanctorum animas in paradiso solidiora, aut vberiora gaudia percipere animabus purgatorii. Cui reuelationi suffragantur celeberrimi Theologiæ Scholasticæ, & Mysticæ Scriptores, nec illis desunt huius gaudij causæ efficacissimæ: nam in primis fide certum est

illas hoc loco detineri, vt velut viuicomburio torqueantur donec expurgatæ fuerint, & ab huiusmodi pœnis viuorum suffragiis leuari. Ex his duobus ergo principiis, quasi necessariâ consecutione nascitur gaudium, cum certò sciant, sibi viuos opem ferre, vt quam primum ab huiusmodi tormentis liberentur.

Sed solidius gaudium ab ipso Deo, vel summè perfecto, & infinito, vel sibi bono percipiunt: hi enim sunt duo fontes, vnde nascitur ille, *fluuius qui ciuitatem* beatorum *latificat*, & Cœlicolas omnes *torrente voluptatis* inebriat: hæc enim est, cumulata illorum fœlicitas, quòd sciant quid in se sit Deus, & quid sibi per totam æternitatem sit futurus: vtroque bono delectantur animæ iustorum in purgatorio reipsâ, & plene primo, spe altero. Hinc à Thoma Hurtado profundè distincta pars superior & inferior intellectus, & voluntatis; & ineptè à Raynaudo refutatur hæc distinctio. Certum enim est à D. Augustino, & D. Thoma has facultates, quasi aërem in varias regiones diuidi, in superiorem, quæ æterna contempletur, & ab illis agendorum regulas excipiat; & in inferiorem, quæ temporalibus attendat: illa Deo subiiciatur, & in se illapso fruatur; ista verò creatis dominetur, vel ab illis patiatur. Huius discriminis luculentum argumentum est Christus patiens, & beatus: atque ad illud exemplar, quod in Caluariæ monte monstratum est, animæ Purgatorij suis pœnis gaudia admiscent; aut potius seiuncta diuersis partibus, quasi regionibus continent; & dum igne corporeo alligantur, & torquentur parte inferiori, fundus animæ Deum præsentem habet, eoque incipit frui, gustum futuræ beatitudinis iam spe perceptæ capit.

Non possum supersedere à tertio paradoxo Raynaudi quod eodem paragrapho par. 9. & vlt. refellit Hurtadus: cum enim videret sibi imminere graue periculum, & insolubile argumentum pro subiectâ disputatione communionis, à sacramento, quod die Parasceues celebrat Ecclesia, & animabus purgatorij etiam applicat his verbis. *Quod ore sumpsimus Domine, purâ mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.* Et eâ die non fiat consecratio panis & calicis, sed ex præsanctificatis fiat oblatio & communio pro animabus,

purgatorij; inde manifeste conuincitur, Eucharistiam, qua sacramentum, Ecclesiæ more, animabus defunctorum applicari & proficuam esse.

Quid ad hæc Raynaudus? Cum nihil haberet, quod responderet, quasi desperatione adactus, negat hanc consumptionem specierum esse communionem; sed quoddam sacrum similitudinarium, vt videre est in Missâ nauticâ, quam siccam vocant. Esto non fiat sacrificium: quod si vltro concedam, vim argumenti auget: non potest negare esse sacramenti susceptionem, quæ prosit mortuis: & hic est nostræ disputationis finis, & fructus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Mendacia, Calumniæ, & Maledicentiæ in Hurtadum.

HIc Articulus est breuior futurus; quia si velimus singula prosequi, exscribendus esset liber integer; cum nihil aliud sit quam mendaciorum, & conuitiorũ illuuies, vt ipse titulus demonstrat. Vnum mendacium annotabo, quod sit instar omnium. Triplici ait, oppugnatione appetitum suum de communione pro mortuis opusculum: Primâ à consortio cum hæresi Aetii, & Lutheri: Secundâ variis argumentis à Thoma Hurtado, & de his abunde actum est: tertiam, inquit, oppugnationem adornauit Augustinus de Bellis, qui agnoscit, ipsum euicisse quod obtendebat, errorem esse popularem communionem pro mortuis, & falli plebem ex desiderio, suos vitâ functos iuuandi communicantes: sed non debuisse hunc errorem curari, quia perinde est, siue per veritatem, siue per falsitatem Deo seruiatur, dummodo seruiatur. Hæc Theophilus.

Sed falsissimum est, Augustinum de Bellis concessisse, vmquam Raynaudum probasse, quod proposuerat; sed refutato efficaciter eius libello, secundam & conditionatam responsionem adhibuit: esto populus ex ignorantiâ inuincibili deceptus fuisset; non debuisse à frequentatione communionis semoueri, cum ignorantia inculpatum

faceret ; & si animabus Purgatorij nihil emolumenti conferret hæc Communio, ipsis Communicantibus vtilissimam esse , nec debuisse hoc fructu fraudari. Nihil verius, & prudentius hoc responso Augustini , sic à me explicato , nihil mendacius illo , quod Theophilus fingit.

Supersedeo à referendis falsiloquiis , conuitiis in Hurtadum congestis. Id solum obseruabo Hurtadum scripsisse contra nouam opinionem Raynaudi , cum modestiâ & grauitate dignâ Theologo , laudasse tanquam virum valde eruditum & pium ; sed addidit se mirari, quod ita stomachatus fuerit , aduersum communionis pro mortuis vsum , qui pius & rationabilis esset , tum ad excitandam compassionem animarum Purgatorij , & voluntatem eas iuuandi ; tum etiam non mediocrem deuotionem in venerabile Eucharistiæ sacramentum , nec sub specie pietatis , & religionis animabus carceri mancipatis auferendum. Addit , Raynaudum deditum fuisse Latinitati , quâ fatetur pollere , magis quam Lectioni doctorum Sac. Theologiæ , quos male intellexit. Tertio Raynaudum arguit , quod dixerit audacter, non esse habendam fidem , reuelationibus Sanctæ Brigitæ, Geltrudis, & similium sanctarum mulierum. Quarto mirum est quantum extenuet Raynaudus mortuorum subsidia , videtur enim, vt dicebat ille, mortuos flagellare. Quinto & vltimo Raynaudus finxit , quem feriret, quia nemo Catholicorum opus operatum somniauit.

Hæc summa est eorum quæ scripsit Hurtadus in defensionem communionis pro mortuis , confirmatæ decreto congregationis contra libellum Raynaudi. Iudicet æquus Lector , an excesserit metas modestiæ disputationis ; an habuerit Raynaudus causam expostulandi , & congerendi in Hurtadum plaustra conuitiorum : sed Raynaudus adeo delicati sensus est , adeo præposteri iudicij , vt putet , graue crimen esse , si quid improbetur eorum, quæ asserit , & cum omnia sibi in alios permittat , nihil vult aliis in se licere. Itaque vbi primum audiuit Thomam , pro peste damnatum à congregatione martyrium improbasse ; antequam liber Thomæ ad manus eius peruenisset , hanc Lugduni die vndecimâ Decembris 1652. epistolam scripsit. *Quod attinet ad Tho-*

nam Hurtado, nondum vidi; sed nihil quidem ad me pertinet, ego non sum hospes in huiusmodi Bambilionibus contundendis, iam sex multaui, Barresium, Camerarium, Chiesonium, Dolanum, Launoyum, Goldulphum, & omnes aque durè: nemo eorum ausus est redactitare. At videro quid notet, apparabo illi moretum salitum, & piperatum, nisi agat de martyrio, circa quod oportet me dextre agere, & tempus præstolari opportunum: quamquam nec circa hoc abibit prorsus impune, si foueam suam ibi repereris Criticus.

Ex hac Epistola nosse licet Authoris ingenium, & incredibilem vanitatem: ignauiæ aduersariorum imputat, & suorum librorum terrori, quod à grauitate, à modestiâ, & prudentiâ Christianâ profectum fuit: supersederunt à scribendo, ne cum homine insanire viderentur, & ne conuitiis, quo reuocare solet disputationes omnes, certarent; ne scandalo essent fidelibus, & Ecclesiam ridendam propinarent hæreticis, qui vnus est librorum huiusmodi fructus.

Videat etiam prudens Lector, an ea, quæ ex Hurtado retulimus, dederint Raynaudo iustam occasionem hæc scribendi ad Patrem Auersa Generalem Hurtadi, *Breuiculum aberrationum, falsiloquiorum, & petulcitatum in opere Hurtadi deprehensarum.* Vbi nam sunt illa falsiloquia; illæ petulcitates? Doctrinam antiquam, Ecclesiæ decreta, & congregationis Romanæ, solidissimis rationibus & pari modestiâ, ac grauitate defendit Hurtadus; & hæc vocat Raynaudus falsiloquia, petulcitates, & putat sibi licere illi, per conuitium dare cognomina *Bucca ferrei*, *pilosi*, vt ostendat, non doctis dictis certare, sed maledictis, & certare tanta clamositate, ac præfidentiâ, vt Ennianum *Tarantantara* fragore superet eius Baubatus.

Totus autem eius conniſus, quoad hoc negotium, in illud incumbit, vt fabre factâ ex suo cerebro nouâ notione Martyrij, sanguine, vt ait violenter per tyrannum effuso rubricati, excludat à martyrum albo Sanctos Alexandrinos, quos veluti martires Ecclesia colit, quamuis non pro asserendâ fide fuerint mortui; sed pro charitate in pauperes. Videamus, an iustior sit Raynaudi contra

Hurtadum de martyrio per peſtem, quam de communione pro mortuis expoſtulatio.

SECTIO TERTIA.

Compendium & iudicium Controuerſiæ, de martyrio per peſtem.

IDEM eſt Hurtadi in hâc controuerſiâ de martyrio per peſtem ius, & rationum robur contra Raynaudum, quod ſuperiori de communione pro mortuis; par etiam futurus eſt exitus, & Hurtadi certa victoria de Raynaudo iuſtiſſime damnato decretis ſacræ Congregationis iudicis, Præfecto Bernardino Cardin. Spada Epiſcopo Albanenſi: & ita habet cenſura; *de martyrio per peſtem ad martyrium improprium, & proprium vulgare comparato, Diſquiſitio Theologica Theophili Raynaudi: eiuſdem error popularis diſcuſſus. Anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti* 1647. *indictione decimâ quartâ die vero vndecimo menſis Martij, &c.* Hoc decretum defendendum ſuſcipit Thomas Hurtadus contra libellos duos Theophili.

ARTICVLVS PRIMVS.

Status Controuerſiæ proponitur ex Hurtado.

NE de vocibus, vt fieri ſolet, diſputatio inſtituatur, accuratiſſimè variis exemplis ſtatum controuerſiæ explicat Hurtadus. Sicut, inquit Antidoto primo ad finem paragr. 14. & Antidoto 1. paragr. 1. parte vndecimâ, Duplicem obedientiam diſtinguit S. Doctor 2. 2. q. 104. a. 2. Vnam, quæ eſt ſpecialis virtus, cuius obiectum formale eſt præceptum tacitum, vel expreſſum ſuperioris; aliam, quæ eſt generalis, & reſpicit voluntatem ſuperioris quocumque modo inſinuatam: ſic etiam diſtingui ſolent reliquæ virtutes gratitudinis, humilitatis: & ad id genus diſtinctionis omnino reuocanda eſt hæc de martyrio Diſputatio. Vnde, vt illud apertius

obedientiæ exemplum vrgeamus, & inde lux hauriatur, & nebulæ omnes dispellantur, quas offundit Theophilus: sicut is, qui obseruat mandata Dei, ex motiuo virtutis temperantiæ, & charitatis, &c. ad quam subiecta materia pertinet, dicitur obedire Deo in actu, quasi exercito materialiter, quia voluntatem Dei implet, quamuis formalissime ex motiuo obedientiæ, vt est specialis virtus non pareat; & Religiosus, qui regulam implet, etiam nullo imposito præcepto, obedire dicitur, etsi non respiciat speciali virtute obedientiæ, præceptum aliquod formale, & expressum: idem plane de martyrio dicendum est.

Vnde eodem loci Hurtado argumentum ineluctabile elicit, quo simul controuersiæ statum explicat, propositam veritatem demonstrat, & confodit aduersarium, atque omnes eius technas dissoluit. Obedientia quæ resplendet in omni actu virtutis exercito, & inobedientia, ac ingratitudo, quæ in exercitio omnis peccati mortalis elucet, si illa comparetur ad veram & specificam obedientiam, & ista ad veram, & specificam inobedientiam, & ingratitudinem, est materialis, impropria, & analoga obedientia, ingratitudo, inobedientia, nec ab illis rigore Theologico dicitur quis formaliter proprie & specifice inobediens & ingratus: nec ab illâ duplici notione obedientiæ abstrahitur vnus conceptus vniocus, sed dumtaxat analogus: ergo idem omnino dicendum est de martyrio sanguinis, quod propriissime martyrium est ex sensu totius antiquitatis, & de martyrio per pestem, quod analogicè, & materialite tantum hoc nomen habere potest.

Illustrat hanc eandem controuersiam exemplo huius *nominis Apostolus vel apostata & hæreticus.* Certum est propriissimè Apostolatus iura solis duodecim à Christo designatis competere per totum orbem missis, cum facultate Ecclesias vbique instituendi, & scribendi libros canonicos: hoc tamen Apostoli nomen, non æquo iure, sed vere & analogice D. Xauerio attribuit Raynaudus: ita Duplex ex scripturâ hæresis, genus est, vitâ, & moribus negantium fidem, vel sensu, & verbis: hæc propriissime hæresis est, illa materialiter, & analogicè tantum.

Addit tandem variis locis nouam lucem huic controuersiæ à nominum ethimologiâ, in quorum significatione, inquit Sanctus Doctor, aliud interdum est, id à quo nomen sumitur; sicut inquit, lapis à læsione pedis translatum est: aliud vero est id, ad quod significandum institutum est, nempe ad certam speciem corporis significandam: ita inquit, nomen Martyrij sumptum est à morte oppetitâ propter Christum; sed ex vsu Ecclesiæ receptum est, vt significet mortem violentam illatam à Tyranno alicuius veritatis, aut virtutis supernaturalis, & Christianæ causâ, quæ dicitur baptismus sanguinis, & parem habet cum baptismo fluminis vim, vt ex opere operato remittat culpam omnem, & pœnam, ex attrito contritum faciat, nihil pœnarum relinquat, vt vere dici possit, *iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre.*

Vnde afferri potest exemplum superioribus aptius, & quod magis ad rem faciat à duplici baptismo, vel sacramento, voto aut re suscepto: vtrique enim nomen commune est analogicè, non vniuocè, similis etiam quodammodo effectus; cum hoc tamen discrimine, vt sacramentum baptismi, voto susceptum ex opere operantis iustificet, remittat peccatum, non tamen omnem auferat pœnam: iustificatio enim ex opere operato, omnis pœnæ remissio, effectus est baptismi reipsâ suscepti.

Quod omnes agnoscunt inter hæc duo genera baptismi discrimen, idem statuit congregatio Indicis, confirmat Thomas Hurtadus inter martyrium sanguinis, seu ex violentâ morte alicuius virtutis, aut veritatis supernaturalis causâ illatæ, & martyrium Patientiæ, Charitatis: & illud omne nouum ab antiquo distinctum, quod inuenit Theophilus, & quod pertinacissime defendit.

ARTICVLVS

ARTICVLVS SECVNDVS.

Duo errores damnati in libro Theophili: æqualitas martyrij per peſtem cum martyrio Sanguinis refellitur à nouitate opinionis.

VErum vt rem confuſiſſimam, & longiſſimam paucis, & diſtinctè complectamur, ex documentis antiquæ Eccleſiæ: Praxis Romana, & Catholica duo damnat in Theophili martyrio Charitatis, & per peſtem: Primo quod paris faciat conditionis, naturæ, & virtutis cum martyrio ſanguinis, eadem det priuilegia, quæ omnino quatuor continentur, nempe iuſtificatione ex opere operato, remiſſione omnis culpæ, & pœnæ, tertio exemptione à precibus Eccleſiæ, quarto aureolâ vltra auream victori donandâ. Præter hæc quatuor, quæ antiquo, & ſuo nouo martyrio vult eſſe communia, ſecundum Eccleſia damnat, quod non ſolum vtrumque æquet martyrium, ſed ſuum nouum antiquo velit potius & præſtantius eſſe.

Hos duos errores multis argumentis congregatio, & eius Apologiſta validiſſime conuellunt, quæ omnia lucis, & breuitatis causâ ad duo reuoco: primum petitur à nouitate opinionis ſuſpectâ vbique in rebus fidei, & in ſubiectâ materiâ manifeſtè damnandâ: aliud deſumitur à naturâ martyrij, & à conditionibus, ac proprietatibus, quas legitimum martyrium requirit, & quæ manifeſte deſiderantur in martyrio Theophili. Ad hæc duo argumenta reuoco quæcumque Hurtadus & Theophilus ſcripſere ſemotis conuitiis, quæ ſunt infinita.

Quod ad nouitatem attinet, fatetur Raynaudus par. 3. cap. 6. priſcos authores ſui martyrij non meminiſſe; ſed eius dumtaxat, quod ex doctrinæ reuelatæ, odio infertur: verum addit illud argumentandi genus, cum ſolâ authoritate negatiuâ nitatur, futile eſſe. Sed contra hanc reſponſionem Hurtadus paragr. 1. part. 2. efficaciſſime & inuincibiliter arguit; in rebus, quæ ad dogmata, ad diſciplinam Eccleſiaſticam, ad rem ſacramentariam pertinent, argumentum ab authoritate negatiuâ neruoſum

& efficaciſſimum eſſe, quo vſi ſunt ſemper SS. Patres contra omnes hæreticorum nouitates: atqui vt ex ſtatu controuerſiæ explicato conſtat, diſceptatio iſta de Martyrio maximi momenti eſt, pertinet ad rem ſacramentariam vſu frequentiſſimam; in dubium vertitur, an plura ſint baptiſmata, an priuilegia quatuor martyrij ſanguinis, ſeu mortis violentæ communicanda ſint morti ex charitate, ex patientiâ, voluntarie magis ſuſcepta, quam violenter illata: atque huius generis martyrij fatetur in Eccleſiâ antiquâ, vel altum eſſe ſilentium, vel non eſſe expreſſam mentionem: ergo hoc ſolo nomine reiicienda eſſet opinio Theophili. Sed addimus non ſolum tacitum, aut ignotum fuiſſe, quod Theophilus admittit, augmentum, vel auctarium; verumetiam expreſſiſſime reprobatum: ergo nullâ ratione defendi poteſt.

Hurtadus toto fere paragr. 3. probat expreſſis verbis SS. Patrum, latiſſimum eſſe diſcrimen inter martyrium compertum ſanguinis, & reliqua patientiæ, charitatis, quibus nomen analogum ſit commune, priuilegia, vero enumerata ſoli martyrio ſanguinis aſſerunt: & licet has Patrum authoritates falſis poſſit interpretationibus corrumpere; omnia tamen eius ſuffugia præcludit teſtimoninm Cypriani libro de mortalitate; vbi ex ſenſu communi Chriſtianorum apertiſſimè aufert morti ex peſte inſeruientium cognatis, & amicis, Martyrij gloriam, quia fugiebant peſtem, ne martyrio priuarentur. Hæc enim obiiciebant Diuo Cypriano, *martyrio haud priuor, dum morte præuenior.*

Quid ad hæc Cyprianus? Non reſpondet ex mente Theophili, mortem ex peſte, in obſequium languentium oppetitam martyrium eſſe, quod æquet, aut ſuperet illud, cuius deſiderio tenebatur: reſponſio in promptu erat, & omnino neceſſaria, niſi falſa fuiſſet, & contra ſenſum omnium Chriſtianorum. Vnde Cyprianus in aliâ, à Theophili ſcholâ eruditus, reſpondet conquerenti de palmâ martyrij peſte ſibi ereptâ, *Non eſt*, inquit, *in tuâ poteſtate, ſed in Dei dignatione martyrium, non poteſte dicere perdidiſſe, quod neſcias an mearis accipere.* Hoc argumentum confirmat primum propugnaculum congregationis Indicis paragr. 4. par. 1. defenſum

ab Hurtado contra ludibria Theophili : neque enim congregatio voluit illi ſuæ cenſuræ rationes occultas eſſe, & primam petit à nouitate dogmatis, quod multipliciter vrget; primò, ſi vltra mortem violentam pro Chriſto oppetitam detur martyrium à peſte, dabitur quadruplex baptiſma, nempe fluminis, flaminis, ſanguinis, & peſtis, ſeu mortis naturalis acceleratæ, vi alicuius malignæ qualitatis ab aëre hauſtæ.

Theophilo retulerat Cardinalis Spada magnam vim factam in hoc argumento à conſultoribus, & iudicibus: ridet tamen illud, & per ludibrium data reſponſione, futuros plures baptiſmos, culcitræ, ſi quis illa ſuffocetur, aut veneni, ſi quis eo pereat : Concludit tandem, *non puduit has nugas obijcere.* Stupenda planè Theophili audacia, quos reuerebitur, ſi iudices Romanos pro nugacibus habet, etiam cum ſolidiſſima obiiciunt, & ipſe meras nugas reponit? Neque enim martyrii diuerſitas à quibuſcumque cauſis pendet; ſed ab iis quæ mortem violentam faciunt, vt à naturali diſtinguitur, etiam ex morbo feſtinata.

Ad idem genus nouitatis pertinet ſextum congregationis propugnaculum. Si ſemel accenſeamus numero Martyrum eos qui moriuntur inter miniſtrandum ægris, aut faciendo aliquid boni: Ergo in album martyrum referendus eſt ſanctus Caſimirus, & illi omnes, qui nolunt ſeruare vitam remedio quodam illicito, vt Chartuſianus eſu carnium, religioſus diſpenſatione regulæ, monitus à mago de cæde inferendâ, ſi velit fugere, ne videatur fidem habere magicis incantationibus, vel illis vti ad propellendum morbum: martyr futurus eſt reus accuſatus Iudaiſmi, damnandus ad mortem, vt negatiuus, ſi nolit falſo ſibi imponere id crimen. At quis dicat omnes hos enumeratos caſus habere vim martyrij, & quatuor priuilegia illi eximia? Certe hoc perinde eſt, ac ſi quis vellet omni liquorum generi ad ablutionem apto, dare vim baptiſmi fluminis, quod citra hæreſim admitti nequit.

Eo etiam pertinet ſecundum Congregationis propugnaculum: ſi quis inquit, charitatis cauſâ accedat ad ciuitatem peſte infectam, vt amico illo morbo laboranti opem ferat, & caſu moriatur, vel lapſus equo, vel

confossus à latronibus; ille cum obeat mortem ex aliquâ virtute supernaturali, non esset fraudandus gloriâ martyrij; licet id neget Raynaudus, quia, inquit, casu mors illi accidit: sed immerito, & parum consequenter ad sua, & communia principia ex D. Thoma in 4. dist. 49. quæst. 5. art. 3. si quis moriatur ex vulnere fidei causâ illato; quod tamen mortale non fuit, nisi ex aliquâ negligentiâ, non caret aureolâ martyrij: sic etiam nec ille, qui perit, dum it adiutum amicos ægros, si voluntas illos iuuandi, consequutâ morte satis sit ad martyrium. Ad idem argumentum à nouitate petitum pertinent quæcumque habet Hurtado par. 3. paragr. 1. vbi affert alia his similia exempla. Eo etiam spectant, quæ dicit paragr. 5. par. 1. ad defensionem sui argumenti, quod ex nouitate reuera efficacissimum est: & si quid pudoris, aut reuerentiæ in Ecclesiam Theophilo reliquum fuisset, debuerat ad illud obmutescere.

ARTICVLVS TERTIVS.

Secundus locus Argumentorum contra Martyrium per pestem.

SEcundum genus argumentorum petitum à proprietatibus vero martyrio annexis, varie vrgent, & conficiunt Congregatio, & Hurtado. Primo verus, & legitimus veritatis, & virtutis testis non debet sponte prodire ad vltroneam mortem, sed ad id cogendus aut vocandus est: illa proprietas vero martyri à Tyranno interfecto competit, & deest morienti peste, dum ex charitate inseruit proximo: ergo illud, non istud habet veram martyrii gloriam.

Prima propositio est communis doctrina Patrum à Christo hausta, qui prohibet, ne vltro ad certamen accedamus; tum vt nostræ infirmitati, tum etiam vt persecutorum bono consulamus, ne nos in periculum temerè, & illos ad sæuitiam propellamus. Sed si defendendæ fidei, aut infirmorum animandorum instet necessitas, non debemus certamen detrectare: sicut enim primum temerarij, & præcipitis est animi; ita hoc

secundum esset timidi, & ignaui: nec vllus vmquam martyrum ab hoc medio, seu temperamento recessit. Si qui enim visi sunt sponte prodiisse, vel ad tyrannum accessisse, id fecere necessitate defendendæ fidei, vel debilium confirmandorum, dum persecutio vergeret in graue damnum Ecclesiæ: & tum testes legitimi iure diuino, cogebantur fidei attestari. Hâc necessitate & vt sic loquar legitimatione carent, qui peste laborantes curant; quia nullo cogente vltro prodeunt, ad illud charitatis exercitium, & nullum ex diuino mandato testimonium iure editum reddunt sicut fidei martyres.

Eodem spectat ratio quarti propugnaculi. Ad verum martyrium opus est tyranno, sicut ad pœnitentiam, & Christi vt Redemptoris aduentum, vero peccato, eius sanguine, aut nostris lachrimis eluendo; quia martyrium est verum certamen adspectabile, ad quod proinde non sufficit, vt vult Raynaudus, vel dæmon hostis inuisibilis, vel infirmitas corporea: sicut enim componit cum martyre morbum, aut Dæmonem, qui metaphorice tyranni sunt, ita etiam à veri martyrij proprietate recedit.

Eoque longius, quo remotior est à supremo actu Christianæ fortitudinis, quem cum SS. Patribus D. Thomas constituit in sustinendâ per se morte, vt virtuti maximum periculum creet, nullo ad eam auertendam quæsito, aut parato remedio. Certum enim est perfectioris fortitudinis esse tolerantiam mali, quam impetum, & aggressionem; eoque in sustinendo animum magis eminere, cum mortem præsentem videt, nec vllo remedio auertit: ita comparatus est martyr fidei, & miles, qui Ecclesiæ causâ arma suscipit, & in hostem irruit, vel eius sustinet impetum, ne Ecclesia indefensa sit. Si ergo contingat in prælio desiderari, vere martyr est, quia mortem non detrectauit, & si hosti restitit id Ecclesiæ potius, quam sui causâ fecit. Longe alia est ratio inseruientium ex peste laborantibus: illi enim parant remedia contra morbum, quasi contra inimicum inanimem, idque ex vi operis, & his præsidiis, atque aliis armati ad mortem impauidi accedunt.

Eodem spectat defensio secundi argumenti Hurtadî paragr. 5. part. 2. vbi videtur Theophilus sui instituti

religioſi omnino oblitus. Nam diuos Alexandriæ immortuos obſequio peſte laborantium, quos Eccleſia colit 28. Februarij, quaſi martyres, adhibet ſui furoris miniſtros, & inducit adeo atrocia conuitia in virum religioſiſſimum euomentes, vt illorum, ne dum Cœlites, ſed hæreticos, ac pœnè damnatos puderet. Id vero, qua de cauſa? Quia decreta Eccleſiæ Romanæ, & antiquam Patrum doctrinam defendit contra profanas eius nouitates. Nec ſolum Eccleſiæ traditio genuinam Martyrij notionem à Tyranno interfectis vindicat; ſed illis etiam aſſerit vera Peripateticorum ſchola: nam vt iam monuimus, & egregie docet S. Doctor, interprete Caietano 2. 2. q. 123. art. 5. vltimus fortitudinis conatus eſt, in perferendâ morte, aut eius periculo ab hoſte, vel tyranno illato in odium fidei, & virtutis: at in naufragio, & periculo contagij nullus eſt, qui pugnet contra bonum fidei, & charitatis, aut qui ab illo arceat: ergo dum quis inſeruit peſte infectis, eſt potius impauidus, quam per ſe fortis.

Hæc eſt mens Philoſophi 3. Ethicorum cap. 9. vbi non agnoſcit præcipuum munus fortitudinis, circa quodcunque genus mortis, qualis impendet in mari ex tempeſtate, vel ex morbo; ſed circa eam, quæ eſt pulcherrima; vt cum quis moritur in bello ad defenſionem patriæ. Vbi D. Thomas lectione 14. dicit idem cenſendum eſſe de quolibet genere mortis, quam vir fortis ſuſtinet ab aduerſario virtutis cauſa, vt inde excludatur cauillus Theophili, qui putat, nos arctare fortitudinem ad ſola belli pericula: damus enim illi locum in omni genere virtutis, cuius defendendæ causâ hoſtis minatur, & intentat mortem. Alia autem ſunt, inquit Caietanus, ægritudinis, aut maris pericula, quæ non aduerſantur directè bono virtutis, quando quidem communia ſunt bonis, & improbis; ergo non eſt in his præcipua fortitudinis materia, ſicut nec in peſte: licet enim dicatur bellum diuinum, in vindictam peccatorum, & bonorum exercitium; non tamen prohibet quin iuſtus exercitio charitatis in infirmos vacet, imo ad hoc opportuna eſt: ergo non habet fortitudo hactenus, cum quo pugnet, & qui arceat à bono, in quo ſita eſt huius virtutis ratio.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [578] - 518
PUBLIC DOMAIN

ARTICVLVS QVARTVS.

Secundus error ex præstantiâ Martyrij per pestem supra Martyrium sanguinis.

RAynaudus errorem errore cumulat: non fuit illi satis æquare Martyrio fidei suum nouum ex peste Martyrium: adeo illius amore captus, ac penè dementatus est, vt non solum Rhetoricandi licentia, sed etiam rigore Theologico anteponat: quod propius absit à similitudine Christi, qui se sponte obtulit morti. Hic vera ergo necessitas incumbit defendendæ religionis. Deinde, inquit, habet aliquid hoc genus Martyrii, quo reliqua Sanctorum Martyria superet; quia nihil est admixtum malitiæ Tyrannorum, aut carnificum: vnde concludit huic Martyrio communem esse cum altero, & cum Sacramentis vim remittendi culpam omnem & pœnam ex opere operato.

Si prima Theophili assertio, qua suum nuperum Martyrium antiquo æquat, vtcumque tolerari potuisset, certè hæc secunda, qua etiam anteponit, nullo modo ferenda est. Nescio, an plus vitii, & erroris insit conclusioni, vel argumentis, quibus illam probat, sicuti demonstrat Hurtadus parag. 3. part. 4. vsque ad finem. Nam prima probatio à similitudine cum Christo, vel à spontaneâ oblatione vix excusari potest ab errore: si quid enim virium habeat, conficiet cum hæreticis, opera quæ ex voto, vel præcepto fiunt, minus accepta Deo esse, quam quæ spontaneè, nullius voti, aut præcepti vi. Deinde: potestne negari citra manifestam hæresim, Christo impositum moriendi præceptum? Peius aliquid etiam habet secunda probatio, quâ vult euincere præstantius esse Martyrium suum communi Martyrio, quod expers sit omnis hominum improbitatis.

Mirum est, quod Deus non aduocauerit Theophilum ad consilium, & Oeconomiam redemptionis humanæ; Author enim illi fuisset, ne quid ex fœuitiâ, & improbitate hominum, admisceretur, quo purior, & perfectior esset, vti suum Martyrium. Nec aduertit quod

ex Philosopho retulimus, fortitudinem, & victoriam suas vires augere, & inclarescere ex Aduersariorum impetu & malitiâ: alia est enim fortitudo cum hoste, aut Tyranno, alia cum pestis periculo pugnantis, vt amicum iuuet. Hic enim non moritur, vt curet; sed curat etiam si adsit periculum proximum mortis: at fidei Martyr moritur, vt fidem confirmet. Hoc discrimen adeo apertum est, vt cæcum dicat Theophilum Hurtadus nisi id videat. Quis enim neget perfectius fortitudinis obiectum, aut exercitium esse, cum quis vitam contemnit, præsentem mortem oppetit, vt fidem defendat, & suo sanguine consignet; quàm illius, qui nullo oppugnante fidem, aut charitatem in proximum, illi peste laboranti auxilium confert, etiam cum contemptu mortis? Huius enim virtus, & fortitudo non respicit æquo vultu, & animo vitam, & mortem, vt charitatem exerceat; sed ne illi, & officio desit, periculum mortis non detrectat, quod multo inferius est Martyrum fidei fortitudine. Vnde immerito, nec sine nouo errore, dat Theophilus suo Martyrio vim iustificandi ex opereoperato, nullo Authore, nullo fundamento, nec minori temeritate, quam si quemlibet liquorem ad vsum baptismi admitteret.

Vrget etiam illum Hurtadus argumento efficacissimo, quod tacuit Raynaudus, quia nihil habebat, quod responderet: Nam si par sit vtriusque vis ad iustificandum, sicut cum mater grauida occiditur in odium fidei, infans vtero inclusus saluatur baptismo sanguinis materni; ergo mater quæ immoritur ministerio peste laborantium, filium, quem vtero gestat ex opere operato purgat à peccato originali: quod nullus vnquam Catholicorum dixit.

ARTICVLVS QVINTVS.

Frustra Doctorum & Academiarum dolo captata suffragia à Theophilo.

HÆc est summa Controuersiæ de Martyrio per pestem, quod damnauit Congregatio Cardinalium,

Sed Theophilus omnium vniuersitatum, & priuatorum Doctorum ex totâ Europâ suffragia captauit, & duodecim vniuersitatum, quinquaginta septem Scriptorum, & plurimum Doctorum gloriatur se habere, quibus decretum Romanum eleuet: Ad quæ plura Hurtadus. Et primo quidem suffragia Academiarum, aut Doctorum expendit accurate parag. 2. part. 7. & sequentibus; Responsionum summa est.

Primo fraude Theophili, & amicorum, hæc suffragia obtenta; vel enim data sunt ante decretum Romanum, vel est illis arte occultatum, vnde ex Italiâ, vbi euulgatum primo fuit, nullam habet Academiam, quæ faueat, & quinque Doctores ostentat, sed falsum illis imponit. Deinde: vt Hurtadus notat, Patres Societatis, qui Hispalensem Academiam ad huic sententiæ eius Martyrij subscribendum vrgebant, caute statum Controuersiæ occultabant. Et si proposuissent, an baptismus pestis par, aut superior esset baptismo sanguinis, & an haberet eandem vim iustificandi ex opere operato etiam filium, quem mater immortua obsequio charitatis ferret vtero, omnes fuissent illius opinionem execrati. Quare verius puto non alio sensu reliquas Academias Martyrium Theophili probasse, quam quo Granatensis admisit, non de Martyrio proprie, & stricte sumpto, sed tantum analogice eâdem distinctione, quâ Apostolatum, quâ obedientiam, gratitudinem, & alia genera virtutum, aut vitiorum Theologi solent diuidere: & si ab his Doctoribus aut Academiis rogasset Theophilus, confirmari quem dat D. Xauerio Apostoli titulum, nullus, puto, contulisset eo sensu, aut gradu, quo duodecim Apostolis competit: ita licet interpetari, vel excusare sensum huiusmodi Doctorum, aut Academiarum, ne grauemus, vel ignorantia, vel aperta contumacia contra antiquam, & præsentem Ecclesiam.

Et quamuis Theophilus contendat, aliquot Doctores, vel Academias suo sensu Martyrium, atque eodem rigore, quo defendit confirmasse, nihil mirum esset: nam præter quod obseruat Hurtadus, præcipuas orbis Christiani Academias Parisiensem, Louanienſem, Duacenſem, Salmanticenſem, Complutenſem, Conimbri-

censem, noluisse, sine dubio rogatas subscribere, reliquas vero inferioris notæ in illum errorem impegisse, cum etiam grauiorem incurrerint. Nonne Cypriano Authore tota fere Africa Anabaptismum hæreticorum voluit inducere? Nonne Concilium Basileense voluit quasi dogma fidei, suam aduersus summum Pontific. authoritatem statuere? Nonne hodie multi Theologi, sentiunt non solum in Ecclesiâ de fide definiri posse, quæ verbo Dei scripto, aut traditione implicite, aut virtualiter continentur (quæ est vera Catholicorum sententia;) sed etiam citra traditionem diuinam ex solâ Ecclesiastica, vel ex solo sensu mystico Scripturæ, ignoto literali nouos articulos condi, quod plane est fundamenta religionis conuellere, & Canones Conciliorum eodem loco constituere, quo libros Scripturæ Canonicos? Quid potest vero magis Anti-christianum dici illo errore, qui tamen plurimis forte obrepsit, quam pro suo Martyrio numeret Theophilus?

Nihil ergo iuuant suffragia tot Doctorum, & Academiarum; nec enim loquuntur ad mentem Theophili; aut si illi in totum assentiant, infringuntur decreto Romano, quo Martyrium cum errore populari damnatum est. Nec causari potest Theophilus, se inauditum, & indefensum, fuisse à Congregatione censurâ notatum: Nam res sub duobus, Pontificibus Vrbano VIII. & Innocentio X. diligentissime discussa est: diu perorauit Galliæ assistens pro Theophilo, Orator Regis Galliæ totis viribus damnationi intercessit, nec potuit impedire: adeo noxium & periculosum dogma visum est iudicibus æquissimis & doctissimis consultoribus.

At dicit Theophilus prohibitum quidem librum, non causâ Martyrij per pestem, vel falsæ, aut periculosæ doctrinæ; sed habitam rationem vulgi, cuius captum hæc sublimior doctrina superabat, & debilium oculos poterat suo splendore perstringere; vel id factum in gratiam Nicolai Rodulphi Generalis Dominicanorum, qui hanc de Theophilo pœnam repetebat, ob scriptum contra suum Ordinem librum, cui titulus *Religio Bestiarum*.

Hæc responsa resipiunt hominem qui naufragio dum mergitur, non attendit, quid bibat: potestne

quidquam dici magis ab omni ſpecie veri alienum, quam quot effutit Theophilus? Iam pluribus præiudiciis abiectâ omni veracitatis cura ſibi fidem abrogauit: ſed his vltimis commentitiis videtur præterita ſuperare. Poterit ne perſuadere, ea Cenſura intactum fuiſſe Martyrium de peſte, vel illâ Iudices voluiſſe Patri Rodulphio gratificari? Nam is ipſe refert. Cardin. Spada ſibi aperuiſſe damnatum librum causâ illius noui Maryrij, nec-non rationes conſultorum ſolidiſſimas, quas refellit quaſi nugas. Nonne conqueritur, P. Vuaddinghum virum doctiſſimum, & religioſiſſimum ſibi in hac controuerſia fuiſſe aduerſatum? Præterea ſi quid dandum fuiſſet gratiæ potius, quam veritati, aut æquitati; certe Societatis authoritas adiuncta commendatione Legati Regis Galliæ apud Summos Pontifices, Patris Rodulphi gratiam viciſſet, nec fulmen liber Theophili paſſus fuiſſet. Sed videtur adeo ingenioſus, vt faciat ſe fœlicem ipſo infortunio. Nihil periculi, inquit, ſuberat libro, niſi ex infirmitate vulgi: & ſe ſolatur exemplo Suarij, cuius ſinceriſſima doctrina caſtigata eſt ad auertendum dedecus æternum Clementis octaui, qui imprudens illam confixerat, atque iſta dicit ſe referre ex libro de immunitate Dominicanorum. Vnde conſtat iam à ſexennio, & vltra fuiſſe elaboratum, & ſeruatum in ſcriniis, ſicut parricidij conſilium à decennio meditatum, cuius authorem numquam pœniteat.

Et hunc Theophilum, Ioannes Antonius Velaſques, vocat *totius ſapientiæ compendium*, referente Hurtado. Obſtupui, fateor, ad illud elogium; & cum aliquid ex Velaſques Commentariis delibaſſem, quod magis placebat, quam quæ ex Baëza, Celada, & aliis legeram; dubitaui, an idem eſſet Author Commentariorum in Paulum, & Elogij in Theophilum, & inquiſiui, an Ioannis Antonii nomen conueniret interpreti Apoſtoli: vbi autem comperi, ipſum eſſe laudatorem Theophili, parum abfuit quin omnino excideret ab opinione apud me de ſe conceptâ. Bone Deus, quam prodigus eſt Velaſques Elogiorum! Si illi Theophilus eſt totius Theologiæ Compendium, quid reliqui ſibi fecit? Quem titulum dabit Bellarmino, & Suares? Si ille ſit Compendium, iſti erunt totius ſapientiæ Pelagus;

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [583] - 523
PUBLIC DOMAIN

& adhuc improperabit Theophilus Dominicanis, ipsos attollere Diuum Thomam supra id omne, quod dicitur doctum: Cum laudes in Diuum Thomam à nobis congestæ iaceant infra Elogium, quo illum Velasques ornauit, aut potius se fœdauit. Sed quidquid sit, duo hactenus demonstraui, Theophilum iustissime à damnatum, & iniquissime Dominicanos falsis criminibus, quorum ipse reus est, grauasse.

Vltimis duobus libris vtramque nostræ Familiæ Theologiam propugnauimus, non quâ latè secundum totum suum ambitum patet, neque his omnibus placitis quæ lacessita sunt vniuersim à nostris æmulis; sed iis tantùm locis quæ carpuntur ex postulationibus Carterij, & tribus Theophili libris insectationum in nos. Nonnullas etiam primo libro explicuimus & propugnauimus è Scholâ nostrâ opiniones, quæ ad alterutram Theologiam pertinebant; vt si hæc omnia iungas, non spernendam doctrinæ nostræ portionem explicatam habeas, & à calumniis aduersariorum vindicatam, quod vnum hoc nostro labore quærimus. Hunc enim propositum nobis scopum nouerint boni omnes, nempe vt nos vindicemus ab eo contemptu, quo si nos deiecerit Theophilus, non modo inutiles, sed planè scandalo futuri simus toti Ecclesiæ: forte etiam dum conculcatum Ordinem inculpatâ, vt credimus, tutela pro virili erigimus, iis qui ex deiectione nostri animum possent attollere occasionem suppeditare nostri consilij est, ne vltrà sapiant quam oportet sapere. Id si assecuti fuerimus, non pœnitebit nos huius laboris suscepti.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Retractantur de Patre Nidard temerè credita & dicta.

IIs nostræ doctrinæ vindiciis statueram inserere, vt sub finem tertij tomi promiseram, responsionem ad librum Patris Nidard: Sed lætor datam mihi occasionem retractandi quæ temerè de illo scripseram, &

quam ex nimiâ credulitate religiosissimo viro intuli injuriam sanè atrocem, quâ possum, resarciendi.

Incideram in Authorem nescio quem: is fortè aliorum dictis, sicut ego ipse eius lectione deceptus, quam citato loco adnotaui, Pontificii de Conceptione decreti præposteram omninò interpretationem retulit ex libro huius Authoris, vt narrabat, Duaci edito, ascitam Conceptionis Immaculatæ *Laudabilitatem* ex Pontificiis sanctionibus, Catholicis indubitatam, contendebat ad certitudinem fidei proximam, per quatuor gradus suprà Moralem, suprà Physicarum dignitatum, & Metaphysicarum demonstrationum, imo suprà principiorum per se notorum, & indemonstrabilium euidentiam arcanum Immaculatæ Conceptionis proueniisse: vnde inferebat, quamuis vltimâ Alexandri VII. Constitutione cautum sit, ne secùs sentientes damnentur, aut vexentur assertiue ex fide certâ, posse tamen illis notam erroris inuri, & pœnas problematicè infligi.

Visa primum mihi est hæc interpretatio quolibet paradoxo incredibilior. Nullam ab eo tempore quo mihi innotuit, prætermisi diligentiam in eo libro, quo hæc contineri dicebantur, conquirendo; nec contentus à Bibliopolis Parisiensibus, quibus in Belgio quotidianum est commercium, expetiuisse, illius Prouinciæ, & Duacenses Patres nostros litteris amicorum rogaui, ad nos mitterent librum, qui apud se typis datus ferebatur; sed nusquam comparuit aut repertus est: vnde mihi vehementissima suspicio suborta est aut veriùs certa sententia sedit, grauissimo Patri opus falsò ascriptum.

Et planè si ita habeat, vt alienâ fide ipse nimium credulus & præceps euulgaui, indignum omnino est quòd à tanti viri maximis Hispaniæ & Ecclesiæ rebus distenti parisque, officinâ prodierit. Prorsus sophistam aut potius veteratorem resipit qui Apinis & Tricis Scholæ innutritus, nequitiam & crudelitatem præferat, & decreta Pontificia pessimis artibus corrumpat. Duram mihi Prouinciam & necessitatem imposueram disceptandi cum homine summæ authoritatis; vt mihi vsurpandum fuerit, quod à quodam Philosopho disputationem cum Augusto Cæsare detrectante dictum legi, periculosum

esse priuati certamen cum homine qui legionibus imperaret. Neque enim mihi minus iniqua aut infœlicior visa erat contentio cum viro, penès quem sit summa apud Regem potentissimum gratia & authoritas, qui plura regna, si opus sit, contra aggressorem possit in subsidium aduocare.

Vtcunque res sit, sensum meum paucis aperiam. Trium occurrit cogitatio; & horum vnius certa persuasio. Sentio itaque, aut librum frustra hactenus à me quæsitum non extare, aut si quis eo titulo & argumento prodierit, vt vendibilior fieret & grauiùs noceret, fraude Patri Nidard ascriptum; vel si is sit legitimus operis Author, eius mentem fuisse interpolatam & corruptam. Mei sensus rationem repeto primum à stylo, deinde ab instituto, & tandem ab immani falsitate paradoxi quod nullâ, quanta quanta sit authoritate muniri, nullâ etiam in speciem verâ ratione defendi aut fucari possit. Stylus quidem totus olet Authorem, qui nedum Scholæ argutiis sit à primâ ætate imbutus; sed penè ab ipsâ origine compactus, & ineptias, si quæ vnquam fuerunt, Scholæ, ad rabiem vsque depereat; quæ omnia abhorrent à vitâ anteactâ, & à summâ grauitate & sapientiâ Patris Nidard, quem à fide digno accepi, iam adultâ & prouectâ ætate Catholicum factum, ingressum Societatem, & diu militiam exercuisse, præfecti equitum munere defunctum, & Lutheranam hæresim ab infantiâ haustam eiurasse.

At quis nesciat militaris vitæ genus alieniſſimum esse à Scholæ subtilitatibus, quas vix hæretici deguſtent, tantum abest vt iis possint assuescere? Quid verò inclamat illa *laudabilitatis* vox barbara? Quid gradus certitudinis Moralis, Metaphysicæ, &c? Quid tandem distinctio iudicii assertiui & problematici, quod tamen immolitum & astructum sit certitudini maiori, quàm vlla parere possit principiorum indemonstrabilium euidentia? Iurarem ista non potuisse proficisci à viro militia diu exercito, à Lutherano maximâ vitæ parte, id est ab osore Scholarum, cuius tamen nedum minutias calleat, sed ineptias etiam aucupetur, & fallacias insulsissimas captet, & insuperabilibus, dum alios videtur velle implicare, sese inuoluat nodis. Quid enim im-

plicatius & contradictorium magis, quam ab omnium certissimo supra prima principia assensu, non nisi problematicum proficisci iudicium, quod salua Constitutione Pontificiâ assertorium tantum iudicium vetante, damnentur qui Scoto non assentiuntur?

Sed præter hoc argumentum non leue à stylo Scholæ nugerrimæ, aliud suppetit longè grauius à sensu scriptionis & instituto: nam huius libelli, si vllus fuit, Authoris vna videtur mens esse, bonam fidem à societate humanâ & Ecclesiasticâ prorsus ablegare, illique dolos & fraudes sufficere, æquissimas principum, & Pontificum sanctissimas leges, pudendis, nedum ineptis & ridiculis, sed etiam nequissimis interpretationibus corrumpere; vt quisquis libelli, si extet, Author est, bellum indicere videatur probitati & humanitati, & perfidiam inuehere fucatam aliquâ subtilitatis & pietatis specie, vt sit detestabilior. Quis enim illos ferat, qui fœdera, pacta sincere ineunda, qui leges diuinas & Ecclesiasticas huiusmodi corruptelis sibi permittat inuertere; vt si quid pollicitus sit, aut iurarit ex animo, in promptu, dissoluendo promisso & pacto habeat distinctionem, se problematice, non assertiuè locutum; quamuis subsit iuramento cognitio certior quolibet principio Physico, Metaphysico, aut per se noto? Quis sibi non magis ab hâc distinctione timeat, quâm à peste aut quouis veneno præsentissimo?

Et ne quis rei per se innoxiæ credat, tot malorum me inuidiam importare, vt obliquè illius Authorem traducam, paucis demonstro nullo carere vitiorum genere. Omnia ab inscitia, ab improbitate, & vanitate mentis prodeunt, velut à triplici origine. Hinc totidem studia diuersa antiquorum, Thimonis Athenienſis cognomento osoris hominum, omnes vniuersim execrantis, quod multa per summam iniquitatem flagitiosissima perpetrent; Democriti risu & cachinnis res humanæ infectantis, quasi inanissimas & à vanitate profectas; & Heracliti vitam hominum perpetuo fletu prosequentis, quod inscitiâ miserandâ cæci in omne errorum & flagitiorum genus nos præcipites daremus. Certissimum est eam ex *laudabilitate* gradationem certitudinis, adiuncta distinctione, assertiuè ac problematicè dicti &

promiſſi, nullo horum malorum, quæ vindictæ, commiſerationis, & contemptus vberrimam materiam, & æquiſſimam cauſam præbent, contagio carere. Id tantum dubitari poteſt, quæ illarum vincat, magis ne inepta & ridicula, an periculoſior & nequior, vel magis miſeranda ſit.

Inſcitiam demonſtro à principio cui tota hæc machina aſtruitur, apertâ falſitate: non eſt dubium *laudabilitatem* (à quo vocabulo licet barbaro abſtinere non poſſum cum ſit totius rei cardo;) imparem omninò & ineptam eſſe adſtruendæ tantæ certitudini; vt eam vincat quæ ex euidentiâ principiorum per ſe notorum exiſtit, cum ad ſummum infimi gradus, moralem ſcilicet, fulcire poſſit; vt multis euincere licet exemplis, quæ totâ hâc apologiâ aliiſque partibus attigi.

Quis enim neget laudabile eſſe, quotquot Martyrologio recenſentur, poſſe coli & inuocari, vel hoſtiam à ſacerdote poſt conſecrationem exhibitam populo, adorari; vel ſacramentum abſolutionis impertiri moribundo, qui aliquod pœnitentiæ ſignum ediderit, antequam illi vox & ſenſus exciderint; ſicut puero moribundo, poteſt aquâ roſeaceâ, ſi elementaris deſit, adminiſtrari baptiſmus? At quis niſi ignarus, & ineptus, & forte etiam nequam, ex eâ triplicis generis laudabilitate inferat, certius eſſe nedum phyſicâ & metaphyſicâ demonſtratione ſed etiam quolibet principio per ſe noto, eos omnes, quorum nomina Martyrologio inſeruntur, beatos eſſe cælo receptos; ritè conſecratam quamcumque hoſtiam à ſacerdote ſacrificio Miſſæ aſtantium oculis ſubiectam; vel validum eſſe baptiſmi moribundo puero cum materiâ dubiâ, vel pœnitentiæ morituro adulto nullum peccatum confeſſo, ſacramentum adminiſtratum?

Nam vt hoc vltimo exemplo, quia eſt apertius, cæteris prætermiſſis vtar; ſi ex illâ laudabilitate Pontificiis decretis inductâ, quæ iubent periculo mortis ingruente, dubium ſacramentum conferre, certa euaderet ſupra metaphyſicam aſſertionem, aut prima principia hæc adminiſtratio, impiè agerent, nec ab errore & ſacrilegio excuſari poſſent Theologi, & Summi Pontifices cum his occaſionibus laudabiliter adminiſtratum ſacramentum

mentum habent repeti, si moriturus periculum euadat, cuius causâ dubiæ materiæ collatum est.

Atque vt ruinosum illud fundamentum conuellam validiùs, explicata vi vocis: certum est ex Philosopho apud Diuum Thomam laudem ab honore differre, quod illa ab agendis, à mediis seu actionibus humanis, quæ ad finem recta tendant, consurgat: honor verò optimis quibusque debeatur, & ex ipsa fœlicitate iam adepta existat. Hinc sanè omnium maxima, cum rebus dubiis tutiora, id est viciniora saluti, & à periculo peccati remotiora eliguntur. Hinc secunda Ethicæ nostræ parte distinximus duplicem veritatem: speculatiuam vnam, quæ quid sit rei in se aperiat; alteram praxeos, quid facto opus sit, quid tutius, quid melius ad officium & salutem, præscribentis, cui adhærere summæ laudi ducatur. etiamsi res in se incuidens, etiamsi in se dubia & incerta sit. Ergo laudabilitas toto genere distat à rei ipsius veritate speculatiua, seu euidenti & certâ notitiâ.


Quare summâ fraude ex laudabilitate, id est, veritate practicâ, quæ quid agendum instet, docet, nec quid rei sit in se admodum curat, aut euidenter consequi potest; ac proinde à laudabilitate decretis Pontificiis asserta per varios certitudinis gradus ad summum euehere, quaslibet res, quibus assuta fuerit. Ex Summorum Pontificum approbatione, crassæ est insciticæ; neque enim euidens rei in se curat iudicium, aut certitudinem, vt sic loquar, speculatiuam parit laudabilitas, sed operis & cultus honestatem, seu veritatem practicam, quæ in laudabilitatem recidat, quam mille exemplis constat saluam esse, quamuis res dubia sit, & forte etiam falsa, vt de Sacramento baptismi & pœnitentiæ paruulis & adultis morituris dictum est: laudabile imo & necessarium esse tum conferri, cum dubium esse non definit, nec assurgere possit nedum supra principia indemonstrabilia; sed nec etiam ad gradum certitudinis moralis. Quis ergo non videat huius libelli Authorem non modò res politicas periculosè, sed summâ etiam imperitiâ res Theologicas, sus deque permiscentem, vt incredibile sit adeo ineptum à grauissimo viro, adeo imperitum à

ſapientiſſimo Theologo opus prodijſſe. Quis enim credat rem dignitatibus Phyſicis, ac Metaphyſicis, & per ſe notis, atque indubitatis principiis certiorem, probabilem tantum eſſe, & problematicè iudicari; niſi fortè omnem cum Academicis & Pyronicis ſcientiam & euidentiam rerum de medio ſublatam velis, & incertam parere perſuaſionem certiſſima quæque? Quis iſta paradoxa capiat aut ferat, quæ tamen eo libello ſi vſquam extet, velut totius diſceptationis fundamenta ponantur?

Quare vt honori ac famæ conſulam ſummi viri, malim quiduis aliud credere, quàm adeo enormiter falſa, pugnantia, abſurda, & periculoſa illi in mentem veniſſe; & ſi quid tale ſcriptum ſit, illi abaliquo male feriato homine ſuppoſitum, forte illius gratiæ & ſummæ authoritatis minuendæ causâ. Certum mihi eſt ita de illo ſentire eſſe laudatiſſimum, licet ex illa laudabilitate non auſim, nec aſſertiuè, nec problematicè, iudicare, rem aliter quàm opinor, non poſſe ſe habere.

FINIS.


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [591] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [592] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [593] - -


PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 856 754

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [594] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [595] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [596] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210 4 [SLB]